ACTA
SANCTORUM MARTYRUM
SIMPLICII, CONSTANTII, ET VICTORIANI,
QUORUM RELIQUIÆ CELANI APUD MARSOS ANTIQUA VENERATIONE COLUNTUR


VINDICATA.

ACCEDUNT ORDO DIVINORUM OFFICIORUM ECCLESIÆ MARSORUM, ET ALIQUORUM SANCTORUM MEMORIÆ:

OPERA ET STUDIO

PETRI ANTONII CORSIGNANI

OLIM VENUSINI NUNC VALVENSIS ET SULMONENSIS EPISCOPI, SS. D. N. PRÆLATI DOMESTICI, ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTIS, BARONIS CIVITATIS PENTIMÆ OPPIDI VICTORITI ET FEUDI SANCTÆ CRUCIS.





ROMÆ ANNO JUBILÆI MDCCL.

EXCUDEBAT JOANNES GENEROSUS SALOMONI IN FORO S. IGNATII.

PRÆSIDUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO.

Petrus Antonius Valvensis et Sulmonensis Episcopus
F. D.



UM, Beatissime Pater, Acta Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani origine Burgundionum, & apud Concives Marsos

Christi sæculo II. Martyrio coronatorum, tot sæculorum traditione recepta,& hucusque servata, a nuperis aliquot objectis difficultatibus, Episcopali etiam officio in Sanctorum venerationem, vindicare & clarificare susceperim, Opusculum SANCTITATI TUÆ pro singulari Tutela jure meritoque nuncupatum volui. Nam felices hisce temporibus sunt Litteræ, quæ Te habent Patronum, cujus liberalitatem adeo sentiunt, auspiciis tantum crescunt, ut nulla unquàm ætas oblitura sit Tuam Magnanimam Litterarum curam atque consilium. Et quamvis Sanctissimus ac doctissimus in terris eluceas Christi Vicarius, humanique generis Princeps, tanta nihilominus humanitate refulges tantaque benignitate coruscas admirabili, ut infimæ plebis vocem & tenuissima omnium scripta hilari fronte excipere non dedigneris; & ideo SANCTITATEM TUAM alloqui non vereor nec erubesco. Mihi enim, SANCTISSINE PATER, præscribere visum est, ut etiam inter Pastorales curas, molestorumque hominum

sæpe

ſæpe ſæpius Epiſcopis infeſtorum perturbationes, quæ mihi ſupererant temporis fragmenta, ſtudiis inſumerem, ingeniique mei imbecillitatem in ipſorum Martyrum, quos fere ab incunabulis colui, obſequium impenderem. Tu itaque Sanctorum Prædeceſſorum Gregorii & Leonis veſtigia ſecutus, veluti ſcientiarum oceanus, ſacratiſſimarum Conſtitutionum & aurei operis Canonizationis Sanctorum, vel Diæceſanæ Synodi Librorum octo Scriptor egregius, aliorumque veteris & recentioris Diſciplinæ Monumentorum pro Eccleſia Bononienſi, cui poſt Anconitanam digne præfuiſti, non ſola præcipiendi formula, ſed apta quoque ad erudiendum methodo exaratorum, quæ pluribus in locis impreſſa, ad varias Civitates & ultra Montes convolarunt, Auctor Magnus, Pontifex Maximus, parvum Opus qualecumque ſit, non deſpicere, Actaque ipſa in illo defenſa, excelſo Tuo Nomine Tuaque præclara doctrina roborare dignare. Dum ego ad Sanctitatis Tuæ Pedum oſcula humiliter inclinatus,

tus, benedictionis largitatem expectans, fauſtum Tibi & diuturnum regimen in Orthodoxæ Fidei & Catholicæ Eccleſiæ incrementum ab omnipotenti Deo, cujus vices optime geris, precor atque ſemper efflagito.

IM-

IMPRIMATUR;

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tharſi Viceſg.

JUbente Rm̃o S. P. A. Magiſtro perlegi librum cui Titulus: *Acta SS. MM. Simplicii, Conſtantii, & Victoriani*, Auctore Cl. V. Petro Antonio Corſignani Valvenſi & Sulmonenſi Epiſcopo. Nihil in eo reperi vel Ortodoxæ Fidei, vel Chriſtianis moribus diſſonum; immo omnia multiplici eruditione referta quæ Celanenſe horum Martyrum cultores poſſint oblectare. Romæ Kalendis Maii Anno Salutis MDCCL.

Gregorius Jacobus Terribilini.

SUmma voluptate, ac diligentia Librum perlegimus, inſcriptum: *Acta SS. MM. Simplicii, Conſtantii, & Victoriani*, Auctore Petro Antonio Corſignani Valvenſi, & Sulmonenſi Epiſcopo; & in eo nihil eſſe reperimus Orthodoxæ Fidei, ac bonis moribus diſſonum; immo etiam tanta, & varia eruditione elaboratum, ut jure merito Sanctorum Martyrum cultores delectare poſſit.

Ex Ædibus noſtris decimo Kalendas Junii 1750.

Michael Maria Vincentini
Archiepiſcopus Theodoſiæ.

Poſt

POST editam Regiam Marsicanam à Republica litteraria magno cum honore receptam, novum hoc opus bono Ecclesiæ, & Christianæ pietati offert Illmus, ac Rmus D. D. Petrus Antonius Corsignani Valven., & Sulmonen. Episcopus hoc titulo -- *Acta SS. MM. Simplicii, Costantii, & Victoriani* --, in quibus vindicandis, & illustrandis clarissimus Auctor plurimum eruditionis & operæ consumpsit. Quare librum istum quem serio perlegi ab omnibus eruditis æque ac piis Sanctorum Cultoribus summa cum voluptate & plausu exceptum iri non dubito. Hoc ego qualecumque justæ laudis officium post insignes laudatores Auctori libenter exibeo. Ex Cœnobio S. Mariæ Super Minervam tertio Kalendas Augusti 1750.

Fr. Victor Mozzacchini Ord. Præd.
S. Th. Professor.

IMPRIMATUR.

Fr. Joseph Augustinus Orsi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

§. I.



E vetustis Iconibus in Ecclesia Celanensi
apud Marsos existen:

Anna Theresia Araneo delin: & scul: — *Sulmonae Anno Jubilei 1750.*



§. I.

IN PROŒMIO.



NEmo paulisper in Historiæ Sanctorum hominum lectione versatus ignorat Joannis Bollandi S.J. insigne opus de Actis Sanctorum Orbis circa medium præteriti sæculi evulgatum, communi eruditorum plausu & existimatione fuisse receptum: quod a Godefrido Henschenio, Daniele Papebrochio, cæterisque viris doctissimis, qui illud continuarunt, auctum est, & postremo a clarissimis ejusdem Societatis Theologis, Joanne Pinio, Guilielmo Cupero, & Joanne Stiltingo pari cum eruditione continuatum & illustratum. Hi enim Acta ipsa Sanctorum Mensis Augusti recensentes, Volumen quintum prælo dederunt Antuerpiæ apud Albertum Vander Plasche anno M. DCC. XLI., ubi dies vicesimus quintus & vicesimus sextus dicti Mensis continentur, & pag.778. ad 780. Sanctorum Martyrum nostrorum Simplicii, Constantii, & Victoriani memoriam, sed non undique gratam fecerunt: Nam cum in primo præsertim exemplo eorumdem Actorum ibidem relato nonnulla improbent, adversas tamen propositas animadversiones refellere conabimur. In primis autem; an Acta ipsa germana & fide digna sint, inquiremus: tum opportuna Dissertationi adjiciemus; quibus vocata in dubium asserta expendemus, & vindicabimus. Veritati ubique obsequentes ipsorum Martyrum ho-

norem hac item in parte pro viribus, ac justæ causæ merito amplificare nitemur. Quoniam vero etiam inter Gentiles, auctore Seneca de Vita beata cap.I., nil magis homini præstat, quam ne pecorum more sequatur antecedentium gregem, pergendo non quo eundum est, sed quo itur; proinde quæ refellenda videbuntur, modeste diluemus juxta Polybium libr.III.; non ut sapientissimos Viros incusemus, sed potius objecta declaremus ac prætermissa proferamus, dicente Cassiadoro de Bell. Goth. in Proæm., optimos decere Cives sua monumenta servare: Immo I.Machab.II., Mathatiam ita dixisse constat: *Nunc ergo o filii æmulatores estote legis & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis.* Fixa enim habenda sunt exempla virtutum, eaque maxime prodest summo studio imitari: Et S. Gregorius libr. II. Moral. cap. I. ait, gesta Sanctorum in imitationem corda vocare infirmorum & debilia nostra firmare. Interim vero absit mihi fuscum movere calamum, sed tantum Christiano more opusculum pertractare in animo est: cum ab eximio Cardinali Baronio in Tom.II. Annal. sub anno cc. LIX. n.5. id prædicetur discrimen inter Christianos invicem altercantes, & Hæreticos, quibus jurgium habentibus implacabile intercedit odium livori conjunctum, ita ut nullo possint officio demulceri aut ratione convinci: Illi autem instar columbarum postquam mutuo rixati fuerint, osculo pacis Catholicæ còncordiæ symbolo, se invicem complectentes, fraterne salutant: & non nisi veritatem cupientes, ad eam semel perspicue demonstratam veluti expositam escam convolant. Hoc igitur pacto cum Plinio in Præf. de Nat. hist. dabimus vetustis novitatem. novis auctoritatem & obscuris lumen, candidæque narrandarum rerum integritati semper addicti, historiæ leges servare in corde erit: a qua proinde cura progrediendo, traditas ab Arpinate leges lib.II. de Orat. non temere arripere, verum justitiæ memores id observabimus, quod incorruptæ narrationi comitem modestiam perpetuo addiscamus. Erunt præterea ampli-

plissimæ hujusce Dissertationis Notæ, si quidquam è suscepto labore Martyribus nostris gloriæ Marsis autem & Celanensibus felicitatis afferant vel ornamenti. Quum etiam non modo historiam hanc illustrandam suscipiamus, sed objectas quoque difficultates dissolvere polliciti simus; in id curæ libenter animum intendemus: Descripta ex regione nostra exemplaria proferemus factaque cum aliis collatione, quid retinendum, quid mutandum vel explicandum occurret breviter aperiemus, ac licet insignium Censorum doctrina & ingenioli mei imbecillitate omnino essem deterritus; dissimulare tamen non potui, varias antiquissimi nostri Manu Scripti circumstantias in dicto Tomo v. nuper oculis exhibito, fuisse ab illis improbatas: Ubi docta emendatione, sed acri supramodum judicio Acta ipsa expenduntur. Quandoquidem omnes sciunt, Viros etsi eruditos, lucubrationes sæpe struere obsequentes sæculi genio, cui nihil placet, nisi critico sale sit respersum, ut scite inquit Cardinalis Bona de Psallent. Eccles. harm. in Præmon. ad Lect.: Ac Præsul egregius Joannes Ciampinius in Exam. Pontific. Rom. pag. 1. quasi pro re nostra dolens scribit: *Eo devenit in re literaria præsentium ingeniorum acumen, ut quo majori felicitate in omnium studiorum genere proficit, eo altiori indagine in perscrutandis illorum principiis insudet*; *adeo ut venerandam antiquitatis dignitatem in dubium revocari sanctissimaque religionis avitæ Monumenta denigrari aut everti non sinat*. Itaque Justitiæ caussa motus, ut Marsorum & Celanensium æquis postulatis faciam satis, ac ne importunum silentium, integritatem rerum, quæ diu firma fide servata sunt inquinare valeat, Actaque nostra per mille sexcentos circiter annos sincere custodita, nullo ævo detrimentum patiantur, Dissertationem hanc, Episcopali etiam congruentem officio in Sanctorum venerationem, aggredior. Quamquam enim nonnulla ad labefactandam illorum sinceritatem Viri docti & critici plus æquo rigidi objiciant; negari tamen nequit nec ipsi ibunt, inficias in antiqua Celani Ecclesia Passionalia hæc Acta fuisse per tot secula honorifice recepta tanquam fide digna:

Et ipsa quidem ab historica veritate non abesse, momentis non ineptis curabimus evincere, auctoritate fulti Scriptorum aliquot, quorum illustre in Romana Ecclesia viget nomen, atque honorifica habetur opinio.

Dolemus paullum, ipsos Bollandi Operis Continuatores eximios, plura Sanctorum nostrorum documenta omnino tacuisse: Nam anno M. DCC. XIX. ipse tunc Romæ degens, Dominico Petrantonii Trebano S. J. in Regia Marsicana Part. II. pa. 142. 171. commendato, dictorum Martyrum Vitam a Mutio Phæbonio sub anno M. DC. XLIII. typis editam, cum nonnullis additionibus M.S. selectis, ad eum finem communicavi, ut egregiis tunc temporis Viris, qui Studiosi de hoc negotio ad eumdem Dominicum e Belgio Austriaco literas dederunt, illam, ut factum est, transmitteret, cujus rei testimonium in cit. Regia Part. II. pag. 24. & 171. retuli: Nunc autem mirum, quod nulla de hujusmodi memoriis facta fuerit mentio! Error tamen venia dignus; cum illi fortasse obierint, qui acceperant; sive monumenta temporum decursu sint amissa: Proinde qui Bollandianum Opus postea sunt prosequuti, facile ea nesciverunt, quæ etsi in Marsis agentes, non sine peculiari studio ac labore fuissent consecuti. Gavisus vero non mediocriter fui, quod nuper in Sanctorum Orbis nova collectione ac in citato Bollandianorum Volumine v., Acta nostra pauca in rebus gravibus, plura in levibus notata fuisse cognoverint. Quæ res mihi caussam præbuit ac plane impulit, ut quo licet modo veritati consulerem: ac veluti subsidiariam præstarem operam Viris doctissimis, qui publico ac privato religionis bono allaborantes in magno ac latissime fuso Opere, nec omnia novisse possunt nec ita tractare singula, perinde ac unicum in illis sibi esset negotium cum plena cura conjunctum, & apud nos quidem, ob præcipua in ipsos merita eximii Joannis Bollandi & aliorum Illustrium Virorum e clarissima Societate Jesu de Sanctorum historia atque universa re Litteraria optime meritorum semper erit colenda memoria, eorumque laudi pari motus caussa perpetuo suffragabor. Laborem proinde nostrum, qualiscumque sit,

sit, æqui bonique faciant: quem imo eo animo proferimus, ut meliora promerentibus parati simus promeritam habere gratiam. Ad unam siquidem omnes contendimus veritatem: Hanc studio, hanc vigiliis, hanc labore perquirimus: Inventam autem impense suspicimus & gratulamur. Interea idipsum hic nos opportune repetimùs, quod ipsimet Viri doctissimi ejusdem Operis Continuatores Tom. I. Mensis Junii in Prælim. Apolog. edit. 2. Ven. pag. 43. n. 62. sapienter scribunt: *Meque hæc jactanter a me dicta accepi .... quasi nulla in libris nostris putemus errata aut correctione digna esse. Absit: homines enim sumus, quorum est errare .... & si quid per inscitiam humanam aut inadvertentiam vere erratum sit, christiana humilitate libenter emendare .... idque Viris studiosis molestum esse non debet nec erit nobis: imo, uti rogamus passim eruditos Lectores, ut animadversa sibi in Actis Sanctorum errata, indicare nobis dignentur; quo istis correctis perfectius semper evadat Opus .... ubi a vera descivisse cognoverimus, corrigere parati sumus*: Et Tom. III. Mensis Maii d. edit. 2. in Protest. ad Lectorem; *Quod ante ..... obtestamur ..... eos, qui meliora, aut veriora se habere putaverint; ea, ut dignentur communicare cupientibus discere & corrigi paratis, atque corrigere quidquid emendationis egere cognoverimus .....* Hoc officium vicissim præstabimus: Dicendis vero e nobis, ut lucem præferant, integrum de Sanctis Martyribus nostris illorum Commentarium prævium ex cit. Tomo V. Sanctorum Mensis Augusti ad diem XXVI. a pag. 778. ad 783. ut sequitur evulgatum, & per Paragraphos hìc distinctum recitabimus: Tunc Notas nostras, quæ locos in controversiam ac disceptationem vocatos expendent & illustrabunt, adjiciemus, ut æquo Lectorum judicio facili methodo omnia pateant.

§. II.

§. I I.

De SS. Simplicio, Conſtantio, & Victoriano MM. apud Marſos in Aprutio Italiæ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus, Translatio, Miracula, Acta.

„ MArſi Urbs Italiæ in Aprutio ulteriori prope Lacum „ Fucinum & in ejus parte Orientali, nunc exciſa „ & omnino diruta jacens; rudera Marſi adhuc dicuntur „ & Epiſcopalis Sedes translata fuit ad Piſcinam Oppidum „ tribus milliaribus a Celano Oppido diſſitum a Clemente VIII. Pontifice Maximo. Ejus Epiſcopus dicitur Marſorum & Marſicanus, eſtque in Aprutio; quanquam ſint, „ qui credant, nullam fuiſſe Urbem Marſi dictam, ut tradit Baudrandus. Plura habet Ughellus in Italia Sacra „ prioris editionis Tom.I. columna 952. & ſequentibus. „ Celani autem vel Cælani Oppidi meminiſſe juvabit poſtea, propter documenta, quæ dabuntur de Cultu horum Martyrum peculiari ibidem Loci: At primo illorum venerationem publicam aliunde probamus.

„ Stabilitur illa primo ex Actis dictorum Martyrum „ in Lectiones ſex diſpertitis necnon ex Antiphonis propriis ac Orationibus ſeu Collectis tempore Miſſæ adhibitis, quæ omnia poſtmodum producemus. Secundo ex „ utroque Catalogo Ferrarii, quippe in eo, qui eſt de Sanctis Italiæ, profert hac die compendium Martyrii ex „ Lectionibus in eorum Officio recitari ſolitis: in altero „ autem Catalogo, qui in Romano Martyrologio non ſunt, „ a die 20. hujus Menſis illos remittit ad diem 26., ubi citat in Notis Tabulam Eccleſiæ Marſicanæ. Tertio poſt „ mortem Cardinalis Baronii leguntur in Martyrologio „ Romano, in cujus editione, quæ anno 1635. in lucem „ pro-

„ prodiit primum illos reperio inſcriptos hoc modo: *Apud* „ *Marſos Sanctorum Simplicii, & Filiorum ejus Conſtan-* „ *tii & Victoriani, qui ſub Antonino Imperatore varie pri-* „ *mum excruciati, tum demum ſecuri percuſſi Martyrii co-* „ *ronam adepti ſunt*. Hac vero die illos itidem coli confi- „ citur ex Titulo, qui eorum Actis ſeu ſex Lectionibus „ M. SS. & poſtea dandis præponitur & hæc habet: *Die* 26. „ *Auguſti, feſto SS. MM. Simplicii, Conſtantii, & Vi-* „ *ctoriani, Cælani in Partibus Marſiæ*. Apographum no- „ ſtrum ſcribit duo ultima nomina Conſtantii & Victoriani „ per idiotiſmum Italicum, quem ſicut modo correxi, ſic „ eum corrigam ubicumque illum deinceps repererо.

„ Poſt Lectiones, de quibus agebam modo ſequuntur „ iſtæ Antiphonæ, quarum prima ſic ſonat, quæ eſt Anti- „ phona ad Magnificat:

„ *Gaude Felix Cælani Tellus, quæ tantorum Marty-* „ *rum memoriam tenes: quorum Corpora hic in pace quie-* „ *ſcunt, & ſic pro eorum paſſione, toto tu celebraberis in* „ *Orbe .... Exultent juſti ....* Alia Antiphona:

„ *Celani gaude Tellus digniſſima laude ſanguine San-* „ *ctorum meritis redempta tuorum. Lætamini in Domi-* „ *no ....* Alia Antiphona:

„ *Sancti ſub crudeliſſimo Antonino Pio Martyrium* „ *compleverunt, quia noluerunt obedire mandatis ejus nec* „ *ſacrificare Diis immundis. Exultabunt Sancti ....*

„ Oratio: *Da nobis clementiſſime Deus, Beatorum* „ *Martyrum tuorum Simplicii Conſtantii & Victoriani ſo-* „ *lemnitatem digne peragere, ut quorum ſanctiſſima Cor-* „ *pora dignis laudibus frequentamus, a cunctis malis im-* „ *minentibus eorum precibus adjuti miſericorditer eruamur,* „ *Per Dominum noſtrum ....*

„ Secreta Oratio: *Preces noſtras quæſumus Domine* „ *cum oblationibus hoſtiarum propitius ſuſcipe, & interce-* „ *dentibus Sanctis Martyribus Simplicio Conſtantio & Vi-* „ *ctoriano poſt hæc piæ devotionis obſequia* [quæ] *in hono-* „ *rem eorum devote peregimus, ad Cæleſtis gloriam Paradiſi* „ *pervenire valeamus. Per Dominum noſtrum ....*

„ Poſt-

„ Postcommunio Oratio: *Da nobis Omnipotens Deus „ horum Sanctorum MM. tuorum Simplicii Constantii & „ Victoriani* [Festum] *dignis frequentare Officiis, de quo- „ rum Corporibus conditis triumphamus auxiliis. Per Domi- „ num nostrum Jesum Christum ....*

„ Quæ de publica Sanctorum veneratione retuli, ha- „ ctenus illustrari possunt ex historia Inventionis, quæ nar- „ rat quomodo Corpora eorum sint inventa & translata. „ Ex hac historia, quam M.S. Italico idiomate habemus „ post Antiphonas necnon Collectas seu Orationes modo „ recitatas, excerpo sequentia, quæ quo authore, quo „ tempore sint conscripta non lego in ejusdem historiæ „ contextu. Præmisso itaque Actorum dictorum Compen- „ dio, narrat Anonymus sub Monte *Peticino* ad Fontem „ aureum hosce Sanctos pugiles occisos fuisse .... Territo- „ rio autem Celanensi, sicut pergit bellis destructo, eo- „ rundem Sanctorum Corpora deinde inventa fuisse asserit „ ac deposita in Paræciali Ecclesia dicti Territorii; arcæ- „ que inclusa marmoreæ, quæ, ait, pro Altari nunc ser- „ vit in dicta Ecclesia, ubi istam legi addit Inscriptionem: „ *Hic requiescunt Corpora Beatorum Martyrum Simplicii, „ Constantii, & Victoriani.*

„ Memorat præterea Anonymus ille, quia non pridem „ admodum restaurata fuit ista Terra, sacra pignora præ- „ dicta solemni cum supplicatione fuisse translata ad Ec- „ clesiam Collegiatam Paræcialem ejusdem Terræ novæ „ Celanensis sub nomine S. Joannis Baptistæ, ubi maxima „ cum veneratione honorantur usque ad præsentem diem „ Domino eorundem Sanctorum intercessionibus patrante „ continuo Miracula innumerabilia. Festum eorum cele- „ brari die 26. Augusti cum maximo undique Populi con- „ cursu & Reliquias illorum portari modo solemni per di- „ ctam Terram a Sacerdotibus: Item in adversis rebus in „ siccitate in continuis pluviis & in qualibuscumque rebus „ adversis Populum dictum recurrere ad Sanctorum isto- „ rum intercessiones, dumque exponuntur publice in præ- „ fata Ecclesia per tres dies continuos, subito eum exaudiri

„ idque

„ idque vicibus infinitis compertum esse experientia nec-
„ non Miracula visa esse evidentia. Subjungit denique sin-
„ gula eorum Corpora in singulis tribus hierogazophilaciis,
„ quæ laudat conservari; ac meminit nobilis Sacelli indi-
„ cans illud esse Dominorum Piccolominiorum, ardente
„ ibidem continuo lampade.... Hæc ex Anonimo. Uti-
„ nam Miracula, quæ tam profuse & liberaliter, tamet-
„ si obiter tantum perstringit, pervenissent ad nostras
„ manus.

„ Post hanc narrationem sequitur in nostro Apografo
„ ista Inscriptio, quæ ex Italico sic sonat latine: Isti sunt
„ versus insculpti in lapide Altaris SS. Martyrum in Colle-
„ giata S. Joannis Baptistæ Celani: Ex his autem versibus
„ nonnullos excerpo:

„ *Hic ego Simplicius jaceo sub rupe gemellis,*
„ *Hic prope me genitis, quorum Constantius hæret*
„ *Ante Patris lateri dextro lævoque secundus*
„ *Victorianus, & hic fraterno flamus in isto*
„ *Mausoleo terræ, fulgent spiramina Cælo*
„ *Vivida sidereo multoque redempta cruore*
„ *Martyrii ferro, flaminis variaque flagella.*

„ Alia quæ subduntur de eorum Martyrio, huc non
„ transcribo, sed pergo potius ad notas Characteristicas
„ Chronologicas, quæ hisce versibus inseruntur & e qui-
„ bus seligo sequentes:

„ *Ductor Apostolici Gregis Innocentius almus*
„ *Almificat Sulmone satus, datus est Pater Urbis*
„ *Septimus* . . . .

„ Electus fuit hic Pontifex die 17. Octobris anni 1404.,
„ obiit 6. Novembris 1406., quibuscum quoque concor-
„ dant sequentes temporis notæ, quas in memoratis versi-
„ bus invenio ita expressas:

„ *Sol tunc millenos centum quater egerat annos*
„ *Sextus erat socius primis, Indictio dena*
„ *Quartaque currebat Junii sub luce decena*
„ *Carmina Parmigene lapis accipe voce Joannes*
„ *Ossaque sancta tene veneranter in omnibus annis.*

„ Signantur itaque annus 1406. Indictio 10. ac dies
„ 10. Mensis Junii : Unde colligitur, quo tempore vel
„ translata sint trium nostrorum Martyrum Corpora in
„ prædictum Sacellum vel quando ibidem sit constructum
„ Altare in eorumdem vel ipsum Sacellum ædificatum aut
„ restauratum. Hisce hactenus præmissis perveniamus ad
„ Sanctorum Acta.

„ Duo eorundem apographa habemus, sed simili ar-
„ gumento ac stylo: Unum ex iis desumptum judicatur ex
„ M. S. D. Joan. Baptistæ Mari Romani, ac dispescitur in
„ novem Lectiones proprias pro Ecclesia, ut suspicari licet
„ Celanensi propter ea, quæ superius de hoc loco dicta
„ sunt, alterum vero apographum signatur transcriptum
„ ex antiquo Codice edino [immo hædino] idest membra-
„ naceo Aversf. Eccl. [si hæc recte lego, tam enim misere
„ scripta sunt, ut vix legi possint] idest, ut ego quidem
„ interpretor, Aversanæ Ecclesiæ, quæ est in Provincia
„ Terræ Laboris Regni Neapolitani. Quidquid sit exem-
„ plar istud, nos Aversanum vocabimus: M. S. vero, quod
„ primo nominabam loco cum secundo contuli, & quia
„ primum in multis erat mendosum & charactere non satis
„ perspicuo exaratum, conatus sum illud emendare, sal-
„ va rerum substantia, cum ex Aversano dono Ughelli huc
„ misso, tum proprio Marte & Lectoris commodo ac nar-
„ rationis contextui consulerem. Compendium porro Mar-
„ tyrii nostrorum Pugilum refert Ferrarius, uti indicatum
„ est superius numero....

„ Acta, quæ ex primo M. S. daturi sumus prælo, sub-
„ lestæ fidei nobis sunt, non una de causa. Nam primo
„ meminit eorum auctor numero .... divisionis nostræ de
„ tempore persecutionis Antonini Pii: Sed non scitur, Im-
„ peratorem illum ullam movisse persecutionem adversus
„ Christianos; immo vero contrarium omnino suadetur ex
„ iis omnibus, quæ de ipsius genio ac moribus fuse colligit
„ Tillemontius in historia Imperatorum Tom. 2. pag. 297.
„ & sequentibus. Non nego tamen, eo imperante Chri-
„ stianos non paucos Martyrio affectos fuisse ab ipsius Mi-
„ nistris,

„ nistris, prout refert Baronius ad annum Christi 142. in „ fine de rebus Christianorum tempore ejusdem Antonini „ Pii ita memorans: Etsi certum exploratum sit, nullum „ adversus eos ab Imperatore esse promulgatum Edictum, „ tamen vel invidia Magistratuum, quod Christianam Re- „ ligionem mirifice promulgatam viderent in diesque ma- „ joribus accessionibus crescere ac dilatari vel calumniis „ contradicentium nonnihil esse vexatam, tum cædes Sixti „ Papæ & aliorum, qui Romæ eodem Antonino imperante „ sunt passi, tum quæ de iisdem temporibus ab eodem, de „ quo proxime egerat, Justino sunt memoriæ proditæ, cer- „ tam exploratamque fidem faciunt; sed S. Sixtus seu Si- „ xtus I. apud nos Tom. I. Aprilis die 6. pag. 533. mortuus „ dicitur sub Hadriano. Hanc, quam modo refutavimus „ hallucinationem, vidit etiam Ferrarius in sua Annota- „ tione: *Antoninus*, ait, *qui persecutionem in Christianos* „ *quartam excitavit, non Pius, sed Marcus Aurelius &* „ *Lucius Verus fuit*: Licet Marcus Aurelius post Lucii Veri „ obitum erga Christianos ob victoriam illorum precibus „ ex Marcomannis reportatam se mitiorem exhibuerit, „ Martyres nostros tunc passos esse dicit Ferrarius, sed non „ probat. Quia tamen auctor Actorum confundere potuit „ Antoninum Pium cum Marco Aurelio Antonino, qui di- „ ctus est Philosophus, & regnavit cum Lucio Aurelio Ve- „ ro; idcirco superius posuimus dictos Martyres sub isto se- „ cundo Antonino per adverbium forte restricto, ut ali- „ quam saltem notam temporis poneremus. Imperavit Ti- „ tus Antoninus Pius ab anno Christi 138. usque ad 161., „ Marcus Aurelius Antoninus ab anno 161. cum dicto Re- „ gni socio: hic anno 169. obiit: ille 180.: Redeamus „ ad Acta.

„ Secundo suspectum in illis quoque nobis est nomen „ Pontii Præfecti Urbis, ut vocatur num....; nec illum „ reperio inter alios hoc officio functos, qui habentur post „ Fastos Romanos Consulares editos Amstelodami an. 1705. „ auctore Theodoro Jansonio ab Almeloreen.

„ Tertio difficultatem quoque movent, quæ memo-

„ rantur in Actis eodem num. . . . de *Gaudentia*, quæ si il-
„ lis credimus, relictis Viro & liberis cuidam Monasterio
„ S. Mariæ adhæsit ibique in servitio Dei cum Sororibus,
„ quæ ibi aderant, perseverans . . . . Etenim quis credat
„ tunc temporis, seculo videlicet secundo, quo imperavit
„ Antoninus Pius, extitisse Monasterium sub nomine S.Ma-
„ riæ ac Sorores seu Moniales habitasse. Non nego quidem
„ fieri tunc potuisse, ut Parthenon, etiamsi vis nomine
„ Sanctæ Mariæ nuncupatus extiterit, in quo piæ aliquæ
„ mulieres simul vixerint. Verum quia auctor, qui Acta
„ illa condidit, nescio quis, fallit vel fallitur in aliis bene
„ multis, an adeo mirum foret, si & hic hallucinaretur
„ strictique nominis Monasterium ac Sorores seu Moniales
„ Lectori obtruderet. Adde, quod non dicat, ubinam il-
„ lud situm fuerit, de quo loquitur Monasterium.

„ Quarto, quid dicam de Epistola Pontii Præfecti ad
„ Antoninum Pium, quæ habetur in Actis num. . . . ? Eam
„ sane apocrypham esse & fabricatam in cerebro suspecti
„ Actorum Scriptoris inducor, ut credam ex antecedenti-
„ bus, quæ de Pontio & Antonino observata sunt.

„ Quinto quis non credat personam esse larvatam &
„ fictitiam, sub cujus dictamine Acta dicuntur concepta
„ num. . . . ? Unus, inquit, illorum nomine Cæsareus, qui
„ passionibus Sanctorum ab ipso principio interfuerat . . . .
„ Sacri Baptismatis Unda a quodam Presbytero nomine
„ Crescentio renatus, cum eodem . . . . Sanctorum Corpora
„ sepelivit. Quo facto, Florentium Diaconum visitave-
„ runt, exorantes, ut Sanctorum Martyrum Passiones &
„ mortem eo stylo conscriberet: ego autem . . . . Credite
„ Posteri . . . .

„ Sexto, melioris enimvero Notæ Scriptore opus es-
„ set, ut tot mirabilia Actis inserta invenirent fidem histo-
„ ricam apud Lectores rerum hujusmodi peritos. Quæ cum
„ ita sint, facile perspicit æquus rerum arbiter, Acta illa
„ non esse genuina, sed merito suspecta ex speciminibus
„ paucis, quæ jam prolata sunt. Plura reservamus pro an-
„ notatis, quæ eorundem Actorum narrationi subjiciemus:

„ Il-

„ Illorum vero auctorem, falsam personam, mentitum
„ vocabimus anonymum.

ACTA AUCTORE ANONYMO:

Ex M. S. D. J. B. Mari Romani ad aliud Apographum collata.

„ IMperante vero Augusto, ingens persecutio per Universum excanduit in Christianos, ita ut quicumque Christi Cultor inveniretur, vel Idolis sacrificaret vel capite plecteretur. Eadem die Pontius Præfectus ab Antonino Imperatore missus est in Franciam, Imperiales deferens literas, in quibus hujusmodi præcepta continebantur: ut quicumque Christum confiteretur, mortis judicio condemnaretur vel si de nobili genere esset; Romam innumera tormenta recepturus mitteretur. Dum vero Legatus Pontius ubique per Franciam Imperiale exercet præceptum, venit ad Portum Illyris, ubi dum ad sacrificandum populum compelleret, nuntiatum est ei tres ibi esse Christianos, qui Idolis sacrificare nolebant, imo Dominum Cæli toto corde & ore venerabantur, sed quia inhonestum est tantorum Martyrum originem silentio præterire, exequar.... breviter Ortum, Vitam, & Passiones eorum.

Benchè sotto Antonino vi fosse persecuzione, questa non fu grande, e fu un resto di quella degli altri. Antonino non ha fatti editti contro i Cristiani. Francia nome de' tempi bassi.

LECTIO I.

„ FUit enim Vir egregius nobilis & dives Simplicius Uxorem habens Gaudentiam nomine, ex qua duos edidit liberos Constantium, & Victorianum, qui ambulans in Fide Dei, plus appetens Cælestia quam terrena tempore persecutionis Antonini Pii, a S. Januario unâ cum Conjuge & duobus liberis Sacri Baptismatis fonte renatis, Christum verum Deum de Virgine Maria natum, mortuum & sepultum, & tertia die resurrexisse a mortuis, Cælos ascendisse, Spiritum Sanctum Apostolis dedis-

„ dedisse totis viribus prædicare cæperunt. Gaudentia ve„ ro relictis Viro & liberis, cuidam Monasterio Sanctæ „ Mariæ adhæsit ibique in servitio Dei cum Sororibus, „ quæ ibi aderant perseverans, non antea mortua est, „ quam Dei Genitrix Virgo, in cujus Cænobio die noctu„ que servierat, veniens, ejus Animam multis videntibus „ ad Cælestium agmina cum hymnis ac choris transporta„ vit. Sed quia longum est enarrare quæ & qualia ad ago„ nem Imperatoris Antonini prædictique Pontii Præfecti „ Urbis pro Fide Christi successerint, nunc ad ea, quæ ab „ iniquissimo Præfecto & Antonino Imperatore passi sunt, „ veniamus. Tu autem Domine miserere nobis.

a tempi d'Antonino non vi erano conventi di Monache

LECTIO II.

„ PRæfectus vero Pontius constituto die sedit pro Tribu„ nali jussitque Sanctos Simplicium, Constantium, & „ Victorianum accersiri, quibus dum in præsentia ejus as„ sisterent locutus est, dicens: *Video vos juvenes præcla„ ros & splendidos, sed genus vestrum ignoro: cujus pro„ fessionis estis requiro*. Ad hoc S. Simplicius respondit: „ Genus quidem ex illustri Prosapia Burgundiorum traxi„ mus, professionis Christiani sumus & Christum Deum „ Cæli & Terræ Factorem de Virgine natum credimus & „ adoramus. Præfectus: si genere quidem estis præclari „ & Personæ clariores, cur non vestræ saluti consulitis, „ quæ ambiguitas vos reclusit? Dereliquistis antiquam cul„ turam Deorum, adhærentes cuidam a Judæis crucifixo. „ Quod si bona hujusmodi lucrari cupitis & in amicitia „ piissimi Imperatoris cadere, consulo vobis tanquam ca„ rissimis, ut hanc superstionem relinquatis & ad sacrifi„ candum Jovi Neptuno Plutoni Minervæ & Palladi, quæ „ piissimus Imperator in magnam venerationem habet, ve„ nire non differatis; si vero venire tardabitis, diversis sup„ pliciis vos interimi faciam.

„ Ad hæc S. Simplicius unà cum liberis dixerunt: no„ mina ista, quæ nobis Præses commemoras, non Deorum

„ sed

„ sed corruptibilium hominum fuere, eaque nos & omnes „ fore per sanum consilium pro nihilo haberi debent; si „ vero vis unius & Omnipotentis Dei cognoscere nomen „ istud, quod nos in Trinitate perfecta tibi explanamus, „ idest Pater, in quo omnia, Filius, per quem omnia, & Spi- „ ritus Sanctus ab utroque procedens; hæc est vera Trini- „ tas unus & Omnipotens Deus. Filius enim, sic ait Apo- „ stolus, formam servi accepit, & cum esset in forma Dei, „ non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed se- „ metipsum exinanivit formam servi accipiens in similitu- „ dinem factus hominum & habitu inventus ut homo. Hu- „ miliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem „ & mortuus est pro nostris delictis, cujus nos sumus san- „ guine redempti. Hic est Christus, Dei & hominum me- „ diator, & hic est ille Agnus, qui tollit peccata Mundi, „ quem tu miser ignoras, in quem si recta velles credere „ Fide & delictorum veniam habere & æternæ vitæ gaudia „ adipisci valeres.

Questo parlare della 'Trinità' è da uno posteriore al Concilio Niceno.

„ Quibus Præses: Audite me juvenes Christiani, Chri- „ stum, quem confitemini, a Judæis tempore Pontii Pilati „ Hierosolymis crucifixum esse audivi. Quare in eum, qui „ se crucifigi permisit, credere impellitis? Sancti vero „ responderunt: Proditio & Crucifixio, nostra fuit redem- „ ptio peccatorum: Non enim homo liberaretur incendio, „ nisi Christus Filius Virginis Mariæ suo pretioso sanguine „ redemisset. Pontius vero hæc audiens, permotus animo „ astantibus præcepit, ut Sancti Martyres tamdiu virgis „ ferreis tunderentur, quousque illam superstitionem re- „ linquerent & dictis ejus obtemperarent. Ministri autem „ jussa Tyranni adimplentes, voluntate Jesu Christi Domi- „ ni Nostri, qui sperantes in se non derelinquit, factum „ est, ut omnes qui in Sanctos Martyres manus extende- „ runt, validis febribus arrepti, vitam exhalarent. Ea- „ dem hora viri & mulieres, qui ad tantum spectaculum „ cernentes Miracula, quæ per suos Martyres operabatur „ Deus, crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum, „ promiscui sexus viginti duo, quos iniquus Præfectus al-

„ tera

„ tera die decollari jussit. Interea Sancti Martyres in vir-
„ tute D. N. J. Christi cæcos illuminabant, infirmos cura-
„ bant & ab obsessis corporibus Dæmonia expellebant. Tu
„ autem Domine miserere nobis.

LECTIO III.

„ Pontius vero Præfectus capitalem in Sanctos Marty-
„ res nolens exercere sententiam, quia ei non fuerat
„ permissum, tum quia de nobilioribus illius Regionis or-
„ ti erant, in arcta custodia eos detrudi jussit quoadusque
„ Romam cum custodibus mitteret. Sancti vero dum custo-
„ dia mancipati essent, singulis diebus Dominum exorare
„ cæperunt, quatenus mansionem, qualis esset, sua mise-
„ ricordia eis ostendere dignaretur [Cælestis Hierusalem]
„ nocte sequenti apparuit eis Angelus Domini splendens
„ sicut sol, vestimenta ejus alba sicut nix præcinctus ad am-
„ bulandum: quem dum Sancti cernerent, nimio fulgore
„ perterriti, proni ceciderunt in terram: quos Angelus
„ Domini blandis alloquitur verbis, dicens: Simplici sur-
„ ge liberosque tuos excita; placuit enim Domino, tibi
„ uxori filiis Paradisi mansionem condonare, ut cum suis
„ omnibus gaudio superno repleti æternaliter floridi sem-
„ piterna vita unanimiter fruamini. Eadem hora ostendit
„ eis Angelus Domini cælestem Hierusalem, omnem glo-
„ riam Sanctorum omnemque miseriam malefactorum ho-
„ minum. His vero ab Angelo omnibus Dei ostensis; in
„ Fide Christi firmiter eos corroborans, ipsis videntibus
„ Cælos remeavit.

„ Præterea Pontius sacrilega cupiditate captus, sedit
„ pro Tribunali & Sanctos Martyres sibi præsentari fecit:
„ eos iterum Diis omnipotentibus sacrificare monuit. San-
„ cti vero dictis iniquissimis obtemperare nolentes, virili-
„ ter corde & ore Deum confessi sunt; Unde iniquissimus
„ Præses manus terga ligari a Ministris præcepit & Romam
„ bene custoditos ante conspectum Imperatoris eos veloci-
„ ter adduci. Dum autem iniquissimis jussis parerent Mi-
„ nistri,

„ nistri, Sanctos ligaverunt, & viam pariter cum eis age-
„ re cæperunt: ipsisque de Civitate egredientibus, tantnm
„ luctum Illyricus Populus præ amore Sanctorum agere
„ cæpit, quod multi eorum vestigia sequentes, cum eis
„ Romam pariter venerunt: quidam autem gressus facere
„ non valentes, ab impiissimo Præfecto capite plecti me-
„ ruerunt. Interea Sancti Martyres in itinere multa mira-
„ bilia, quæ modo per singula enarrare non valeo opera-
„ bantur: sed quæ in Civitate Ravennæ Dominus operatus
„ sit, silentio prætermittere non possum: quædam Puella
„ de Urbe Ravennæ, præclaris orta natalibus octo conti-
„ nuis annis lumen oculorum amiserat: nunquam tribus
„ annis visum præclarum habuerat & Mater ad recuperan-
„ dum lumen Filiæ suæ arte Medicorum frequenter Pater
„ eos visitaverat. Cum vero nullum remedium salutis in-
„ venire possent, jam quasi mortuam parentes ejus conti-
„ nuo lugebant: accidit; ut quadam nocte, cum Domi-
„ nus suos Martyres vellet non sub nubilo, sed supra can-
„ delabrum ponere, ut a cunctis viderentur & illi luce-
„ rent Civitati quatenus in Sanctis suis magnus esset. Pa-
„ ter itaque Puellæ dormiens, quadam cælesti voce voca-
„ tus: Corneli cras summo mane accipe filiam tuam &
„ secus Romanam viam sede ibique .... Sanctos Martyres
„ expecta, qui Romam palmam vitæ recepturi mittuntur.
„ Cum autem venerint, eos roga, ut tantum manus super
„ oculos filiæ tuæ imponant & pristinæ saluti restaurabitur.
„ Et ubi lux est reddita Terris, secundum Angelicam mo-
„ nitionem vir surrexit, & locum, ubi sibi prædictus fue-
„ rat una cum filia petiit. Illo in via expectante, ecce
„ Sancti Martyres vultu lætissimo advenerunt: quos dum
„ vidit, ad pedes eorum provolutus rogando postulabat,
„ ut saltem manus pro amore Dei super oculos filiæ suæ im-
„ ponerent: dicebat enim, credo quod filia mea sola San-
„ ctorum manuum impositione pristinæ possit saluti resti-
„ tui. Tu autem Domine miserere nobis.

LECTIO IV.

„ AD hanc vocem Sancti Martyres in terra genua fixerunt, fundentes has Domino preces: Domine Deus, Creator ineffabilis, tu qui oculos cæci nati ad magnificentiam demonstrandam aperire dignatus es, respice propitius super hanc famulam tuam & ut nomen tuum gloriosum digne laudare possit, pristinum lumen restituere digneris, ut videntes nomen tuum, quod est benedictum in sæcula, collaudent. Cumque orationem explessent, Simplicius Puellam accepit & facto signo Crucis velut squamæ ab oculis ejus ceciderunt, statimque lumen recepit. Tunc omnis Populus, qui videre venerat pedibus Sanctorum provolutus, illos ut saltem diebus duobus in Civitate Ravennæ commorarentur, exoravit, sed dum iniquissimi Præsidis Ministri eos morari non sinerent, Romam, veluti eis jussum fuerat, Sanctos perduxerunt.

non vi era la Basilica di S. Pietro

„ Ingressu vero Urbis volentes Sancti ad Basilicam Sancti Petri pergere antequam Imperatoris conspectui præsentarentur, cumque Ministri iter Sanctorum impedirent, voluntate Dei & Apostolorum Petri & Pauli factum est, ut ligamenta, quibus ligati fuerant solverentur & nulla interveniente cognitione ad Basilicam Apostolorum pervenerunt. Ministri vero, qui Sanctos perduxerant ita mentibus sunt alienati, quod nec eos videre neque tenere potuerunt. Dum hæc Sancti gererent, multitudo Christianorum, quæ ibi secrete morabatur eos sequi tanta quantitate cæperunt, quod quando ad Beatorum Apostolorum limina pervenerunt, fere ducenta millia Sanctos sequebantur: Unde tanta inter Idolatras & Christiculas eadem die orta est dissentio, quod Christiani interfecerunt mille Paganorum Legati Pontii Præfecti [curiam] Antonini petentes, qui eis constituerat, quod eis contigerat, & qualiter Sanctos Romam perduxerunt per ordinem Curialibus Imperatoris retulerunt: Non enim eodem tempore Romæ Imperator fuerat: æsti-

cosa indegna de' Cristiani di quei tempi, e però falsa.

„ vum

„ vum fere tempus in partibus Marſiæ celebrabat. Tu autem Domine miſerere nobis.

LECTIO V.

„ Curiales vero timentes; ut ſeditio quæ per Sanctos orta fuerat, amplificaretur Sanctos Martyres capi facere cæperunt. Itaque per eoſdem ad Imperatoriam celſitudinem cum Literis ex parte Pontii miſſis transmiſerunt. Exemplar Literarum hoc eſt: Auguſto Domino Pio Antonino Pontius Præfectus Famulus: quia veſtræ placuit Clementiæ celſitudini, me ad partes iſtas transmittere, in quibus vero parvum pro veſtro Imperio laborem ſuſtineo quotidie: Inveni enim populum adverſus culturam Deorum ſatis errantem, juxtaque inveni hos quidem nobiles viros, ſed Diis; per quos veſtrum gubernatur Imperium [reluctantes] cum multis minis & tormentorum generibus eos ad ſacrificandum compellerem, & ipſi penitus eis obedire & ſacrificare [contemnerent] atque in eis capitalem ſententiam exercere non valeo, quia non mihi a veſtra Majeſtate permiſſum fuerat, ad veſtræ Majeſtatis examen eos venire mandavi; valete, meque veſtrum Famulum memoria tenete.

non è la formula solita d'allora

„ Perlectis itaque Literis in præſentia Imperatoris, perſpicue a Sanctis quærere cæpit, quare non Diis, per quos totus gubernatur Mundus. ſacrificare vellent. Sanctus Simplicius una cum Filiis audacter reſpondentes dixerunt: Audi nos Imperator, in tuo judicio pendeat, utrum Factori omnium Creaturarum, vel Idolis manu factis, quæ ſe ipſa adjuvare minime poſſunt, credere debemus: Nonne Creator major eſt creatura? Mox Imperator reſpondit: alius Deus præter iſtos, quos nos adoramus; nuſquam eſt. Quare vobis præcipio, ut non ſyllogiſmatica verba componatis, ſed Diis immolare non differatis. Quod ſi facere tardabitis, vita veſtra non diu prolongabitur. Sancti vero una voce reſpondentes dixerunt; nos autem mori potius parati ſumus, quam Ido-

„ lis immolemus. Tunc Imperator ira commotus, fecit „ eos in arcta custodia in loco, qui Passularis dicitur, in- „ duci, serpentibus & scorpionibus pleno. Dum autem „ includerentur, Domino preces fuderunt, ut qui sua mi- „ sericordia tres pueros de camino ignis ardentis liberavit, „ ipse a veneno illorum animalium eos liberaret sua pie- „ tate illæsos. Unde illius voluntate, qui creavit omnia, „ factum est, quod illa animalia mansuescere cæperunt; „ quod nec venenum, nec aliud, per quod Sanctis nocere „ possit, ab illo die secum portaverunt. Tu autem Domi- „ ne miserere nobis.

LECTIO VI.

„ Triduo in carcere gloriosissimi Martyres perseveran- „ tes, nec cibum nec potum sumentes, vocem de „ Cælo dicentem eis nocturno silentio audierunt: Simpli- „ ci surge, quia pro Fide Christi una cum Filiis tuis viri- „ liter dimicasti: ecce Regni Cælorum viæ sunt vobis pa- „ tefactæ. Cras in Nonarum hora cum palma cæleste Re- „ gnum intrabitis. Ad hanc vocem Sancti a somno exci- „ tati sunt & per totam noctem in orationibus vacave- „ runt. Sed cum jam dies illucesceret, impiissimus Impe- „ rator Sanctos Martyres suo conspectui repræsentari fecit, „ quærens utrum juvenilibus annis vellent indulgere & „ Idolis sacrificare, an vellent judicio mortis condemna- „ ri. Sancti Martyres respondentes dixerunt: O Impera- „ tor, nos libentius judicio mortis condemnari volumus „ pro Christo; quam Idola manu facta adorare, cum scri- „ ptum sit, quod omnes Dii Gentium Dæmonia, & qui in „ eis confidunt, pereant ac in æternum confundantur. „ Tunc Imperator hæc audiens, irato animo Ministris præ- „ cepit, Sanctos in plaustro novis funibus ligari firmiter, „ ut eo currente, hujusmodi morte condemnarentur. Cum- „ que juvencos ut currerent, Ministri acceperunt, nutu Dei „ factum est, ut nec magis nec minus quam voluntas eo- „ rum esset, currerent. Ita quippe sanos incolumes a loco,

„ ubi

„ ubi reclusi fuerunt, ad aureum fontem, qui ad radices
„ Peticini Montis oritur, Sanctos perduxerunt, illic dia-
„ bolico tacti spiritu, iniquissimi Imperatoris jussum adim-
„ plentes, Sanctos Martyres pariter decollaverunt. Ea-
„ dem hora terræmotus magnus per totam Marsiam factus
„ est, ita quod Sanctorum interfectores per totum diem &
„ noctem nec loqui, nec diurno surgere potuerunt. Al-
„ tera vero die cum ad se redirent, unus illorum nomine
„ Cæsareus, qui passionibus Sanctorum ab ipso principio
„ interfuerat, pristinæ Sanctorum proditionis recordatus,
„ eorum Corpora colligendo, Domino credidit ac Sacri
„ Baptismatis unda a quodam Presbytero nomine Crescen-
„ tio renatus, cum eodem in scriniis Sanctorum Corpora
„ ad prædictam Montis radicem collocavit. Collocatis
„ Sanctis Martyribus, prefatus Cæsareus una cum Presby-
„ tero Crescentio Florentium visitaverunt, exorantes ut
„ Sanctorum Martyrum passiones & mortem eo stylo con-
„ scriberet. Ego autem licet ad tantum opus [sic] inido-
„ neus, tamen devotione devinctus ausus fui ea, quæ ab
„ iisdem de Sanctis Martyribus concepi pro mentione di-
„ ctare. Passi enim fuere septimo Kalendas Septembris ad-
„ juvante Domino, cui est honor & gloria in sæcula sæculo-
„ rum Amen. Tu autem Domine miserere nobis.

Annotata ab iisdem Continuatoribus in pag. 783.

„ IMperator Antoninus, ut infra scribitur, Pius nullam
„ concitavit contra Christianos persecutionem. Vide
„ Commentarium prævium n..... Consule ibidem di-
„ cta n.....

„ Franciam hic intelligit auctor vel antiquiorem, quæ
„ scilicet in Germania e variis ejusdem Regionis populis
„ coaluit sub Francorum nomine, vel posteriorem, idest
„ eam Galliæ partem, in quam Franci antiqui sedes suas
„ ac nomen postea invexere. Sed neutra cohæret cum tem-
„ pore,

„ pore, quod idem auctor in hisce Actis designat. Non „ antiquior, quia sicut Baudrandus memorat inter alia ad „ vocem *Franci*, etsi sub hoc nomine acerbissima bella ad- „ versus Romanos gessere, primum tamen innotescere cæ- „ perunt, Valeriano, & Gallieno Imperatoribus circa an- „ num Christi cc. xxiii. [forte voluit scribere 254., vide „ Tillemontium tom.3. Imperatorum in Valeriano art.3.] „ Non etiam posterior: nam cis Rhenum Gens illa migra- „ vit primum post initia sæculi v., de qua re consuli pos- „ sunt Annales Ecclesiastici Francorum Cointii tom.1. ad „ annum 406. & sequentibus. Forte Franciam pro antiqua „ Gallia posuit rerum ignarus Martyriographus, hanc cum „ illa confundens.

„ Portus Illyridis ac num..... Illyricus Populus, quo- „ modo cohæreat cum hac Sanctorum historia, non satis „ concipimus. Videri possunt quæ scribit de hac Regione „ Cellarius lib.2. Geographiæ antiquæ cap.8., & quæ ibi- „ dem exhibet in mappa ad pag.346.

„ Monasterium hoc nobis est sublestæ fidei ob dicta „ in nostro Commentario prævio.

„ Burgundiones in Gallia nondum erant sæculo ii., „ In Philippi Cluverii Introductione ad Geographiam a „ Labbeo auctam, & Parisiis editam anno 1661. libr. 2. „ cap.13. sunt ista in rem nostram: eadem tempestate [ni- „ mirum circa annum Christi cccc. ut paulo ante præmise- „ rat] Burgundiones ab ultima Germania [pars Cassubio- „ rum, parsque Brandeburgensium nunc ea loca tenent] „ cum Vandalis Svevisque profecti, alias Galliæ partes „ occuparunt, Regnoque constituto, Burgundiæ nomen de „ suo imposuerunt. Perperam itaque in Compendio Acto- „ rum etiam dicitur apud Ferrarium: *Simplicius nobili ge-* „ *nere natus ex Burgundionibus ortum ducens in Gallia....*

„ De hac Epistola egimus in Commentario nume- „ ro....

„ Locum hunc Incolis indagandum relinquo, quem „ in Mappis geographicis, quas consului non inveni.

„ M. S. Aversanum, Petricini, Ferrarius Pescini. In „ Inscri-

„ Inscriptione metrica, de qua Commentarius prævius
„ num..... Mons Tinus vocatur: Cum vero Territorium
„ Celanense Montibus sit frequentissimis quasi obsitum, in
„ Monte scilicet Apennino jacens, ulteriorem ejusdem Lo-
„ ci notitiam Incolis explanandam relinquimus. Nisi for-
„ te inscribendum sit Piscicinus conformiter ad Oppidum
„ Piscinæ, de qua in Commentario prævio num....
„ Personatum hunc esse Auctorem indicavimus in
„ Commentario prævio numero....

§. III.

HActenus Commentarius prævius, Acta Sanctorum Martyrum nostrorum & Notæ criticæ dictorum insignium Virorum Joannis Pinii, Guilielmi Cuperi & Joannis Stiltingii S.J. Theologorum, qui laudatum Bollandi continuarunt Opus ad d. diem XXVI. Mensis Augusti Volumine V. cit. pag. 778. ad 780., nostra nunc sequitur Dissertatio cum animadversionibus, quibus objecta diluere ac refellere enitemur. In hac congruenti studentes brevitati, tractandarum rerum perspicuitatem non negligemus. Supervacuis proinde prætermissis, primum ea inquiremus, quæ de Marsis, & Marsia Urbe objiciuntur: Tum cætera prosequemur eandem sectantes methodum, quam eruditi Censores sibimetipsis præfixerunt. In citatis enim locis ita dixere: *Marsi Urbs Italiæ in Aprutio Ulteriori prope Lacum Fucini....* Et sic de Marsia Urbe: *Quanquam sint, qui credant, nullam fuisse Urbem Marsi dictam....*

NOTA I.

MArsorum Populos in Italia celebres magni nominis fama semper floruisse constat ex omnibus fere antiquis, recentibusque historiarum & Geographiæ Scriptoribus; ex his Strabo libr. V. Livius multis in locis, ac præsertim libr. LXXII., & Plinius hist. Nat. libr. VII. cap. II. illorum potissime meminerunt: Philippus autem Cluverius
cum

cum acceffionibus Joannis Bunonis libr.II. cap.XXVIII. pagin.233. five 234. de ipfis fcribit: *Marforum lingua eadem fuit, quæ Sabinorum; unde colligitur, eos ejufdem cum his fuiffe generis. Sedes fuas habuerunt inter Veftinos, Pelignos, Volfcos, Hernicos, Æquos, & Sabinos. Alba Fucentis a Lacu Fucino fic cognominata fuit, Oppidani dicti funt Albenfes. Alba .... fæpenumero cuftodiæ loco fuit a Romanis data .... Huc Syphax Numidarum Rex, Perfeus Macedo cum filio Alexandro, & Bituitus Avernorum Rex, aliique in cuftodiam miffi funt ...*: Vide Ortel. in Geograph. Pitifcum in Lexic.Roman. antiquit. Tom.II. pag.166., Rufcell. hift. Campan. pag.88. Urbem quoque Marfiam apud Marfos exftitiffe eamque olim vetufto fplendore ac opibus miferrime fpoliatam refert Mabillonius Annal. Benedict. Tom.V. fol.603., & Ferrarius in Catalogo Sanctorum fol.501. Sanctum Rufinum Epifcopum in Marficana Civitate prædicantem memorat. In M.S. Caffinenfis Cænobii, quod retuli in Regia Marficana Part.I. cap.I. ita habetur: *S. Benedictus in Marfia*: Leo Oftienfis in Chron. libr.II. cap.VII. *In Civitate Marficana*, & cap.XVI.: *Jam illi prope Marfiam in Campo ....*: Angelus de Nuce Annotat. ad d. Chron. Oftienf. num. marg.914. pag.228. fcribit: *In Marficana Civitate ....* In antiquis Marforum Chronicis Bibliothecæ Vaticanæ ex Cod. M.S. 4964. fol.6. hæc notantur: *Uxor Comitis Marficanæ Urbis ... Actum Marfi ...*: Quicquid dixerit Ughellus Ital. Sacr. Tom.I. edit.I. col.953. vel edit.2. col.883., fabulam effe aliquando in Marfis Civitatem Marfiam exftitiffe, quam Fucini Lacus abforpferit; laudatus de Nuce in Prolog. num. marg.453. pag.84. fic eidem refpondet: *Erat .... olim Marficana Civitas .... in Regione Marforum .... Marfiam tamen Ughellus dicit fuiffe .... Marfiam Civitatem .... fabula eft .... certe hac de re .... Leonis fidei ftandum. Scio tamen Civitatis .... ampliori fignificatione ufurpari ...; qua ratione Marforum univerfa Regio una Civitas dici potuiffet: Verum in hoc fenfu ab Oftienfi nomen Civitatis accipi, neminem puto exiftimaturum: interdum tamen ipfemet Leo Marfiam accipit pro tota Marforum Regio-*

gione .... De Marsis item egerunt Silius Italicus libr.viii. de Bello Punico II. Cælius Rodiginus lib.vii. cap.xvi. Rotin. antiquit. Roman. libr.II. cap.iv. Vadianus in Abbrev. Geograph. Ital., L. Camarra de Teat. antiq. libr.i. cap.i. & II., L. Albertus Ital. illustr. pag.149. Briet. Geograph. Tom.II. part.II. libr.v. n.6., Cellar. Tom.i. pag.761. Kircher.in Lat. Vet. & Nov. cap.viii. M. Phæbonius in Marsicana historia ego de Viris illustribus Marsorum, & in cit. Regia Part.i. libr.i. Alii vero celebrioribus xvii. Italiæ Provinciis Marsicanam adscribunt, quæ olim & Valeria fuit vocitata Magnique Gregorii Papæ commemoratione clarissima in Tom.II. Dialog. libr.i. cap.iv. xi. & xii. : Præterea gentem ipsam literis & armis insignem fuisse patet ex his, quæ in allegatis nostris opusculis historicorum auctoritate conscripta leges. Anno U.C. DC. LXIII. notissimum sociale exstitit bellum, quod & Marsicum appellatum est ab auctore Livianæ Epitomæ libr.LXXI. a Lucio Floro cap.xviii. ab Eutropio libr.v. pag.58. a Petavio Ration. Tempor. part.i. libr.iv. cap.xvi. & a Strabone libr.v. his verbis: *Marsicanam ideo nominatum est bellum, quoniam a Marsis suscitatum fuerat*; ideoque Andr. Antonellius hist. Ascul. libr.i. fol.8. ex Appiano Alexandrino juxta versionem Petri Candidi ait: *Est Marsorum Natio bellicosissima admodum* ...; *cum prius neque adversus Marsos neque sine Marsis triumphus ullus adeptus sit*.

NOTA II.

Alia insignium Bollandianorum verba in dicto §.II. sic sonant: *Celani autem, vel Celani Oppidi meminisse juvabit postea propter documenta, quæ dabuntur de cultu horum Martyrum peculiari ibidem Loci* ... Hæc quam probe narratis ac sinceræ veritati congruant, ex infra dicendis facile quisque judicabit. Cæteri quoque Scriptores, Cliterniam Cliternam & Cliternum varie appellarunt, cum Cicerone libr.ix. Epistolar. Philip.viii. Plinio libr.III. cap.x. Pomponio Mela Cluverio Geogr. Tom.i. pag.785. & Phæbonio in Marsorum gestis libr.III. cap.vii., ut in Reg. Mar-

fic. libr.II. part.I. cap.I.: Plerique autem id Oppidum, Celani nomine vocitarunt, fcilicet Pontanus de Bell. Neap. libr.I. pag.272. Gianettafius in fua hiftoria Tom.II.libr.XLI. & alii: Plinius libr.III. cap.V. fcribit, Cliternum fuiffe Romanorum Coloniam atque propter vetuftos fines prope Marfos locavit: Nizolius in Thef. ling. Latin. Tom.I. fol.597. hæc habet: *Cliterniæ Italiæ Oppidum eft.... Ptolomeo dicitur Cliternum, vulgo Celanum*. Celanenfes itaque apud Marfos & Latium exftitiffe probant Sigonius de antiq. Ital. libr.I. cap.III. & Cardinalis Corradinus in fuo Latio Tom.I. pag.15.: Plinius Secundus hift. Natur. libr.III. cap.XII. fic ait: *Sequitur Regio quarta gentium vel fortiffimorum Italiæ ... Marforum ... Cliternini*: Baudrantius Geograph. Tom.I. pag.219.: *Marforum in Italia prope Appenninum, quod Cliternia dicitur a Pomponio Mela, nunc teftibus Meletio & Magino eft Celano.... ad Lacum Fucinum, fed alii Cliternum in ipfa Lacus ripa interiiffe fcribunt.... hinc Populi Cliternini....* Titus Livius Decad.III. libr.IV. edit. Bafileæ 1549. pag.369., Cliternum latine defcribit, etfi citatus Phæbonius pag.231. fubdat: *Cliternum .... hac adjectione Marforum factum eft, fed ut locus, ita fines incerti*. His tamen paribufque hiftoricorum fententiis fere invicem adverfantibus omiffis, hæc infuper non tam remota Cliterni feu Celani Oppida illuftrabimus: Alterum nempe relato nomine antiquitus vocatum: alterumque Celanum, ex quo Celanenfes dicti funt a Chiufolio in nova Geograph. Tom.I. cap.IX. pag.376. Id enim in Pificino excelfo Monte jampridem conftructum, ab alto fuum claudebat finum: Arcemque olim fortiffimam in munito loco extollens inexpugnabile propemodum cenfebatur, cujus meminere Dolglionus in Amphit. Europæ pag.655. a t. Niger. Geograph. lib.VII. pag.586., Phæbonius & alii. Veruntamen anno M. C. XLIII. & fequentibus, quum a funeftiffimo feculis omnibus memorando bello Marforum Provincia vaftata fuiffet, Celanum quoque jacturas pertuliffe narrant Chronicon Foffæ novæ Joannis de Ceccano apud Ughellum Ital. Sacr. edit.2. poft Tom.X. n.I. & Kirchardus de S. Germano in cit. auctore col.

col.193. ad 197., qui alias etiam Celano erumnas a Friderico Imp. anno M. CC. XXII. inlatas refert: *Servientes .... cum scutis super Celanum vadunt .... Celanensibus precipitur .... quibus exeuntibus Celanum totum dirutum & combustum sola Ecclesia S. Joannis superstite remanente; sicque mutato nomine, quo Celanum antea vocabatur, est Cesarea postmodum appellata*: proinde a Scriptoribus hoc disticho ipsa roboratur historia:

Vires & nomen Celanum perdit & omen
Fertur Cesarea caesaque facta rea.

Luctuosam hanc cladem, quæ Celanum oppressit, Marsos deterruit ac pretiosa quæque regionis devoravit, Capicius Latro narrat in sua hist. Neap. Part.II. pag.82. 86. & addit, Fridericum anno sequenti Celanum magna ira perrexisse: quod Ciarlantes hist. Samn. lib.IV. pag.330.333. & Costa in Apolog. Regni Neap. pag.30. 31. testantur, qui Friderici barbara facta notarunt. Celani ergo tot tantisque malis confecti, ac pene solo æquati hodieque intercisa apparent vestigia in ipso Monte Pisicino vel Tino cum dirutis disertisque muris Ecclesiarum SS. Bartholomæi & Agathæ; superstite S.Joannis Templo in infima Montis parte remanente: proinde hoc idem Oppidum nostrates populi, qui longo ante nos tempore vixerunt, semper Celanum vetus appellarunt: Novum vero Celanum in feliciori Colle prope dictum situm, Nicolosius in Hercule Siculo Tom.II. pag.93. his verbis illustrat: *Celanum Caput Comitatus habet Palatium, quod per aliquod tempus defendi potest. Celanum magni estimatur* .... Idipsum laudarunt Laser Varrea de Script. Terrar. Orb. Tom.I. pag.2710. cit. Phæbon. hist. Marsor. pag.233. Philippus Cluverius Geograph. libr.III. cap.XXXIX. n.6. pag. m. 273. & Regia Marsic. part.I. cap.I. Subinde Civitatis titulo fuisse ac esse honestatum, & Marsorum locum principem habitum, satis superque liquet ex Scriptoribus in eodem Opere part.I. cap.II. citatis: Celanensem autem Ecclesiam, quam Bollandiani simplicem Paræciam dicunt, olim Cathedralem exstitisse, ac Mitræ Insignia antiquo more servato habuisse, illius monumenta de-

clarant: Hinc Ughellus Ital. Sacr. edit.1. Tom.1. col.954. vel edit.2. col.883. scripsit: *Celani olim Præpositus Mitra & Baculo exornatus Episcopalem Jurisdictionem exercebat ... inque novem circumvicinis Castellis ...*: Et Lucentius in Additionibus ad Ughellum Tom.1. col. 1295.: *Celanum insigni illustratur Collegiata sub titulo S. Joannis Baptistæ, cujus jura persolvunt octo Canonici & Beneficiati cum unica Dignitate Præpositi, quæ olim Pontificalibus Insigniis fulgebat cum Jurisdictione ... Celani & novem conterminis Castellis ....* d. M. Phæbonius in Marsor. hist. edit.1. pag.234. ita: *Canonicorum nobile Collegium, quod Præpositus regit, qui soli quondam Romano Pontifici parebat, Mitra & Baculo utebatur ... Jura quasi Episcopalia dabat ...*: Quod constat etiam ex Vita S. Berardi pag.41.: Romani Pontifices & Cardinales nonnulli eandem Ecclesiam ex notatis in Reg. Marsic. part.1. pag.544. ad 546. tali honore decoratam appellarunt: In Opusculo Viror. illustr. Mars. pag.170, & aliis auctoribus, idipsum fit clarius. Perstitit hujusce Jurisdictionis præstantia usque ad annum M. D. XCII., quo Tribunal Sacræ Rotæ Romanæ coram doctis ea tempestate Præsulibus, Blanchetto, & Orano illam Marsicano Episcopo binis decisionibus deberi pronunciavit; quarum alteram Phæbonius in cit. hist. pag.234. retulit: Alteram M. S. in d. Reg. Marsic. pag.551. memoratam, Romæ vidi in Bibliotheca Fulvii Cardinalis Astalli Episcopi Ostiensis & Velitrensis, sacrique Collegii Decani, cujus primo a studiis & Convisitator, exinde Auditor exstiti: atque in alia q. celeberrimi & clarissimi Philippi Sacripantes Consistorialis Aulæ Advocati, dum penes ipsum legali palestræ operam darem: tum etiam inter similia Manuscripta Bibliothecæ cl.mem. Cardinalis Josephi Sacripantes, morum innocentia, in pauperes charitate aut liberalitate, doctrinaque insignis, cujus etiam Auditor fui usque ad illius mortem, quam anno M.DCC.XXVII. pie oppetiit: hujus modo egregias virtutes feliciter æmulatur Emin. & Reverendiss. D. Carolus Maria Sacripantes Fratris filius S. R. E. Cardinalis Amplissimus mihi veteri Patrocinio & benevolentia perinde spectandus. In Relatione

Jo-

Josephi Baroni Marsorum Antistitis ad S. C. Concilii, olim transmissa super nova erectione Præbendæ Theologalis & Pœnitentialis, quæ Celanensi Ecclesiæ magno decore nuper accessit hæc habentur: *Porro ... Celani adest non modica Loci Dignitas; cum in ea resideat insignis Collegiata, in qua Præpositus & prima Dignitas [antiquitus fuit nullius Jurisdictionis] octo Canonici ac tres Beneficiati seu Mansionarii & Clerus numerosior; adsunt etiam quinque Conventus Regularium & signanter ob qualitatem Ecclesiarum, ædificiorum, & Castri magnifici .... de residentia Curiæ laicalis Comitatus Celani, nempe Vice-Comites, & Auditores Generales in gradu Appellationis; quibus sane perspectis, non videtur inferior Piscina Civitate nuncupata .... Ex Marsorum Episcopio hac die nona Novembris 1739.* Ejusdem insignis Collegiatæ Ecclesiæ Præpositos novem ad hanc diem ad varias Episcopales Sedes evectos fuisse in d. Regia Marsic. Part.1.pag.565. numeravimus. Neque Celani Oppidum prorsus ignotum ipsimet Bollando fuit, quod illius Continuatores doctrina conspicui in Actis Sanctorum nostrorum minime allegant: Vir siquidem eruditissimus in Commentariis ad Vitam B. Odonis Taleacotii in Marsis pio cultu quiescentis sub die XIV. Januarii Tom.1. edit.1734. pag.979. ita scripsit: *Circa Fucinum Lacum in Marsis celebrem .... Castella sunt, inquit Leander, Sanctum Petitum ad D. Jonæ, Paternum & cætera: hæc tamen omnia cum populi frequentia, tum opibus Celanum longe vincit juxta Montium altissimorum radices .... Fucinoque Lacui vulgatum .... nomen Celani præbuit.*

§. IV.

AT quoniam in Commentario prævio apud cit. §.II. de Sanctorum nostrorum veneratione hæc perspicue leguntur: *Stabilitur illa primo ex Actis dictorum Martyrum in Lectiones sex dispertitis ...*, locus hic opportunam occasionem præbere videtur, ut antequam ad ulteriora progrediamur, aliqua de antiquis Collectionibus Actorum Sanctorum

ctorum hominum in Ecclesiis Christiani Orbis pro earum studio ac debito juratis, commentemur.

N o t a I.

Enimvero inter Episcopalis sollicitudinis partes, illa semper fuit Summorum Pontificum observatione digna, quod Acta eorum, qui vita pro Chisti Fide decedebant, sincere colligerentur, quemadmodum in Ecclesiasticis historiis, ac præsertim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Monumentis sub S. Clemente Papa Primo manifeste liquet, ac perbelle docuit SS. D. N. Benedictus XIV. in egregio Opere de Sanctorum Dei Beatif. & Beator. Canonizat. Tom.i. cap.3. n.1. 5. & seq. ac vide Baronium ad an.238. Card. Petram ad Constit. Apostol. Tom.v. ad Const.iv. Pii Secundi p.120. n.1.: Sed mos ille gesta Martyrum colligendi, & impense adnotandi per Notarios ad id opus antiquitus electos, ab eadem Romana Ecclesia ad alias quoque manavit: quem spectans Sanctus Fabianus Papa in sua prima Epistola Decretali Episcopos monuit, ut eidem collectioni sedulo vigilarent: scribit proinde laudatus SS. Pontifex Benedictus cit. n.5.: *Et huc tandem respicit antiqua, & fere omnium Ecclesiarum consuetudo recitandi a Conventibus publicis eorum Martyrum gesta, quorum Festa peragebantur*: Probantque Ruinartius in Præfat. ad Acta Martyrum sincera n.5., ac ita Bencinius in Differt. II. de Literis Encyclicis cap.III. §.I. n.6.: *Honor autem his tributus Martyribus in Ecclesia primitiva, summumque omnium Ordinum in Martyres eximium, pars quædam religionis fuit; & quin Cultum religiosum involveret, nihil est dubitandum: Idcirco Ecclesiarum Antistites magna semper solertia summoque studio caverunt, ne cui religiosum hunc Cultum decernerent, qui suo re ipsa merito mactandus hoc honore non esset: ejusque rei gratia invigilarunt, ut ex certis indiciis merita uniuscujusque dijudicarent & causam Martyrii vitamque Martyris penitus innotescerent.* Idem tradit Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum circa initium cap.x., ubi

ubi de Martyribus passis sub Marco Aurelio & Lucio Vero Impp. quoque agit ex Eusebio Cæsariensi libr.IV. hist. Eccl. cap.XIV., ac Literis Viennensis, & Lugdunensis Ecclesiæ ab eodem Fusebio ex parte recitatis libr.V. cap.II. & III.

Sed quoniam Valeriæ Provinciæ & Marsorum Sacerdotium a S. Gregorio Magno in citato Dialogo Tom. II. libr.I. cap.IV. XI. & XII. memoratum, olim Romæ fuit modoque est finitimum, ex Regia Marsicana Part.I. pagg.24. 199., dubitare proinde non licet, quin Actorum Collectioni Martyrum etiam nostrorum primævi illius Regionis Antistites sive postea Celanenses Mitrati Præpositi sedulo advigilarint: eoque magis quia nonnulli ex ipsis inter Sanctos relati sunt, quorum Ughellus in Diœcesi Marsorum, Phæbonius in ipsorum historia & alii meminere: ideoque merito suspicari poterit, Apostolicam Sedem Marsis & Valeriensibus proximam rem magni momenti exploratam facile habuisse, ita ut si quid in iisdem Actis emendari debuisset, certe correxisset. Cunctis porro compertum sit, S. Bonifacium IV. Valeriæ in Marsis ortum, qui ex Regia Marsic. part.II. cap.III. egregiis gestis Ecclesiam Catholicam Patriamque illustravit, nostra eadem Acta minime ignoravisse censendum. Ac proinde asserere fas est, Pontificem hunc Marsorum gloriam & Orthodoxæ Fidei studiosissimum, qui inter tot mirabilia Pantheon a Phoca Imperatore obtinuit, memorata Acta nedum scivisse, verum etiam Apostolica auctoritate probasse. Tanti enim Pontificis honorifica mentio habetur apud ipsos quoque doctissimos Viros Henschenium & Papebrochium in Actis Sanctorum Maii edit.1. Tom.III. fol.187. & edit.2. Tom.V. dicti mensis fol.541., atque in Propyleo ad cit. Acta Sanctorum dicti mensis editione Antuerpiæ 1742. fol.183.: De proprio autem ejusdem Sancti Pontificis officio, in Appendice II. hujus Dissertationis agam. Hinc ad præterita tempora redeundo, alios Christi Vicarios & vigilantissimos Præsules Actis Martyrum nostrorum prope Urbem iu Regione Valeriæ apud Marsos decollatorum favisse, par est credere: Marsorum enim Episcopatus, Romano pene finitimus, Romanæ

næ quoque Metropoli erat subjectus; quo nomine peculiaris illi cura in Marsorum res sacras exstitit, præsertim in rebus tanti momenti. His accedit, quod ex eadem Valeria Provincia, cæterisque vicinioribus, ipsi consueverint Summi Pontifices ad Synodos Provinciales vocare Episcopos ævo S. Petri Damiani per xi. nempe sæculum, ut complura docent vetera monimenta, ac nuperrime auctoritate Baronii testatus est Vir cl. Cajetanus Cenni in Dissert. ad Concilium Lateranense Stephani III. cap.. pag.36. Hoc proinde argumentum, quod in antiquis profecto viget, alicui ineptum videri non debet, si in mentem venimus magni illius pretii, quo a piis hominibus ac majoribus nostris Sanctorum Martyrum Acta sunt spectata. Nam exploratum quidem est, in veteri Ecclesiæ disciplina Actorum collectioni longum examen semper fuisse innexum, cui & Ecclesiasticum judicium succedebat, atque posthinc illis decernebatur Cultus, de quorum obitu pro Christi Fide nullus ex Actorum fidelium lectione, probatoque testimonio dubitandi locus supererat, ut scitissime docuit SS. D. N. Benedictus XIV. in cit. egregio Opere Tom.i. edit.i. cap.iii. n.7.: Judicium autem id unaquaque in Diœcesi ad suum pertinuisse Episcopum adnotarunt Ven. Cardinalis Bellarminus de Sanctor. Beatitud. libr.i. cap.viii. Lupus in Not. ad iv. Conc. Roman. Tom.iii. antiquioris editionis pag.565. Franc. Maria Phœbæus in Dissert. de Canonizat. Sanctorum post Acta S. Petri de Alcantara & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis pag.331. Pappacoda Episcopus Lyciensis in Dissert. inter allegationes J. C. Donati Antonii de Marinis allegat. C. L. n.21. Non me latet, aliquos dixisse hujusmodi Jus non omnibus Ecclesiarum Præsulibus, sed majoribus dumtaxat antiquitus fuisse: Hoc tamen assertum, in Africana Ecclesia locum tantummodo habuit, ex adnotatis a Christiano Lupo ad iv. Concilium Romanum S. Leonis IX. Tom.iii. d. antiq. edit. pag.568.: Sed extra illam, examen id ad unumquemque Episcopum spectavisse discimus a laudato Opere SS. D. N. libr.i. cap.iii. n.7. ubi habetur: *At extra Africanam Ecclesiam, in aliis Ecclesiis examen illud ad unumquemque Episco-*

sco-

ſcopum in ſua Diœceſi pertinebat & ad eundem Epiſcopum ſpectabat peracto examine decernere, an qui occubuerat, inter Martyres eſſet recenſendus & an Cultus ei eſſet adhibendus, quod Altaris potiſſimum aut Oratorii erectione in ejus honorem expleri conſueverat. Quinam vero antiquitus in colligendis Martyrum Actis ſedulam præcipue navarint operam, ejuſdem Pontificis vide novum celebre Opus de Synodo Diœceſana libr.III. cap.VIII. n.3. pag.76. & Ruinartium in Præfat. Gener. ad Acta Martyrum ſincera §.I. n.7. pag.7. referentem inter alios Euſebium Cæſareæ Paleſtinæ Antiſtitem, qui præter ea, quæ de Sanctis Martyribus in hiſtoria Eccleſiaſtica ſcripſit, duos ſuper eorum geſtis ſingulares libros edidit. Creſcit narratio, ſi huc ſpectare obſervabimus, quæ mox ſumus dicturi, Martyrum nempe monumenta, ab unaquaque ad aliam Eccleſiam per Literas encyclicas jam pridem fuiſſe tranſmiſſa, ex concordi eruditorum ſententia apud eundem Ruinartium §.I. n.3. & Bencinum in Diſſert.I. de Literis encyclicis §.IV. n.14.: Unde hac etiam ratione Martyrum noſtrorum Cultum poſt dictum Bonifatium quartum, aliis Summis Pontificibus olim notiſſimum exſtitiſſe pro certo fateri debemus: Atque illorum geſta coluiſſe cenſendum tot Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales natione Marſos, pietate ac virtute conſpicuos, ex Reg. Marſic. part.II. a pag.369., quorum unus nomine Joannes floruit circa annum D. LIII., cujus opera & conſilio Vigilius Papa utebatur ex Baronio, & aliis in d. Reg. pag.370. Idipſum quoque feciſſe credendum Leonem Marſicanum Oſtienſem dictum, Virum doctiſſimum Caſſinenſium monumentorum Scriptorem, cæteroſque loc. cit. ad pag.404. memoratos, ſeu etiam plures Marſos variarum Eccleſiarum Antiſtites eximios, ibid. a pag.405. relatos, alioſque Viros doctrina illuſtres itidem congeſtos, qui omnes de ipſorum Martyrum Actis nunquam contra ſenſerunt.

Nota II.

Porro Simplicii ac Filiorum ejus eadem gesta in sex Lectiones, ut supra in §.II. retulimus, partita, primum in Marsis conscripta fuisse a Florentio, satis liquet ex ipsa vetusta narratione Phæboniana historia in ipsorum Vita, & dictis in cit. Regia Marsicana Part.I. libr.IV. De veteri autem consuetudine conscribendi Martyrum Acta, egit Arnobius libr.I. adversus Gentes: Dæmonum tamen calliditate, quorum versutia est intercipere veritatem & credentium fidem tardare, aliquoties accidit, ut illa sæpe fuerint corrupta & interposita: ideoque ait Baronius in Præfat. ad Martyrolog. Rom.cap.III. *Ex his possis intelligere, magnum olim a nostris adhibitum esse studium in colligendis Actis Sanctorum Martyrum; & qui collegerunt aliarum Provinciarum Martyrum Commentarios, suorum Acta minime præteriisse*... Et cap.IV.: *Sicut olim Romæ ... de conscribendis Sanctorum Martyrum Actis, ita & in aliis Ecclesiis ... alicui ex Clero negotium fuisse videtur impositum, qui cujusque Martyris Natalem diem [sic enim appellare consueverunt ex hac Vita ad Cælum transitum] conscriberet, ut per singulos annos eodem recurrente die in ejusdem Sancti Martyris memoriam Deo offerretur Sacrificium*. Id etiam Tertullianus affirmat in libro de Corona Militis, ubi non de Natalitiis more Gentilium scripsit, sicut perperam Rhenanus heterodoxus auctor fuit interpetratus; sed de illa die, qua Sancti Martyres victores in Cælum a Deo sunt recepti juxta Baronium cit. cap.IV.: Propterea Martyrum memoriæ in primitiva Ecclesia semper celebratæ fuerunt, eorumque immortales triumphi publice recitati, ex Merato ad Gavantum in Thes. Sacr. Rit. Tom.I. sect.V. cap.XXI. n.I.: quem sane pium usum aperte legendi in Sacris Templis Martyrialia Sanctorum, antiquissimum fuisse, S. Augustinus inquit Sermon.II. de S. Stephano. Enim vero quemadmodum ex præstanti unguento diffunditur odor, ita e Sanctorum commemoratione scatet utilitas, teste Basilio Magno in oratione de S. Gordio Martyre apud cit. Ruinartium in Acta Martyr

tyr Sincer. & Selec. pag.449. Quod autem nedum sex olim, verum etiam majoris numeri Lectiones de Vita alicujus Sancti, cujus officium celebrabatur, alta voce in Ecclesia legerentur, probat Martene libr.IV. de antiquis Monachorum Ritibus cap.IV. n.9., & cap.VII. n.14. & 18.: Eamque disciplinam penitus abrogatam dicit Meratus d. Tom. II. sect.V. cap.XII., ac deinde in omnibus Ecclesiis nonnisi tres Lectiones incæperunt haberi in Divinorum Officiorum Nocturnis e gestis illius Sancti erutæ, cujus festum recoli consuevit. Quam ob rem Guyetus in Heortologia de Festis propriis Locorum & Ecclesiarum libr.III. cap.IV. quæst.II. rite scribit, hujusmodi historiam sumtam fuisse ex Actis ipsorum, quæ apud easdem Ecclesias scripto vel traditione servabantur accepta: eidemque apprime consonant S. Augustinus serm.c. XLIV. de Tempor. Durantus de Sacr. Ritib. cap. LXVIII., & Magrus in suo Vocab. Eccles. verb. Passio pag. 398.

Neque dictam Ecclesiæ disciplinam & Lectionum usum aliquis unquam revocavit in dubium: talem namque morem recitandi Lectiones, vetustum esse probat Joannes Cardinalis Bona de Divin. Psalmod. cap.XVI. §.XIV. pag.401. n.2. & pag.402. n.3.: Retroactis enim sæculis in sacris Solemnitatibus, harum lætitiam sex vel novem aut duodecim Lectionum recitatio auxit, teste Martene de antiq. Ritib. Tom.IV. cap.IV. n.9. & tradit Bart.Gavantus cum addit.Cajet. Mariæ Merati in Thes. Sacr. Rit. Tom.I. sect.V. de Lection. cap.XII. pag.m.131. Is quoque pag.130. scribit, eundem morem in Romana Ecclesia inolevisse legendi semper Acta Sanctorum, quæ probabiles habebant auctores, vitasque Confessorum, & firmat Joannes Diaconus in Præfat. ad Gesta S. Gregorii Magni: idem Gavantus loc. cit. n.9. testatur, Lectionaria, ut vocant, ordinata fuisse e Sanctorum Patrum sermonibus, & Homiliis eruta: arbitrio tamen, & auctoritate Episcoporum & Præsulum datum esse tunc temporis libros assignare, unde relatæ Lectiones excerperentur, variaque hujus moris affert exempla: Postquam vero cit. auctor in d. pag.131. sic monuerat: *De Passioni-*

sionibus .... SS. Martyrum legendis publice in Ecclesia antiquior fuit usus, præclarum exhibet testimonium ejusdem S. Augustini serm.II. de S. Stephano, dicentis: *Cum aliorum Martyrum vix gesta inveniamus, quæ in Solemnitatibus eorum recitare possimus, hujus passio in Canonico libro est.* Concilio Carthaginensi III. habito sub ann.CCC. XC. VII.ex Battaglino in histor. Concil. pag.137. & 140. permissum fuit recitari Passiones Martyrum, quum eorum dies anniversarii aguntur: Concilium Milevitanum can.XII. legi posse concessit Martyrum Passionalia in ipsorum Festivitate: Trullana Synodus can.LXIII. etsi vetet falsa Martyrum aliorumque Gesta Sanctorum; attamen ex hoc vetito clare colligitur, genuinas eorum historias consuetas fuisse prædicari, teste Merato Tom.II. pag.131., qui post multa in rem ipsam allata pronuntiat: *Hæc & alia, quæ adduci possent testimonia comprobant antiquum morem legendi in officio Sanctorum Martyrum Acta.* Concilii Laodiceni Can.LIX. ult. sanctione, hujusmodi pius mos fuit stabilitus & ordo digestus a Gelasio Summo Pontifice Lectionum per anni circulum legendarum, ex cit. Bona de Divina Psalmod. ibid. pag.402. n.3., ubi relatum Concilium Cartaginense III. vel IV., sicuti mavult Baronius, memorat: dictusque Gelasius Papa, eodem Bona teste in Decreto cum septuaginta Episcopis, post Sacras Scripturas Sanctasque Synodos universales omnino recipi jussit ac legi in sacris Templis Vitas Sanctorum Martyrum quum anniversarii eorum celebrantur dies. Recitatio itaque Actorum Martyrum nostrorum in Ecclesia Celanensi sex vetustis distincta Lectionibus jampridem usitata, multum antiquæ disciplinæ, ipsorumque veritati cohæret: immo allegatus Meratus ad Gavantum d. Tom.II. pag. 116. complura etiam de Psalterio ac Psalmis inserit; potissimæque curæ fuisse, ait, ut omnes Clerici Psalterium addiscerent, ac memoria custodirent. Psalterium autem Canticis prisco more distinctum, itemque argumentis & orationibus cum nova literali explanatione; nostra ætate elucidavit Ven. Joseph Maria Cardinalis Thomasius, [quem ipse olim Romæ sanctimonia & doctrina fulgentem vidi] ut

ut in ſuis libris clarum eſt Part.II. Tom.I., editiſque ab eruditiſſimo, probatoque Viro Joſepho Blanchino Congregationis Oratorii Romani Presbytero, qui nunc continuandis Annalibus Eccleſiaſticis ſedulam dat operam.

Eas igitur Sanctorum Martyrum Simplicii & filiorum ejus antiquas Lectiones prius, ut ſupra, recitatas, atque ab hominibus doctis & eruditis, Celani & in Marſis vel alibi ſemper magni habitas, omnino fideles ac veras reputari decet: Nam ultra hucuſque probata, bene ait Tertullianus libr.IV. contra Marcion. cap.IV.: *Id verius, quod prius*; & de Præſcript. cap.XLVII. apud doctiſs. Præſulem Bovinenſem Antonium Luccium in hiſt. ſui ordinis Min.Convent. in Præfat. pag.1.: *Id extraneum, & falſum, quod poſterius immiſſum*. Si aliquid tamen in ipſis Lectionibus priſco more conſcriptis occurrat minus recte expreſſum, vel amanuenſium negligentia perturbatum ſive confuſum: Non mirum. Primigeniis enim, & incorruptis primis Actorum exemplaribus ablatis, barbaris ſeculis ſuccedentibus, pro rudium temporum conditione alia ſunt retenta: quæ licet non in omnibus ſuis partibus nativam integritatem ac vetuſtatem referrent; nihilominus eandem retinuerunt præcipuam Vitæ Sanctorum & Actorum hiſtoriam. Interitus primorum Actorum ævi memorati conſueverunt a Viris doctis fere communes cauſæ afferri, nimirum varia Locorum fortuna, quæ peculiare Eccleſiis & Regionibus diſpendium attulit, & iniquitas temporum chriſtianæ religioni potiſſimum infeſta ob late fuſas Tyrannorum Ethnicorum inſectationes: quæ ſacros etiam & ejus generis libros impetiit. Siquæ vero monimenta ſacra, aliqua ex parte rudia, labefactata, mendoſa, minuſque integra veneranda antiquitas feræ poſteritati tradidit; ea non ob id contemnenda ſunt: ſuum & illa pretium habent conſtanti Marſorum traditione fultum. In hanc ſententiam doctiſſimus & ſapientiſſimus Cardinalis Baronius Tom.II. Annalium ſub anno CC. XC. n.33. col.725. generatim advertit, Sanctorum Acta pacis tempore maximo fuiſſe redempta pretio; Et Tom.III. ad annum CCC. LVI. n.91. col.780. 781. docet, quod ea licet *ex nimia antiquitate*

tate nonnihil videantur esse mendosa; tamen sicut effossum informe aurum & rude eo carius esse solet, quod nihil videatur alterius metalli habere commixtum; ita... egregia monumenta sui ipsius vetustate atque simplicitate micantia, quibus res potius, quam verba in pretio esse solent, gratiora plane erunt atque jucundiora.... Hinc Joannes Baptista Pollidorus in Vita & antiquis monimentis S. Pardi Episcopi & Confessoris Præfat. ad Lector. similiter ait: *Quo illa* [nempe Acta] *antiquiora sunt, eo fere solent esse simpliciora, & quo rudiore sermone narrantur, eo a fallaciis & mendacio magis aliena*. Neque doctrinam omittamus SS. D. N. Papæ nunc sedentis [quem sospitet Deus perpetuaque cumulet felicitate] in cit. Opere de Serv. Dei Beatific.& Beator. Canonizat. libr.IV. part.II. cap.X. n.5., ubi pro re nata scire monet: quum de Sanctorum Lectionibus agitur, quæ antiquiori disciplina recensenda & memoranda sunt, atque eorum, qui canonizati fuere, ac de quorum virtutibus aut Martyrio, & Miraculis non exstant Processus nec Bullæ Canonizationum, ita ut inserenda in Lectiones, non aliunde desumi possint, quam ab Historicis & similis generis monumentis, tunc sicut fol.79. n.6. subdit: *Lectiones saltem a probatis historicis, & quantum fieri potest contemporaneis erunt desumendæ*. Si ita de novis Lectionibus sentit Pontifex Maximus, potiori jure Lectiones nostrorum Martyrum suspicimus, quibus veneranda antiquitas, & traditio, pictis etiam imaginibus publicis eandem historiam præferentibus expressa suffragatur. Quæ cum & ipsæ pervetustæ sint, nec uno in Loco Sacro ante Sacrorum Præsulum, & omnium oculos positæ cernuntur, servatæ historiæ veritati testimonium præbent ac pondus.

Nota III.

Quanti vetustas traditiones haberi oporteat, laudatus SS. D. N. ibidem n.7. scribit: Nec aliter Baronius in Tomo II. Annal. sub anno C. LXIX. n.16. *Sed.... antiquus mos Ecclesiæ, tum in condendis ac venerandis Sanctorum*

rum

rum Martyrum Reliquiis egregie commendatur, tum etiam de celebrandis diebus Festis Natalitiorum eorumdem, vetus traditio testata ac in omnibus explorata redditur. De Martyrii excellentia adversus Gnosticos Martyrium parvi facientes, lege Dissertationem XIII. Natalis Alexandri hist. Eccles. art. unic. sæcul.II. Tom.VI. edit.2. pag.401. De prisco more colendi Martyrum Reliquias agit Surius ad Mensem Julii pag.179., & de antiquorum Fidelium in illas religione, idem loc. cit. pag.338.339.: In rebus autem hujusmodi traditiones magni esse faciendas, monet ipse Baronius Tom.I. col.209. de Sudario Domini loquens, ubi opportune docuit, illud ex veteri Libello M.S. in Vaticana Bibliotheca servato, Christianorum Traditione probatum esse. Idem S. Petri Romam iter in Breviario Romano potius traditione, quam Scriptura probari tradit in cit. Tom.I. ad ann.XLIV. n.29. col.353., & n.85. de iisdem Traditionibus differens, ita notavit: *Quod si vero aliquæ ex illis non habeantur in antiquis Scripturis Divinis expressæ, satis constat, non omnia illis esse scriptis tradita, sed complura traditione esse commissa*. In Festo Apparitionis S. Michaelis Archangeli die VIII. Maii apud citatum Breviarium Romanum in Lect. IV. habetur: *B. M. Archangelum sæpius hominibus apparuisse, & sacrorum librorum auctoritate, & veteri Sanctorum traditione comprobatur*; de quo lege Joannem Marangonum in libro de præstantia Archangeli Michaelis Romæ nuper evulgato pag.152. Quamvis autem Traditio antiquissimi Cultus Martyrum nostrorum a nullo vetustissimo Auctore, quod sciamus, referatur, constans tamen & nunquam apud Marsos & Celanenses erga illos veneratio interrupta fuit. Martyrum enim Cultus, Domino sic disponente, successit falsorum Deorum adorationi, ex Baronio ibidem Tom.I. col.372. n.86. Ideo cum Ruinartio in Præfat. ad Martyrum Acta sincera & selecta firmandum est, Martyres certos, Actis licet incertis esse colendos: *Exinde patebit*, ille ait, *multos Martyres, etsi eorum gesta sint ignota aut vitiata, Cultu tamen publico tunc fuisse honoratos: Et merito quidem, nam etsi incertum fuerit quid singulatim fecerint, certum tamen est, eos Martyrio con-*

sum-

summatot fuisse, quod teste Ambrosio sufficit ad comparandum ipsis & in Cælis gloriam, & in terris populorum venerationem ...; quæ quidem aurea sententia S.Ambrosii auctoritate vallata, nostris Martyribus oppido favet.

Nota IV.

Ex dictis facile intelliges, Lectiones nostras in vetusto Celani Templo, ut eruditi Censores quoque fatentur, recitatas, minime in dubium posse revocari: Nam etiam jure quoque municipali, Sedisque Apostolicæ Marsis finitimæ tacita facultate sive antiquissimo usu, eas a Celanensi Clero constanter fuisse lectas censendum est. Præterea aliis omissis juribus, quæ antiquitus propria erant cujusque Civitatis & Loci L.3. §. plane ff. quod vi clam & L.3. §. Divus ff. de Sepulchr. violat., bene Guyetus ait in Heortolog. lib. III. cap. I. quæst. XII.: *Sic & Officia propria sunt cujusque Loci, vel Ecclesiæ*. Peculiari sane notatione dignus est Canon XXIII. Concilii III. Carthaginensis: *Quascumque sibi preces aliquis describit, non eis utatur nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit*. Non aliter Melevitanum sub Innocentio I. Can. XII.: *Placuit etiam illud, ut preces vel orationes seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra Fidem vel per minus studium sit compositum*: De ipsa re videndus est Allatius in Dissert. I. de Pentecost. Quamvis autem postremis temporibus jure novo per S. Pium V. fuerit Romano Pontifici omnis Divinorum Officiorum approbatio, ut mox dicam, reservata: Nihil tamen officit, quin hujusmodi facultas Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & Ecclesiarum Præsulibus vi Canonum, vel Apostolicarum Sanctionum ex Guyeto d. lib. III. cap. I. quæst. X., olim esset concessa; nam formula præsertim a Gelasio, & Gregorio ipsis constituta, & a S. Gregorio VII. reformata, temporis diuturnitate a primæva institutione deflexerat. Et quoniam in Divinis Laudibus persolvendis unitas

tas æque, ac Rituum omnimoda esse debet uniformitas, ex cit. Guyeto lib. I. cap. XII. quæst. VII., merito laudatus S. Pius V. Romani Breviarii emendationem ab aliis excogitatam & non absolutam suscipiendo, notissimam edidit Bullam, cujus initium: *Quod a nobis*, Romæ apud S. Petrum M. D. LXVIII. septimo Idus Julii. Hac Constitutione cavetur, quod Clerici omnes in sacris precibus recitandis uniformiter conveniant, ac deinde dicitur: *Etiam abolemus quæcumque alia Breviaria vel antiquiora vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis in suis Diæcesibus pervulgata, omnemque illorum usum ab omnibus Orbis Ecclesiis....*: Eam postmodum ratam habuere Clemens VIII. Bulla: *Cum in Ecclesia Catholica* Romæ apud S. Marcum X. Maii M. DC. II. & Urbanus VIII. *Divinam Psalmodiam Sponsæ....* apud S. Petrum XXV. Januarii M. DC. XXXI. Sed de his satis.

§. V.

QUÆ sequuntur verba in Bollandiano Opere §. I. relata: *Necnon ex Antiphonis propriis & Orationibus, seu Collectis tempore Missæ adhibitis.....* mox breviter expendemus.

NOTA I.

HÆ siquidem Orationes & Antiphonæ veluti antiquo hærentes officio, a d. Celanensi Clero priscis temporibus in propria Ecclesia merito recitabantur: nam optime scripsit cit. Guyetus in libro de Fest. propr. Locor. & Eccles. libr. III. cap. IV. quæst. III. & IV.: *Antiphonæ propriæ habentur in aliquibus officiis ad Benedictus, & Magnificat dumtaxat... Hic typus est officiorum propriorum quoad Antiphonas, cui conformia satis esse video prisca illa, quæ in propriis Locorum usibus retinentur....* Tales itaque erant præmissæ Antiphonæ Sanctorum Martyrum nostrorum, quarum prima sic sonabat: *Gaude felix Celani Tellus, quæ tantorum Martyrum memoriam tenes...* Secunda: *Celani gau-*

de Tellus dignissima laude, sanguine Sanctorum meritis redempta tuorum: *Lætamini in Domino* .... Tertia: *Sancti sub crudelissimo* .... cum Oratione: *Da nobis Clementissime Deus Beatorum Martyrum tuorum Simplicii, Constantii, & Victoriani* ...., & cum aliis verbis in dicto §.II. legendis; quæ quidem antiquo officio hærentes, a Celanensi Clero, qui longo ante nos tempore vixit, in propria ipsius Ecclesia, ut sæpe dictum est, olim recitabantur. Eidem autem Officio propter allatam S. Pii V. Constitutionem initio Breviarii appositam, cujusque meminit Gavantus de Sacr. Rit. sect.II. cap.II., aliud Officium cum oratione de Communi plurimorum Martyrum successit; quoniam sicuti relatum est, omnes fere Ecclesiæ per dictam Constitutionem antiquis Breviariis penitus orbatæ, postea illorum vetera Officia absque nova Sedis Apostolicæ approbatione recitare non potuerunt; teste cit. Guyeto de Fest. Locor. & Ecclesiar. libr.III. cap.I. quæst.VIII., tametsi Martyrum Festa ex Gavanto ibidem sect.VIII. cap.II. n.1., antiquissima reputentur. Hinc breviter sciamus, quod Breviarium, profane rerum significat compendium juxta Plinium libr.XVIII. cap.XXVI. & Svetonium in Augusto cap. ult., illudque vocabulum optime congruit nostro Sacro Volumini, quod Summarium vocatur Mysteriorum Sacræ Scripturæ a Lessio de Just. & Jur. Tit. de devot. ac oration. dub. VIII., quia id complectitur Psalmos, in quibus per modum laudis divina clauduntur arcana, necnon selectissima veteris novique Testamenti, ac Patrum nobiliora monumenta brevesque Orationes seu Collectas & preces a Summis Pontificibus more Ecclesiæ Romanæ editas, ut ait Gavantus loc.cit. sect.II. cap.I.n.2.

§. VI.

Censor ibidem in §.II. ita refert: *Ex utroque Catalogo Ferrarii; quippe in eo, qui est de Sanctis Italiæ profert hac die Compendium Martyrii, ex Lectionibus in eorum Officio recitari solitis; in altero autem Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt a die 20. hujus Mensis*

ſis illos remittit ad diem 26. ubi citat in Notis Tabulam Eccleſiæ Marſicanæ ....

NOTA I.

RElata verba Ferrarii, qui Paſſionem Martyrum noſtrorum ad diem XXVI. menſis Auguſti ex Tabula Eccleſiæ Marſicanæ, & antiqua traditione memorat, pro commento haberi non debent; nam aliter Sanctorum omnium funditus everteretur hiſtoria. Si enim tabulæ ac traditiones, quæ Eccleſiaſticos Scriptores in colligendis Sanctorum geſtis manu duxerunt fidem non faciunt, omnis argumentorum locus in eis deerit. Profecto Euſebius, qui primus, ut traditur, Sanctorum Acta, Paſſionem, glorioſam mortem, & Miracula in Martyrologii formam redegit, unde quæſo notitiam eruit, niſi vel ex traditione vel hominum incorruptæ fidei antiquis teſtimoniis, aut e Tabulis Eccleſiæ univerſalis vel particularis? Tolle monumenta Eccleſiarum Africæ, Brixienſis, & Ravennatis, & mox negabis Martyrium S. Afræ, B. Olivæ, & S. Apollinaris. Ticinenſis Eccleſiæ tabulis & traditionibus contemtis, ſimul Sanctitatem Pompeii ejuſdem Præſulis figmentum habebis. Non alio modo, aliiſque de cauſis Baronius hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parens, S. Terentiani Tudertini Epiſcopi, S. Montani Romani Militis, S. Cataldi Hiberni & Tarentini Epiſcopi, ut cæteros taceam, Sanctitatem edoctus fuit, quam ex monumentis Eccleſiæ Tarentinæ, ac Tudertinæ. Lege ſi lubet Sanctoralia Martyrum, & Euſebianas de Sanctis hominibus narrationes, & clare videbis omnium in Chriſto quieſcentium Sanctitatem, Paſſionem, Geſta, Prodigia, vel ex Tabulis, aut traditionibus ac teſtimoniis piorum Scriptorum non minima ex parte eſſe deſumta: Sic etiam licuit Ferrario, qui ex traditione, ac vetuſtiſſima Tabula Marſicanæ vel Celanenſis Eccleſiæ Natalem Sanctorum noſtrorum ad dictam diem XXVI. menſis Auguſti recitat, Acta ipſa comprobare. Cur itaque traditio & Tabula Eccleſiæ Marſicanæ ſubleſtæ fidei videtur Bollandiani Operis Continuatoribus?

Ipsi tamen virtute clarissimi probe norunt, haud levis ponderis esse simul sumpta tot argumenta, Cultum item immemorabilem, vel tacitum Apostolicæ Sedis consensum, necnon traditionem Diæcesis Marsorum super Actis ipsorum Sanctorum plausu piorum hominum recitatis: etsi fateamur ingenue, nullum in veteribus historicis horum Passionis diem, præter unius Florentii testimonium haberi: Insignis autem Scriptor Ferrarius, ut ipsius Opera indicant, exeunte seculo XVI. ac hortante Cardinali Friderico Borromeo Mediolanensi Archiepiscopo, Catalogum Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, edidit; itidemque Martyrum nostrorum meminit accepitque monumenta hæc e relata Marsorum Tabula, & antiquis Lectionibus olim in Officio dictæ Ecclesiæ recitari solitis: proinde in Sanctorum Catalogo primæ editionis apud Hieronymum Bordonum anno M. DC. XIII. ad dictam diem XXVI. Augusti pag. 545. hæc ab ipso recitata pro majori facilitate denuo leges: *Simplicius nobili genere natus ex Burgundionibus ortum ducens in Gallia una cum Constantio & Victoriano Filiis a Pontiano* [fortasse amanuensium errore pro nomine Pontii] *Præfecto in persecutione Antonini Imperatoris de religione interrogatus, cum se Christianum libere professus Præfecti persuasionibus haud acquiesceret, sed Christi Fidem aliis prædicaret, ipse & Filii comprehensi virgis ferreis crudelissime cæsi sunt: sed cum tortores illi immanissimi statim quasi maxima febre correpti divinitus expirassent multique eo Miraculo obsessos a Dæmonibus liberari cæcisque lumen restitui cernentes, ad Christum converterentur, illos Præfectus non ausus ob generis nobilitatem interficere, victos ad Imperatorem misit. Qui in itinere aliquot editis Miraculis, in quibus Ravennæ Puellæ nobili luminibus orbatæ visum restituunt: Romam ingressi & e Satellitum manibus elapsi in Basilica Sanctorum Apostolorum preces fundunt. At rursus comprehensi, ductique ad Imperatorem, qui eo tempore in Marsis agebat, cum Deos venerari renuissent, in locum obscurissimum serpentibus plenum detruduntur. Inde educti ac funibus ligati, ab indomitis juvencis raptantur; denique ad aureum Fontem apud*

apud Montis Piscini radices decollantur; quorum Corpora a Crescentio Presbytero ibidem sepulta sunt septimo Kalendas Septembris; uno ex Lictoribus Cæsario nomine viso ingenti terræmotu ad Fidem converso .... ex eorum Lectionibus in Officio recitari solitis ...., & in novo Catalogo secundæ editionis part.I. fol. m.337. ad ipsam diem XXVI. Augusti cum mentione dictæ Tabulæ Marsicanæ ita legitur: *Apud Marsos SS. Martyrum Simplicii & Constantii ac Victoriani Filiorum sub Antonino Imperatore*. In adnotat. §.I. sic: *Marsi Populi & G. E. sunt Latii ad Lacum Fucinum, qui nunc* Lago di Celano, *nominatur, sed C., quæ est Valeria una cum Regione aliquando dicta est, Bonifacii Papæ Patria a Lacu absorpta vel ab hostilibus excisa est. Episcopo Celani Op. proximo vel etiam Piscinæ pago a Marsicana Urbe milliario distante munia Episcopalia obeunte. Marsorum meminit Strabo libr. V. Plin. libr. III. cap. XII. & Livius frequenter. Simplicii & Filiorum: ex Tabulis Ecclesiæ Marsicanæ horum Acta M. SS. Romæ inde transmissa accepimus & legimus. Eorum natalis dies celebratur, ut nuper accepimus ...*: Quo vero ad verbum in *Basilica*, melius dixisset: *Ad Sepulchrum SS. Apostolorum*, quia non adhuc ea tempestate Basilica erat, quæ a Constantino ædificata fuit, ex probatis in Reg. Marf. part.I. libr.III. num.marg.a pag.533., & part.II. pag.13. & 29. num. marg.2.

NOTA II.

Quod autem laudatus auctor in citato Catalogo SS., qui in Romano Martyrologio non sunt, a die XX. Augusti ad diem XXVI. publicam solemnemque venerationem Martyrum nostrorum apud Celanenses e sæpedicta Tabula Marsicanæ Ecclesiæ recenseat, prudenter juxta morem insignium Virorum egerit, nemo inficias ibit: etenim has Tabulas & traditiones, quibus Ecclesiastici Scriptores in colligendis Sanctorum gestis ac ipsis colendis nituntur, veram firmamque fidem historicam facere, ut paullo ante dicebam, satis superque exploratum est. Certe memoratus Euse-

Eusebius Cæsariensis primi sui Martyrologii monumenta hausit e Tabulis Ecclesiarum & traditionibus vel hominum incorruptæ fidei antiquis testimoniis. Immo Tabulæ e quibus ille ac cæteri Martyrologiorum Scriptores priscis temporibus venerationem colligebant Sanctorum, non tam clarum, tam publicum solemnemque Cultum asseverabant, qualem post suam ætatem Ecclesiarum Tabulæ comprobarunt. Quippe in tribus primis Ecclesiæ sæculis ob persecutionum ubique grassantium in Christifideles tempestatem non viguit hæc disciplina, quæ circa Eusebii tempora cæpit, ossa scilicet cineresque Sanctorum e sepulchris eruendi, supra Altare vel alio in loco conspicuo collocandi, accensis cereis honorandi, in publicis supplicationibus circumferendi, ac populo Christiano ad ea tangenda, exosculanda, in partes dividendi, Altaribus inserendi, in Thecis reliquiariis collocandi, devoteque appendendi; sed solum Altaria supra ipsorum sepulchra erigebantur, in quibus Omnipotenti Deo in eorum memoriam sacrificabatur, atque ad ipsorum tumulos Christiani diem Festum in gratiarum actionem pro ipsorum Martyrio & gloria celebrabant: Qui mos etiam quarto sæculo, teste S. Hieronymo contra Vigil. passim fuit usurpatus. Igitur multo magis posteriores Tabulæ fidem faciunt historicam de publico Cultu Sanctorum veluti hæc Nostra Marsicana, quæ non primævum modum tenuit, quo in tribus Ecclesiæ sæculis ob persecutiones clanculum colebantur Sancti, sed publicum solemnem ac decentiorem nostrorum Martyrum Cultum quotannis a Marsis finitimisque Populis sæpedicta die XXVI Mensis Augusti eis exhibitum refert: Et non solum circa Inventionem, sed & translationem eorum Reliquiarum in loculos venustiores, quæ magnifico & religioso Cultu in publicis Supplicationibus seu Processionibus circumferuntur, & in adversis ad impetrandum illorum apud Deum auxilium publicæ Christifidelium venerationi exponuntur. Hoc utique perenni monumento jure meritoque dictus Ferrarius septimo Kalendas Septembris, (quando a Florentio dicitur, Sanctos nostros passos fuisse) ipsorum Natalitia reponit, quum Celanensis Eccle-

sia

ſia magna lætitia maximoque gaudio feſtivitatem celebrat, Sacrificia offert, Officia iiſdem perſolvit Martyribus, qui glorioſo certamine functi ſunt: Satis etiam perſpicue declarantes, ut verbis utar Euſebii lib. VII. cap. XIX., qualiter antiquiores, & noſtri temporis Chriſtiani, Viros Sanctos ob ipſorum in Deum amorem debito ſemper honore venerati ſunt ac venerantur. Neque fruſtra vel ſacrilegum ob queſtum rudiorum hominum, & ſimplicium muliercularum hæc veneratio eſt, ſed Magnatum, & Præſulum quoque & finitimorum populorum, qui cum oſſa Martyrum attigerint, ut olim de aliis ajebat S.Baſilius Hom.in Pſalmum 115. ob gratiam corpori inſidentem fiunt quodammodo ſanctificationis participes. Qui autem humanis caſibus & calamitatibus premuntur, tanquam ad aliquod aſylum ad eum locum properant, in quo ter Beati illi quieſcunt, eorum Natalitia recolunt, ipſoſque Legatos & ſequeſtres adhibent orationum ac poſtulationum ſuarum propter immenſam apud Deum fiduciam. Hinc inopiæ ſolvuntur, ægritudines curarunt, Magiſtratuum minæ placantur, ac denique perturbationum & tempeſtatum ærumnoſæ hujus vitæ, veluti tranquilli ſunt portus ſacra Martyrum noſtrorum ſepta. Hæc & ſimilia cum S. Aſterio Amaſeæ in Ponto Epiſcopo in encomio Martyrum fatentur Marſi: Hæc & ſimilia finitimæ gentes admirantur.

Porro etiam alio nomine Ferrarii illuſtris Scriptoris integritati rectæque ac conſultæ operæ alia eruditione proſpicimus; dum ille nimirum pro enunciato Codice Marſicano *Tabulas* dixit. Viris profecto doctis planum eſt, veteres Tabularum vocabulo varie uſos eſſe; nam Exod. cap. XXVI. Dominus Moyſi dixit: *Aſcende ad me in Montem & eſto ibi: daboque tibi Tabulas lapideas & legem*.... & in cap. XXXI.: *Deditque Dominus.... in Monte Sinai duas Tabulas teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei*: Hac enim ratione S. Bonaventura in Legenda S. Franciſci cap. XIII. de Impreſſione agens ſacrorum Stigmatum in Corpore ejuſdem Sancti, ait: *Poſtquam igitur novus homo Franciſcus novo & ſtupendo Miraculo claruit, cum ſingulari privilegio retroactis ſæculis non*

non concesso insignitus apparuit, sacris videlicet stigmatibus decoratus descendit de Monte secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi .... Tabula antiquitus dictum est Instrumentum, quo tesseris vel telis ludebatur & lusoria vocabatur, cujus meminit Seneca de Tranquill. anim. cap. xiv. Item Tabula pro pictura accepta fuit, teste M. Tullio in libr. de Fin. cap. I. Majores siquidem nostri supra Tabulas ligneas pinxere sive parvas trabes ad instar tabularum compactas, quarum plures multis in locis ad hæc usque tempora servantur: Ego autem obiter indico monumentum in Ecclesia S. Mariæ Vallis Viridis Celani apud aram, Paradisi dictam, custoditum, picturatam nempe Tabulam tignis contextam cum Imagine Salvatoris Crucem supra dorsum bajulantis, quæ a præstanti Viro Raphaele Urbinate picta fertur in Oper. Viror. Illustr. Marsor. pag. 172. & Reg. Marsic. Part. I. pag. 195.: Rursus Tabulæ usurpatæ sunt pro alio instrumento, in quo homines scribebant, & metonymice pro quacumque scriptura; quoniam scribebant plerumque in tabulis ligneis cera obductis, sæpe in tabulis ex ære: Sæpius autem tabulam librum fuisse, quem sibi quisque privatim facere consuevit, quasi quoddam memoriæ promptuarium, satis superque constat viris eruditis. Item Tabulæ vocitabantur Codices, in quibus testamenta antiqui notabat, quo nomine illa sunt appellata a Jurisconsultis, & præcipue ab Ulpiano in L. I. ff. de bonor. poss. secund. Tabul.: Hinc in tabulis ex ære Leges Civiles descriptæ fuerunt, quæ xii. Tabulæ appellatæ sunt aut Leges xii. Tabularum: Erantque Leges ab Atheniensibus aliisque Græcorum Civitatibus, quæ sapientissimæ tunc habebantur acceptæ; de quibus Cicero & apud eum Crassus lib. I. de Orat. cap. xliv. Illæ postmodum Romam allatæ fuerunt atque redactæ cum Legibus aliquot Regiis in dictas duodecim Tabulas a decem Viris ad id specialiter delectis, teste J. Vinc. Gravina de origin. & progress. Jur. Civil. Tom. I. pag. 41. 240. 242.

In

In Chronicis Cassinensibus libr.III. cap.XXII. Tabula fuit Index Cænobitarum sive Officialium Monasterii: Atque usus inolevit tabellarum in scribendo frequentior apud Christianos, de quo sive tractatoriis Epistolis Literisque Apostolicis concisis, quæ brevitatis causa *Breves* dicuntur, agit Cardinalis Baronius sub annum C. XLII. Tom. II. col. 115. & 116., ubi addit, Episcopos olim Literas scripsisse in tabellis eburneis vel in chartis; raro autem, nec nisi chartæ inopia in membranis. Tabulis quoque ligneis Christifideles olim convocatos fuisse, ait Martene de antiq. Eccles. Discipl. Cap. II. n. 8., quibus nunc tempore nocturno Regulare utuntur, cum surgentes subito lignisque strepitantibus ad Officium Matutinum recitandum accedunt; ideoque Joannes Moscus in Martene loc. cit., Canonis cujusdam ligni fuse meminit. Sive igitur memoratæ scriptæ tabulæ fuerint ligneæ aut cujuscumque materiæ, sive chartæ sive membranæ vel corii alicujus animalis, tabulæ olim rite nuncupatæ sunt: ac proinde Ferrarius ibidem, Marsicanæ vel Celanensis Ecclesiæ Monumenta, Tabulas scite appellavit. Cur denique eadem Ecclesia pretiosis ipsorum Martyrum Actis infeliciter orbata fuerit, caussam ab eodem Ferrario sic discas: *Ex Tabulis*, ait ille, *Ecclesiæ Marsicanæ: horum Acta M. SS. Romæ inde transmissa accepimus & legimus* ..... Itaque si hæc monumenta, quo jussu officioque ignoramus, ad Urbem retroactis temporibus convolarunt, facile fuit viris doctis ea ibidem legere, e quorum numero exstitit Joannes Baptista Marus, vir eruditissimus, & alibi hoc in Opere laudandus. Notatum denique volo, dictum Philippum Ferrarium laudari in eodem Bollandiano Opere, non uno in loco, præsertim Tomo I. Sanctorum Junii fol.159. col.I. & Tom. III. Mensis Maii.

Nota III.

Quanti ergo ex hactenus dictis istorum Martyrum historia existimanda sit, literatis Viris notum erit atque perspicuum: interea non est hic omittendus Jacobillus, ab eruditis Bollandiani Operis Continuatoribus variis in locis quoque laudatus, qui in libro de Sanctis Umbriæ Tom.I.pagg.63.64.67. ac Tom.III. pagg.239.241.242. Beatum Joannem a Fulginio in Marsis sub Piscino vel Tino Monte anno Domini c.LXIV.] fortasse c.LXXIV.] degentem memorat, ac Simplicii & Filiorum ejus læthales cruciatus, quibus pro veritate cælesti perpessi sunt ad usque Sacrorum Corporum Inventionem annotationibus illustrat: In margine autem Operis vetusto Marsicanæ Ecclesiæ Codici non paucam astruit fidem, ut in Regia Marf.part.I.pag.533.534. Quanquam enim in ipso Bollandiano Opere de Actis Sanctorum Orbis ad diem III. mensis Junii Tom.I. pag. 395. idem Jacobillus inferatur, necnon ad diem V. ejusdem mensis pag.556. n.3. & alibi, nullum tamen verbum pro Martyribus nostris de hoc Scriptore ibidem factum fuisse legimus. Verum minime desunt Manu Scripti Codices Passionales, qui nostrorum Martyrum Acta, veluti digna Bibliothecis, nec usquequaque contemnenda recitarunt. Hæc inter Volumina, præter illud a Cl. Bollandianis insertum, aliud etiam anonymi Scriptoris celebre, quod de his Sanctis loquitur, Romæ olim perspeximus apud Vaticanum excusorem Franc. Mariam Salvionum, ex Bibliotheca erutum Francisci Mariæ Phœbæi nobilis Urbevetani & sub Alexandro VII. Archiepiscopi Tarsensis, Præceptoris hospitalis Domus Sancti Spiritus in Saxia, a secretis Sacrorum Rituum Congregationis, & Cæremoniarum Præfecti, cujus laudabiliter meminit Card. Vinc. Petra in Comment. ad Constit. Apost. Tom.V. ad Constit.VII. Pauli II. sub num.3. Quod si germana citati Codicis Lectio alicui videatur corrupta, non ideo gravibus laborat erroribus; quoniam seclusis his, quæ supra retulimus, nonnulla quoque anonyma documenta Ughellus connectit ad res alias pertinentia fæde labefactata,

de

de quibus auctores conqueruntur: & nihilominus huic malo nemini unquam occurrere licuit; quemadmodum penes Ital. Sacr. Tom.x. edit. 2. post illius Anecdota circa finem indiculi licet observare. Non dubitarunt proinde Viri docti, quin hujusmodi maculas in antiquos Codices barbarorum temporum conditio induxerit: cujusmodi potissime fuerunt IX. & X. secula, quæ ob supinam populorum ignorantiam ac liberalium artium neglectum, ferrea & plumbea vocarunt Schedelius in Chronolog. pag.173., & Gimma Ital.Lit.Tom.I.pag.210., aut perditissima tempora Spondanus in Epitome anni DCCCC. LV. & Thesaurus in descript. Ital. pag.583. n.429.

Ad institutum redeo, & hic non incassum alia Manuscripta, vel Historicos manifestabo, qui editis libris hæc Acta eruderarunt, solutaque oratione & versibus laudavere, in quibus plura de Beatis Simplicio & Filiis lucide narrantur: Sic enim agendo, tantorum Scriptorum nomina omissa fuisse nemo queretur. Itaque in Manu Scripto Sanctorum Diæcesis Sulmonensis, quod juris quondam fuit Emilii de Matthæis Scriptoris non obscuri, nunc Sulmone servato apud hæredes, in Vita S. Gemmæ Virginis Marsicanæ fol.79., hæc italice habentur, quæ latine sonant: *Celebratur istius Sanctæ populorum concursu obitus dies, quæ fuit* XII. *Maii. Ipsius Acta excerpta sunt e Monumentis Gordianæ Ecclesiæ, & e Vitis Sanctorum Marsicanæ Diæcesis, ubi etiam celebris est memoria Gloriosorum SS. Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani, præcipue* XXVI. *Augusti maxima gentium frequentia Celani, ubi Sacra Corpora multis ab hinc sæculis quiescunt, & assiduis coruscant Miraculis, quæ devotam admirationem efficiunt, maximaque tum devotione coluntur.* Abraham Bzovius auctor clarissimus a pluribus & a Card. Petra allegatus in Comm. ad Const.I. Innocentii IV. Tom.III. in Epitome Bullæ n.4. & 5., hist. Eccles. Tom.I. libr.II. ad Ann.C. LXX. & C. LXXI. pag.249. longe ante scripserat: *Circa hoc tempus vixit Simplicius nobili genere natus ex Burgundionibus ortum ducens in Gallia. Is una cum Constantio & Victoriano Filiis a Pontio Præfecto in persecutione*

tione Antonini Imperatoris de religione interrogatus, cum se Christianum diceret & Christi Fidem aliis prædicaret, ipse & Filii virgis ferreis crudelissime cæsi sunt...... vinctos ad Imp. misit.... Imperatori præsentati, qui eo tempore in Marsis agebat, cum Diis sacrificare nollent, in locum obscurissimum serpentibus plenum detrusi sunt. Inde educti & funibus ligati, ab indomitis Juvencis raptati, denique ad aureum Fontem apud Montis Pisicini radices decollati sunt. Horum Corpora.... Mutius Phæbonius Marsus Prothonotarius Apostolicus, & Generalis Vicarius, literariis ornamentis notissimus, dictorum Martyrum Vitam Romæ lingua vernacula edidit anno M. DC. XLIII.: Opus sane variis lucubrationibus elaboratum, quod cum a sæpedictis Marsicanæ & Celanensis Ecclesiæ monumentis, additis Miraculis & Gratiis erutum sit, ea deinde Acta magis magisque illustrantur. Præstat interim varios ejusdem Scriptoris libros memorare, ut utilis cura pretium operæ addat: Quoniam publica fecit aliorum gesta Sanctorum, quæ in Reg.Marsic. part.II.pag.2. per numeros recensentur. Historiam Marsorum Neapoli edidit anno M. DC. LXXVIII., ubi pag.235. Martyres nostros laudavit, eosque summa populorum veneratione coli testatus fuit: Proinde inter viros nationis Illustres penes ipsam Regiam Marsicanam pag.275. merito commendatur & a Nazario in Adversariis Literat. Ital. d. ann. M. DC. LXXVIII. ab Ughello Ital. Sacr. Tom.I. col. 887. 888. edit. 2. a Toppio Biblioth. Neap. fol. 217. Fabretto in Tract. de Emiss. Fucini cæterisque in cit. Regia Part. II. pag. 446. 447. Item a Petro Vander Aa in Thes. antiquit. Italic. Part. IV. Tom. IX., ubi opus id integrum conscriptum est: Et ne Lectorem in his plura moremur, plurimi etiam doctissimos Bollandianos Phæbonium fecisse constat ex iisdem Actis Sanctorum Maii Tom.III. fol.182. de S. Gemma Virgine agentes, quæ in Oppido Gordiani Siculi hujus Sulmonensis Diæcesis Miraculis notissima quiescit ejusque Festum die XII. Maii a populis religiose colitur ex d. Reg. Marsic. part.II. pag.192.: Quibus ita se habentibus, miramur Cl. Bollandianos, eundem Scriptorem, qui Martyrum Acta exactius illustraverat, bo-

bona ipsorum pace dixerim, silentio præteriisse. Martyres etiam nostros commendarunt Franciscus Maria Galluccius S. J. in Gestis Servi Dei Lelii Serichi Celanensis Canonici etrusco sermone in Urbe editis pag.2. & 77., ubi eos Celanensium Protectores appellat, aliique pietate ac doctrina ornatissimi auctores, de quibus pariter actum est in memorato libro Virorum Illustrium Marsorum pag.74. & 75: & in Regia Marsic. part.II. pag.4. vel 28. sic etiam prænotatur: *In Sanctos Simplicium, Constantium, & Victorianum Martyres Parergon ...*: Hinc olim Poeta Anonymus hos cecinit versus in eodem libro Vir.Illustr. pag.80. descriptos:

Dum tot Martyribus felix Celane sacraris,
Pars aliqua Empirei crederis esse Poli.
Innumeras Animas Sanctorum claudit Olympus
Tuque Beatorum Corpora trina tegis,
Simplicius Genitor, Constantius, Victorianus,
Burgundi Fratres sunt in amore pares
Pro Christo, cujus firmarunt sanguine nomen,
Quique tibi impetrant munera si quæ rogas;
Simplicitate Patris gaudet constantia Prolis,
Victoris palmam, Victorianus habet:
Hi quandoque velis nebulas, solemque reducunt,
Hique tuos agros ferilitate replent:
Diceris e Cælo Cælanum, discrepat istud,
Dat Cælum grates, quando Cælane rogas.

Quæ sane portenta spectantes antiqui, & recentiores Viri eruditi ac Oratores doctrina & gravitate pollentes, variis temporibus ea doctis orationibus ac versibus celebrarunt: quæque proinde ut perennarent, Pompeius Cajatius Jurisconsultus & Poeta Cliterninus, cujus mentio est in Reg. Mars. part.II. pag.25. & 532., Opus exaravit de ipsorum Sanctorum Gestis octavis versibus, qui metro ligatis verbis servire coguntur: Exemplar autem penes Fratrum nostrorum Bibliothecam in Patria servatum, hunc exhibet titulum in cit. Regia relatum, ac italice compositum, quem latine leges: *Vita, Passio, Mors gloriosorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani, quorum Reliquiæ co-*

lun-

luntur & adorantur Celani in Venerabili Collegiata Ecclesia S. Joannis, octavos in versus translata ab adm. Rev. D. J. C. Pompeo Cajatio de Celano. Neapoli typis Joannis Baptistæ Subtilis per Scipionem Boninum anno M. DC. VII.: In epistola Nuncupatoria ad Mariam Constantiam Piccolomineam de Aragonia præcipua illius religio in hos Martyres celebratur. Exstat etiam in eorum laudem Oratorium opus metricum Abbatis D. Petri Piperni, Urbis Aquilæ in Vestinis olim excusum, de quo in cit. Reg. Marsic. part. II. pag. 25.: Ipsorum Martyrum pariter meminit Abbas Castellain in Martyrolog. Univers. ad diem XVI. Augusti, quod gallice scriptum, ac in Italia rarissimum, Romæ nunc visitur in Bibliotheca Emin. & Reverendiss. D. Card. Annibalis Albani: Item Vir ingenio præstantissimus Augustinus Lubinus in Commentar. Tab. V. pag. 148. ad Romanum Martyrologium cum Notis Baronii pag. 421., & Archiepiscopus de Aste in Annotat. ad dictum Martyrologium pag. 392. Hæc eo adnotavimus, ut, doctissimus Censor & Bollandiani Operis Continuator optime noscat celebritatem Actorum Martyrum nostrorum, & posthac, ut speramus, ipsa omnino illustrare dignetur, eorumque annuat veritati: Nam teste Lotinen. in Com. cap. II. apud V. C. Antonium Luccium Bovinensem Episcopum in historia sui Ordinis Minorum Conventualium pag. 60.: *Quicquid non unus, vel duo tantum, sed omnes pariter uno, eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse docuisse cognoverint, id sibi quoque intelligat, sine ulla dubitatione credendum.*

Nota IV.

Historicis, Poetis, ac Viris criticis, Synodalia constituta adjicimus, quæ nostrum argumentum juvant atque firmaut. Ex Constitutionibus Præpositi Celanensis olim nullius Diæcesis cum peculiari Territorio & Jurisdictione quasi Episcopali [ignoratur tamen quo tempore hæc Dignitas incæperit] eorundem Martyrum Cultum antiquo more viguisse censendum; nam eadem sententia Baronius in Anali-

nalibus ad annum c. LXIX. col. 179. generatim dixit: *Sed ex utraque antiquus mos Ecclesiæ tum condendis ac venerandis Sacris Sanctorum Reliquiis egregie commendatur....*; cui consonant Canonum & Conciliorum Decreta, præsertim Tridentini sess. XXV. de Venerat. Sanct., ubi sane jubetur, Episcopos diligenter Ecclesiæ usu a primævis Christianæ religionis temporibus recepto de Sanctorum intercessione, invocatione, & Reliquiarum honore fideles instruere debere, docendo, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum & utilem esse, eos invocare, & ad beneficia impetranda a Deo per Unigenitum suum Filium J. C., qui solus noster Redemptor est, ad eorum orationes, opem in auxilium confugere. Habemus etiam Concilium Nicenum II. Act. III. IV. & VI. cap. ult. de Reliq. & Venerat. Sanctor. cap. *Audivimus* eod tit. Constitut. Gregorii XV. *Inscrutabili*, & Natal. Alexandrum hist. Eccles. sæcul. VIII. Tom. XII. pag. 502. cum Notis P. Roncaglia: quam ob rem Ven. Antistites & Locorum Ordinarii suis in Synodis ea studiose adimplere vigilarunt. Inter alias ergo Celanenses Synodos, temporum injuria, sive antiquorum Canonicorum culpa amissas, illam comperi a Præposito Cæsare de Petio sub annum M. D. LXXXIII. celebratam, quæ M. S. in ipsa Ecclesia prope Secretarium in illius Archivo custoditur, ac incipit: *In Synodo Celanensi habita.... anno Domini 1583..... Cæsar Petius de Celano Præpositus Celani Nullius Diæcesis: cunctis suæ Jurisdictionis Celanensis Fidelibus salutem in Domino. Cum pro Pastorali nostro munere....*: Et postea Celani Ecclesiam & Canonicos encomiis extollit, eorumque vetustum Signum pag. 9. ita memorat: *Almutia quod est Canonicorum Insigne ex pellibus confecta Canonici Celanenses in Ecclesia & in publicis Supplicationibus & Processionibus [ut diutissime solent] utantur....*; & hic scias, eundem Præpositum & Canonicos retroactis temporibus juxta Lateranense Concilium, cap. dilectissimi XII. quæst. I., cap. in omnibus de Consecr. dist. I. & Magrium Vocabul. Eccles. pag. 99., vitam communem egisse; meaque ætate varia ibidem perspexi cubicula, quæ ob no-

novissimam Templi instaurationem anno M.DCC.VII.vel paullo ante eversa sunt, e quibus vetustas Canonicorum, aut morum integritas satis superque conjicitur: ac propterea apud ipsam Celanensem Synodum, hæc alia in Sacras Sanctorum nostrorum Reliquias, earumque venerationem mandata fuere: *In Collegiata vero Celanensi Ecclesia Matrici .... ubi numerosus est Clerus .... festivitas quotannis die 26. Augusti SS. Martyrum Simplicii & filiorum ejus Celani Patronorum, ut ab antiquis sæculis devote percolatur; cum plures gratias majores nostri sua intercessione a Deo obtinuerint & nos experiamur in dies*: Pag.11. t.de Officio Sacristæ: *Quotidie singulis horis .... per se vel per alium campanas pulset ... Die 26. Augusti SS. Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani Miraculis illustrium campanæ de more ac dum pro necessitate exponuntur, pulsentur*. Neque insignis ille Præsul, quod sciamus, alias Celani Constitutiones edidit; quia paullo post ad hanc Cathedram evectus, primam quoque anno M. DC. III. celebravit Synodum, zelo & doctrina pro Sanctorum Reliquiis, ut in pag.25. legitur, refertam.

Martyrum nostrorum Cultum magni etiam factum fuisse constat ex memoriis historicis Pandulphi Marsorum Episcopi, qui illorum Reliquias in marmorea Capsa devote reposuit locavitque anno M. LIX. in Altari Majori B. V. Mariæ veteris Templi S. Joannis de Celano versibus antiquis, quos infra recitabimus. Quoniam vero ipsa Sacra Lipsana ad Insigne atque Collegiatum Templum intra novum Celanum translata fuerunt, Comes Nicolaus pari religione ductus, decentiorem Capsam propriis sumtibus fieri mandavit, teste Phæbonio in Reg.Marsic. Part.II. pag.21.&22.: e quibus omnibus singulare veterum Præsulum, Comitumque in hos Martyres obsequium perspicue apparet. Alia plura ex vetustis Constitutionibus atque Visitationibus ad rem satis excerperem, si nunc omnia Majorum monumenta mihi suppeterent nec multa laterent. Veruntamen quasi e latebris hæc memoria eruta est Laurentii de Maximis Patritii Romani, quæ apud laudatum Celanense Capitulum

lum

lum adservatur, & varia pro dicto Cultu, Celanique Nobilibus aperit: *Cælanum. Die Jovis 21. Augusti 1636. Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Laurentius de Maximis .... Episcopus Marsorum: Accingens se ad Sanctam Visitationem ... Celani cum sua Familia .... necnon J.V.D. & adm. R. Dom. Fabritio Politiano Vicario Generali .... quibus expletis .... visitavit Cappellam, in qua in decenti Tabernaculo reperiuntur Sanctorum Corpora Simplicii, Constantii, & Victoriani clauso cum tribus clavibus, & mandavit aperiri ad effectum adorandi & recognoscendi, an fuerint & sint decenter conservata & in medio ipsius in decenti Tabernaculo reperiit reposita Ossa Sancti Simplicii, & ex parte dextera S. Constantii, & ab alia parte S. Victoriani ....*

Die Lunæ 25. Augusti 1636. præfatus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Laurentius Maximus Episcopus Marsorum adveniente hora vespertina iterum rediit ad Ecclesiam Collegiatam S. Joannis Baptistæ comitatus a toto Clero & maximo Civium numero etiam de nobilioribus, & ibi perventus facta profunda oratione coram SSmo Sacramento; organo interim sonante, accessit ad Faldistorium sibi præparatum honorifice cum baldachino & duobus Canonicis assistentibus cum decenti Musica, accepit tres claves ad effectum aperiendi Tabernaculum, in quo honorifice reconduntur Corpora Sanctorum Simplicii, Constantii, & Victoriani Martyrum, & aperto Tabernaculo cum luminibus accensis extrahi mandavit præfata Sanctorum Corpora a loco ordinario, & reponi super quodam Altari ad hunc effectum præparato, ut commodius ab omnibus possent adorari; quibus peractis rediit ad Thronum ibidemque fuerunt decantata Vespera & Divina Officia, Organo continuo sonante & Musicis omni perfectione canentibus, & expletis Vesperis rediit ad Palatium solitæ habitationis ....

Die Martis 26. Augusti 1636. idem Illustris. & Reverendis. Dominus cum magno comitatu Canonicorum & aliorum Clericorum & cum maxima Civium copia, Magistratus & aliorum Civium de nobilibus intendens celebrare Missam

ſam Solemnem & Pontificalem acceſſit ad eandem Eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ, in quo Organo ſonante & Muſicis cantantibus, in ingreſſu fuit ſibi oblatum aſperſorium per Decanum Canonicorum, quo accepto prius ſe ipſum aſperſit & ſucceſſive alios adſtantes, inde facta profunda oratione coram SSmo Sacramento acceſſit ad Thronum, & fuit decantata Tertia, dum idem Illuſtriſs. Dom. induebatur paramentis Pontificalibus ad effectum ſolemniter celebrandi Miſſam, prout celebravit, indutus omnibus Pontificalibus in Altari Majori & expleta Miſſa fuit publicata more ſolito Indulgentia ſequuta prius Benedictione ſolemni: & ſucceſſive proceſſerunt omnes Canonici cum toto Clero & Societatibus & proceſſionaliter tulerunt Corpora Sanctorum per loca ſolita Celani ſub decenti baldachino aſportato a nobilioribus & Primatibus .... eodem Illuſtriſs. Dom. comitante proceſſionem uſque ad eandem Eccleſiam, unde præfata Sanctorum Corpora fuerunt levata & ad eundem locum poſita ſuper eodem Altari pro commodiori adoratione & veneratione, & conſequenter facto dono per Confraternitates & alios Artifices in honorem Sanctorum Corporum & conſignato Procuratoribus, rediit cum magno comitatu ad Palatium ſolitæ habitationis ...: Proſequendo Viſitationem viſitavit Eccleſiam S. Joannis extra mœnia .... quam invenit propter antiquitatem minantem rui nam .... A parte dextera viſitavit Sacellum, in quo fuerant reperta Corpora ſanctorum Simplicii Conſtantii & Victoriani, tranſlata & ad præſens recondita in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ & mandavit .... In altero M. S. apud dictam Celani Eccleſiam ita ſimiliter: *Summarium Proviſionum & Decretorum factorum in generali Viſitatione anni præteriti 1636..... Celani die Jovis 21. Auguſti 1636. fecit ingreſſum adhibitis cæremoniis, de quibus in Pontificali: Die Veneris ejuſdem .... In Eccleſia S. Joannis extra mœnia .... minantem ruinam habita Informatione, quod vires Canonicorum non ſuppetunt ad ipſam reſtaurandam mandavit pro nunc reparari ... In Sacello ſeu Cappella a parte dextera, in quo fuerunt repoſita Corpora Sanctorum Simplicii Conſtantii & Victoriani, tranſlata ad*

ad Ecclesiam Collegiatam S. Joannis Baptistæ, propter venerationem mandavit Sacellum decentius custodiri....

In alia Synodo Didaci Petra Neapolitani, deinde ad Surrentinum Archiepiscopatum translati [Patruique Vincentii Cardinalis Petra Majoris Pænitentiarii, editisque operibus clari] pag.20. legitur: *Insuper Festum Patroni cujuslibet Loci nostræ Diœcesis....*, quo decreta generatim Cultus Martyrum nostrorum continetur; quoniam is fere Celani moram agendo, Martyres illos sæpissime veneratus fuit. In eadem Synodo pag.74. similia pro aliis Sanctorum Reliquiis constituta sunt: quæ quidem anno M. DC. LXXXVI. rata habuit in sua Synodo Franciscus Bernardinus Corradinus Fabrianensis, olim Mediolani Vicarius Generalis, ac postea egregius Marsorum Episcopus pag.3.: *Synodalia Statuta Dominornm Episcoporum de Gasperis & Petræ Prædecessorum nostrorum confirmamus....*: Et in Actis illius Pastoralis Visitationis, hæc nuper legi: *Celani.... In Altari adservatur Corpus in ossibus S. Simplicii Martyris, & in altero S. Constantii, & in altero S. Victoriani, quæ exponuntur, & in Processionibus deferuntur cum concursu populi....* Idem Antistes erga nostros Martyres peculiari pietate ducebatur, pluriesque recurrente ipsorum Natalitio die more solemni Divina officia peregit, ex Reg.Marsic.part.II. pag.574. Mutius de Vecchis Patritius Sulmonensis & Cathedralis Ecclesiæ S. Pamphili Archidiaconus; exinde Marsorum Episcopus, sæpissime Pontificalia in eadem solemnitate explevit, ac Sanctos Martyres præcipue coluit, ex cit. Regia part.II. pag.574.: Pari veneratione in nostros gloriosos Athletas cæteri præstitere Antistites, nempe Hiacynthus Dragonettus Patritius Aquilanus, & Joseph Baronus Neapolitanus, qui statim ac ejusdem Ecclesiæ gubernacula suscepit, pio instituto ipsa sacra Lipsana coluit, annoque M. DCC. XXXVII. e vetustis Thecis extraxit ac in tribus argenteis longe elegantioribus, Celanensium sumtibus comparatis, reposuit. Nihil autem mirum, si Celani populus erga hos Martyres in ea devotione perenni quingentorum supra mille annorum & ultra curriculo, ut Divinæ Provi-

dentiæ placuit, nusquam elanguerit: Qua quidem pia cordis observantia, suorum illi miserti Civium, assidue a Deo pro illa gente gratias impetrarunt, & in dies impetrant. Memorato Præsule Barono ad Calvensem Ecclesiam translato, Dom. Ant. Britius Successor Episcopus exemplo Decessorum, ibidem Pontificalia habuit, devotamque supplicationem absoleta Ecclesiæ consuetudine, Mitra ornatus & Baculo, mecum ipso volente, associavit.

At hic duo pro re nata magis illustranda notamus: alterum, quod ante dictam Solemnitatem per dies octo æneorum campanorum sonitu Ecclesiarum omnium, etiam Regularium [quorum quinque inibi exstant Cænobia], hæc Festa dies Celani indicitur: & augendæ celebritatis gratia Nundinæ a priscis temporibus fuerunt incæptæ: Itemque palestræ, ac hominum cursus, cæterique plausus hucusque vigentes in usum recepti, & sulci aratorum, quos Cicero in Verr. honestos Viros appellavit, ab ipsis ducti ad lineam, ut earum artium peritiores atque victores, perinde ac pro decentibus ludis bravium accipiant: quæ & similia antiquitus ea die peracta etiam fuisse constat ex authographo in foliis solutis apud monumenta M.S. Celanensis Communitatis adservato & in Regia Marsic. part.I. pag. 507. memorato quod jamdudum perspexi: Inibique notabatur, omnia a vetustis Celani, ac Marsorum Comitibus in tantæ Solemnitatis lætitiam suo quæque ordine fuisse disposita: & de præstantia ipsorum Comitum, Martyribus nostris, ut alibi sæpe dicitur, olim obsequentium, qui *Magni & Dei gratia* speciosis titulis jampridem ornabantur, erantque a Regia Francorum prosapia oriundi, late agit Zazzera in suo libro Italicæ Nobilitatis part.I. pag.104. cum aliis videndis in Reg. Marsic. part.I. pag.260. & seq., ubi perantiquum Chronicon. Marsicanum retuli ab auctoribus sæpissime laudatum, quod olim in Sublacensi ac Farfensi Abbatia nunc in Vaticana Bibliotheca servatum, custodiebatur. Alterum vero, quod die festa expleta, ejusdem Octava solemni pompa illustretur: & supplicationes pari Majorum instituto semper honestari conspiciantur ab ingenti populo

pulo utriusque sexus, quem Insignis Collegiata Ecclesia fere non capit: quum ad eam exteri quoque Sacerdotes undique e Marsis confluunt, binique sacris induti vestibus ex ordine & gradu incedunt, Celanique mænia super humeros sacra Ossa in pretiosis Thecis gestantes, circumdant. Pios autem hujusmodi incessus, uti sociales charitatis notas, S. Bernardus serm.ii. de Purific. generatim commendat, aitque Rupertus libr.iii. de Divin. Offic. cap.viii. his verbis: *Unde semper in hujusmodi Processionibus Prælatos nostros quasi Dominum in Galilæam sequimur*: Vide Concilium Laodicenum Can.xvii., & Magrum verb. *Processio* pag. 428.

Nota V.

Ex hactenus dictis conspicuus Martyrum nostrorum Cultus apud Marsos elucescit: quem magis magisque splendidiorem reddunt Ædes illorum Sacræ, Aræ, Missæque ad illas soliti voti causa, vel impetratorum munerum gratia votivæ Tabellæ, ac generis varii sacra donantia. Majorum & Virorum principum par studium fuit erga illorum Sacras Reliquias & Templum multipliciter ab ipsis ornatum & auctum. De constituendis pariter perpetuis, amplisque proventibus Sacræ Ædis serio cogitarunt: Proinde S. Victorini Feudum atque Molendinum sub aureo Fonte, aliosque redditus annuos loco Sacro donarunt. Nicolaus Comes anno m. cccc. vi. arcam nobiliorem Sanctis Martyribus construi jussit, necnon Rugerius Galliani, aliorumque Oppidorum Vallis sub equo Valvensis Diæcesis Dominus, Marchio Capistrani Celanique Comes antiquam Sancti Joannis sæpedictam Ædem ampliari fecit, cujus Stemma ad hæc usque tempora supra illius januam visitur & memoratur in Reg. Mars. Part. ii. pag. 539.: In porta majori Ecclesiæ SS. Joannis Baptistæ & Evangelistæ Celani, Piccolomineorum Principum Amalphiæ Ducum Insignia hodie apparent: In vetusto autem ejusdem Templi Sacello sequens legebantur Monumentum Bollandianis Viris clarissimis

ſimis omnino abditum, atque celatum in cit. Reg. Marſic. pag. 553.

CELEBERRIMO FVTVRÆ GLORIÆ PIGNORI
SANCTISQ. MARTYRIBVS SIMPLICIO CONSTANTIO
ET VICTORIANO CELANI PATRONIS,
VETERES VETERAQVE FIDE JVRANTES
SACELLVM HOC SACRIS PHALERIS ORNATVM
POSVERVNT:
ANNO JVBILÆI M. DC. XXV.

In ejuſdem Templi inſtauratione anno M. DCC. VII. erectum fuit Altare SSmæ Conceptionis B. Virginis Mariæ pro Animabus in Purgatorio exiſtentibus, in d. Reg. Marſ. pag. 554. enunciatum: Corpora vero beatorum Martyrum ad magnificum Templi Altare Majus denuo translata ſunt. Alia Sanctorum Ara, ubi ſacra pignora olim noſtrates populi venerabantur, pari munificentia Piccolomineorum Principum antiquis picturis ipſorum facta indicantibus ornata fuit: Atque ab Epiſtola nuncupatoria memorati Pompei Cajatii non diſparem curam Comitiſſæ Piccolomineæ de Aragonia in glorioſos Martyres diſcimus. Jure igitur Celanenſes a priſcis temporibus, illuſtres Martyres præcipua veneratione fere ab incunabilis colunt, atque in eos obſequium quaſi lactentes ſugunt: Nomina illorum frequenter in Sacro baptiſmate ſumunt: Patronos apud Deum legunt & habent: Præſenſque illorum auxilium identidem in adverſis experiuntur. In late fuſum eorumdem Sacrorum pugilum Cultum, ut paucis verbis complectamur multa, ea, quæ in Marſorum Regia Part. I. pag. 337. hac de re Italice edita ſunt, ſic latine reddita accipe: *Has fere ſemper Sacras Reliquias non ſolum Marſi, verum etiam exteri variique ſpectabiles Viri veneratione habuerunt: Inter quos veteres Marſorum Duces fuerunt Celanique Comites, & Principes Piccolominei*

minei plurimique, quos majores nostri memorare neglexerunt; quamvis seniorum fama aliquod lumen nobis reliquerit: Retroactis enim seculis Emin. Cardinales Perettus, ac Montis Alti eas visere. Franciscus Maria Cardinalis Mancinius cum in Aveani Oppido apud Marsos olim esset, Sacra Ossa gloriosorum Martyrum quoque percoluit: Cardinalis Cantelmus Archiepiscopus Neapolitanus e Ducibus Populi prope nostram Provinciam, sæpe per Marsos transiens, cum Cælani hospitaretur, circa finem elapsi sæculi Sanctuarium illud devota observantia prosecutus est; & sic etiam diversis temporibus insignes Viri egerunt: Inter alios primum obtineat locum Julius Sabellus nobilissimus Romanus, Princeps Albani, Præfectus Conclavis, & Celani Comes, qui peculiari religione cum pia Catharina Justiniana Sabella uxore suoque nobili comitatu sacra Corpora anno M. DC. XCVII. *dum Celani degeret, veneratus fuit; aliisque temporibus id pariter egerunt magni Neapolitani Regni Comites, ut dicunt, stabiles ac Romani Principes vetusta nobilitate clarissimi, Laurentius videlicet Honuphrius, & Philippus Columna, Marsorum & Taleacotii Duces cum Romanis aliquot Patritiis: Et longe ante Princeps Michael Perettus, Dux Aquæspartæ, Matronæ plures, equitesque nonnulli, & præstantissimi Viri, qui elapso sæculo sacra Ossa præsentes coluerunt. Anno* M.DCC. XXXVII. *Celanum petiere Emin. D. Joseph Card. Spinellus, Princeps omni virtute ac eruditione ornatissimus, Patritius & Neapolitanus Archiepiscopus: Item Præsul Caracciolus ex Principibus Sancti Boni cum non paucis Equitibus, qui omnes cum Celanensium plausu in Cænobio PP. Cælestinorum excepti, sacra Martyrum Ossa magna devotione sunt venerati.....* Inter alios, qui laudatum Cardinalem tunc sequebantur, unus erat doctissimus Vir Ferdinandus Tamburrinus Patritius Mutinensis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis Abbas, qui exinde a SS. D. N. BENEDICTO XIV. ad Sacram Purpuram fuit evectus: Ita quoque religiose erga eosdem Martyres sese gesserunt Præsules non pauci, quos inter scientissimus Carolus Albertus Guidobonus Cavalchinus Patritius Derthonensis anno M. DCC. XL. quum esset S. C. Con-

Concilii a Secretis & ab eodem Pontifice virtutum meritis Purpura insignitus atque S. C. Episcoporum ac Regularium Præfectus; necnon anno M. DCC. XLVIII. Emin. & Reverendis. D. Fridericus Marcellus Lante S. R. E. Cardinalis amplis.: Hi enim Celani in dicto Cælestinorum Monasterio obiter degentes, sacra Lipsana visitarunt: Id ipsum præstitere anno M. DCC. XXIX. Princeps Venafri & Civitatis Signiæ Dux Celanique Comes D. Joseph Sforza Cesarinus Sabellus Perettus, Innocentii XIII. Pronepos, illiusque filius Excell. Princeps D. Philippus, comitate ac pietate insignis anno M. DCC. XLVIII., cæterique dignitate conspicui, ac præsertim viciniores Episcopi, nempe Soranus de Marco, Fabritius Borgia Ferentinus amicus noster, & Aquilanus Taglialatela, ejusque Vicarius Generalis, doctissimus Præsul Joseph Coppola successor Antistites, & Religiosi plures exteri Aquilæ atque Teatis. Porro instituti ratio postulat, ut hanc historiæ partem illustrando, hominum Navelli nuncupati ejusque Aquilanæ Diæceseos circa alterius Sancti Constantii M. Reliquias inibi custoditas, errorem, quo jamdiu abripiuntur, diluamus: Nuper enim vulgi opinationem accepimus, eas esse ferentem, quas Amalphiæ Dux Celanique Comes a venerandis Martyrum nostrorum Urnis, & potissime ex S. Constantii ossibus extrahi fecit dictique Oppidi Ecclesiæ largitus est. Fabula uimirum hæc est, arbitrario nuper effecta: Ea siquidem Sacrarum Reliquiarum pars, cujus Festum Navelli ad Sanctorum Celani imitationem die XXVI. Augusti celebrari incæpit, non e dictis Martyrum nostrorum thecis, sed ex sacris Almæ Urbis hypogæis extracta fuit, & a Fr. Petro Lamberto Porphyriensi Antistite Sacrarii Apostolici Præfecto anno M. DC. XCV. tradita Josepho Tarsi Canonico Ecclesiæ Civitatis Ducalis, qui eam pia liberalitate Navellensium Parœciæ donavit, ut in Literis apud Thecam ibidem asservatis legitur, quæ a Fratre nostro germano J.U.D. Abbate Joanne Felice Corsignano Prothon. Apostolico, hujus olim Diæcesis quatuor annis, & postmodum septem Aquilæ Urbis Generali Vicario, hoc tenore exarata nobis transmissæ fuerunt: *Fr. Petrus Lamber-*

bertus .... Episcopus Porphyriensis .... Universis .... qualiter nos ad majorem Omnipotentis Dei gloriam Sanctorumque suorum venerationem, sacras Reliquias de Mandato SS. D. N. Papæ a Cæmeterio Callepodii extractas recognitas & approbatas inclusas .... nostroque sigillo obsignatas .... dono dedimus Rev. D. Josepho Tarsi Canonico Cathedralis Civitatis Ducalis insignem Reliquiam scilicet Brachium S. Constantii Martyris. In quorum fidem .... Datum Romæ die 29. Mensis Junii anno 1695..... Fr. Petrus Episcopus Porphyriensis. Gaspar Fabrinius Secr.... Gratis ... Reg. fol. 66.

At Martyrum nostrorum Festum ab iisdem Bollandianis sub die xxvi. Augusti, ut in d. Tomo v. Sanctorum Orbis, & §. II. hujus Dissertationis liquet stabilitur, quando mira populorum observantia hæc Festivitas Celani apud Marsos, ut relatum est, agitur ex Ferrario, cum antiquis Notis, & memoratis Celanensis Ecclesiæ Tabulis, necnon sæpe citato Martyrologio Romano.

§. VII.

AB eximio Bollandi Operis Continuatore, vel Actorum nostrorum Censore, ea verba in dicto §. II. Dissertationis spectasti: *Tertio post mortem Cardinalis Baronii leguntur in Martyrologio Romano, in cujus editione, quæ anno 1635. in lucem prodiit, primum illos reperio inscriptos hoc modo: Apud Marsos Sanctorum Simplicii, & Filiorum ejus Constantii, & Victoriani, qui sub Antonino Imperatore varie primum excruciati, tum demum securi percussi Martyrii coronam adepti sunt....*

Nota I.

NIhil autem nostrum moratur institutum negotiumque facessit, quod paullo ante per eosdem Cl. Viros, dictum fuit, hos scilicet Martyres Baronio vita functo in Romanum Martyrologium anno cIↄ. ↄc. xxxv. esse relatos: silentii hujusmodi prius habiti primam rationem affero:

quum enim antiquiores fere Scriptores, ut S. Hieronymus, Beda, Freculphus, Notherus, Ado Viennensis, Rabanus Archiepiscopus Moguntinus, & alii Sanctorum nostrorum Passionem siluerint; ita postmodum sequentes Martyriographi eam reticuerunt, sicuti & ipse Baronius egit, qui ex materno genere Marsus facile scire debuerat pretiosam illorum mortem; quam tamen dum inter vivos ageret, in suum non retulit Martyrologium. Huic alia accedit caussa: nimirnm non adeo locorum omnium exacta diligentia adhibita: multorum ignoratio: complurium oblivio, vel imprudens quoque præteritio. Multa certe in dictis auctoribus desiderari ultro fatetur celeberrimus Usuardus in Epistola Nuucupatoria ad Carolum Magnum scribens: *Venerabilium Hieronymi, & Bedæ Presbyterorum piis, quamvis succintis super hoc provocabat scriptis: quorum prior brevitati studens, alter vero quamplures Kalendarii dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus Operis præteriisse necessaria*; atque ut de cæteris nil dicam, nonne memoratus Ado domesticos etiam Ecclesiæ suæ Sanctos silentio præteriit, Solonium videlicet Episcopum Viennensem? Scribit ne aliquid de S. Pontio Cemelensi Antistite, & Martyre, qui Galliam Narbonensem Evangelica prædicatione imbuit? Quid de S. Basso Niciensi Præsule ac S. Verano Venciensi? Quid de Hospitio Eremita, qui in agro Niciensi reclusus vixit? Idem silentium notatur in Præfatione novissimæ ipsius Adonianæ Editionis pag. x. n. 6. & pag. xiv. n. 10. ac passim in illius Annotationibus per Clarissimum Dominicum Georgium editis: Ado igitur dum horum Sanctorum nomina, gloriosam mortem, ac sanctitatem reticuit, nil profecto mirum, si pari de caussa Martyres nostros omisit. Initium vero hujusmodi silentii, veluti e fonte repeti posse mihi videtur, quod primus omnium Sanctorum Acta in Martyrologii formam redegit Eusebius Cæsariensis anno circiter ccc. xl., qui quum in Palæstina scriberet, quæ in Marsis erant ignoravit: Id porro Eusebianum Martyrologium latinitati donavit laudatus S. Hieronymus: quæ versio deinde omnibus latinis auctoribus, qui hoc de argumento

to tractarunt, regulæ instar exstitit scilicet Bedæ, Adoni, Usuardo, cæterisque hujusmodi: unde quia Eusebii, & Hieronymi Martyrologia pugilum nostrorum fidei verba non faciunt, propterea posteriores Scriptores nihil de illis scripserunt, neque in suis Martyrologiis quidquam inserere voluerunt, ob venerationem & religionem in S. Hieronymum ac suum Martyrologium, quod hac in parte intactum manere existimarunt, quemadmodum in re non dispari celeberrimus arguit Natalis Alexander hist. Eccles. edit.Neap. Tom.v. sæcul.I. Dissert.xvii. Proposit.I. & seq. loquens de silentio perspicui appulsus S. Mariæ Magdalenæ in Gallias. Hinc recte conjicio, quod ipso ductus momento Baronius, Sanctos nostros, quamquam domesticos, in Martyrologio præteriverit suo. Verum percrebrescente eorum fama sanctitatis & miraculorum gloria, Ecclesia Romana fere Marsis finitima, hunc scrupulum excutiens, post Baronii mortem, sicut & aliorum Sanctorum ab ipso præteritorum, suo addidit Sanctorali ipsorum Passionem ac Venerationem, quam sequentibus verbis enunciari voluit ad diem xxxi.Augusti: *Apud Marsos Sanctorum Simplicii, & Filiorum ejus Constantii, & Victoriani, qui sub Antonino Imperatore varie primum excruciati, tum demum securi percussi, Martyrii coronam adepti sunt.* Nisi velimus dicere, quod Vir ille doctrina & purpura eminentissimus morte interceptus, quæ de nostris Martyribus paraverat, ab eo qui suum Opus continuavit, typis mandata fuerint: quod disertius factum est a laudato Ferrario, qui in Sanctorum Catalogo, Sanctos in Romano Martyrologio præteritos atque dispersos, in unum redegit opus, denunciavitque in ipso titulo: *Ex variis Martyrologiis, Kalendariis, Tabulis Monumentisque Ecclesiarum, necnon Vitis eorundem impressis seu Manuscriptis, & quamplurimis historiis collecto*; ibique p.337. ad dictam diem xxvi.relati mensis, & in Adnotationibus de Sanctis Simplicio Constantio & Victoriano fuse agit.

Neque hæc apud antiquos, si fas est ita dicere, oscitantia de Sanctis Martyribus quicquam eis obesse debet: Etenim si licuit Ravennatibus, Mediolanensibus, Parisien-

ſibus, Lugdunenſibus, atque etiam Marſis pro Sancto Berardo, & Sulmonenſibus pro S. Pamphilio, aliiſque ſuos colere Epiſcopos, vel Cives Sanctos, quum tamen & antiqui Martyriographi de aliquibus nullum verbum fecere: Neque Eccleſia univerſa, vel Romani Pontifices nondum certi de eorum ſanctitate ea morali certitudine, quæ poſtmodum in Canonizatione Sanctorum Romæ adhibita fuit, aliquid contra eos ſciſcitati ſunt aut conqueſti; ſic etiam cuique licet numerum ingentem hominum ſanctitate probatorum colere in antiquis Martyrologiis omiſſorum. Sanctam quoque fœminam Veronicam, alioſque hujus generis Sanctos Eccleſia olim toleravit & tolerat, quanquam nullibi de iis exſtent antiqua, ſatiſque exploratæ fidei documenta, & palam coluntur, aut Chriſtifideles de eorum ſanctitate minime ſuſpicantur. Nihil itaque evincit ſilentium, quo noſtrorum Martyrum memoria in antiquis Martyrologiis, & a Baronio ſit omiſſa. Quum de iis præcipue habebamus per tot ſecula relatum Cultum immemorabilem, traditionem, fidem publicam tot populorum, Sacrarum Reliquiarum Inventionem, Translationem, Ædes Sacras, Altaria, pia dona, votivas Tabellas, Miracula, & Officium ex ipſorum Actis depromptum & a toto Clero Celanenſi antiquitus ante Bullam Pianam in Choro & extra recitatum, diemque Feſtum Natalitium longe lateque celeberrimum: Omnia hæc & ſimilia veritati, omnia vetuſtæ totius Eccleſiæ diſciplinæ optime congruunt: Quam probe firmat & commendat Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio S. Polycarpi Apoſtolorum Diſcipuli, & conſtat ex inſtitutione S. Cypriani Epiſt. xxxvii. editionis Pamelianæ ad Presbyteros, & Diaconos Carthaginenſes, & auctoritate S. Gregorii Niſſeni in Vita S. Gregorii Neoceſareæ in Ponto Epiſcopi: Priſcum ſcilicet morem colendi Sanctos Martyres a ſuis incunabulis optime novit Marſorum Eccleſia: Nec id ignotaſſe notandum eſt, quod S. Gregorius Thaumaturgus ſancivit, Diœceſim ſibi creditam, finitimoſque populos luſtrans poſt finem perſecutioni impoſitum, docendo, ut nomine eorum, qui pro Fide Catholica certaſſent, dies Feſti, ac ſolemnes

Con-

Conventus celebrarentur, ex Surio in Vita ejusdem, ac Martene in libro de antiq. Eccl. Discipl. cap.xxx. num.2.

Neque solum in Marsis, verumetiam in aliis Regionibus Martyrum nostrorum memoria antiquitus claruit; quum præcipue Deo in illorum honorem extructæ fuerint Ecclesiæ. Ex his fuit illa, quæ X. Jesu Christi seculo juris erat illustris Cænobii S. Stephani Prothomartyris ad Rivum Maris, late fundis & annuis proventibus aucta: Cujus mentio fit in antiquo Catalogo, sive Indiculo memoriali Ecclesiarum ipsius Monasterii, scripto tempore Joannis Abbatis anno Domini M. VI. sequentibus verbis: *Sanctorum Simplicii & Filiorum in Balerna, sive Valeria nova*, ut in aliis ejusdem Cænobii Scripturis exprimitur: Locus scilicet, ubi fundata fuit hæc Ecclesia, in Valvensi Comitatu erat in *via Valeria nova*. Monasterium vero S. Stephani constructum in Frentanis prope Istonium, nunc *Vasto d' Amone*, non uno nomine spectatum fuit. Historiam ipsius fundationis, incrementi, fortunæque variæ scripsit Monachus ejus alumnus Anonymus regnante Guiglielmo II. utriusque Siciliæ Rege, quæ M. S. sub nomine *Chronici* apud eruditos Regionis homines circumfertur. De ipso Cænobio peculiarem Dissertationem lucubravit Joannes Baptista Pollidorus in elaborato opere, quo Frentanorum suorum antiquitates illustrat, propediem edendo. Monumentum autem Ecclesiæ nostrorum Martyrum nobiscum communicavit q. Petrus Pollidorus Frentanus, atque S. Petri in Vaticano olim Beneficiatus, Joannis Baptistæ Germanus Frater & jam amicus noster; cujus interitum, qui anno M. DCC. XLVIII. Romæ evenit lacrymis potius quam laudibus prosequi debemus: Dum ille varia eruditione ornatus, omnes Corporis vires, vitamque totam ad gesta Summorum Pontificum aliaque notissima opera illustranda impendit: quum enim communi vita frueretur, nos certa Epistola monuit, ipsum documentum legisse in Archivo Collegii S. Bonaventuræ Urbis apud Fratres Minores Conventuales S. Francisci, cui postidem Sixtus V. Monasterium S. Stephani perpetuo univit, eoque omnia Manuscripta deduci jussit. Memorata vero Balerna, barbaris

baris temporibus ita vocitata, eadem ac Valeria in Marsis nota Civitas exstitit. Neque de antiquis hisce vocibus mirum; nam hæc pariter Valvensis Ecclesia, quam hactenus decennio immeritoque moderamur, summa priscorum ignavia, Balvensis fuit appellata, & illius Episcopi nonnunquam Balvenses, ac Valvenses, aut Babenses nuncupati sunt, teste V. Cl. Dominico Georgio de Cathed. Eccles. Setin. pag. 102. & 104.: Ipsique vetusti Comites etiam Balvenses olim dicti fuerunt, ex Leone Ostiensi in Chron. Cassin. lib. III. cap.xxx. apud Gattulam hist. Cass. tom. I. p. 164. *Sed & Marsorum Comitum, ac Balventium filiorumque Borrelli* .... & pag.120. vel 124.col.2., necnon pag.236. col.2. *Theodinus quoque, & Oderisius, atque Berardus Balvenses Comites .... tam in eodem Comitatu Balvensi, quam in Marsicano & Teatino*: Similiaque observantur nomina in aliis vetustis Codicibus ob crassam ea tempestate corruptelam, ut Joannes Mabillonius de re Diplom.libr.II.cap.I.§.VI. refert. Valeriam itaque Urbem in Marsis floruisse nemo hæsitavit; nam quicquid sit de illius ambigua origine, ut præstantium Civitatum initia sunt, ita Strabo libr.V. .... *in ea Urbes latinæ Valeria, Carseoli, Alba .... & prope Urbes, Cucullum Oppidum ....*: Quod nunc Celano, & in Spiritualibus Valvensi Cathedræ subest, ubi molarem dentem S. Dominici Cistercienfis Abbatis devoti Oppidani precibus venerari & osculari solent: Ad eas porro Reliquias undique rabidi canis morsu aliorumque venenatorum dente offensi pie recurrunt & illius meritis sospitatem recipiunt; bruta autem ignito illius mulæ ferro impressa, furorem non timent; adeoque Templum crebra Miraculorum coruscatione, & populorum concursu in dies frequentatur, ex Phæbonio histor. Mars. pag.175. & Reg. Mars. Part.I. pag.695.; Quam quidem Ecclesiam olim Sancto Egidio, posteaque S. Dominico dicatam & nuper instauratam, ipse anno M. DCC. XLVI. solemni Ritu in secunda Pastorali Visitatione consecravi. De ipsa Valeria opportune actum est supra: Et lege Sigonium hist. lib.I. aut III. cap.VIII., qui eam inter XVII. Italiæ Provincias apud Marsos numeravit: Proinde Civitas Valeria, & Marsica, utroque scilicet no-

nomine fuit appellata, ut Phæbonius ſcribit hiſt. Marſor. pag. 276., & generatim tradunt Holſtennius, Cluverius, Pitiſcus, Pancirolius, Albertus, & ita Paulus Diaconus in hiſtor. Longob. lib.II. cap. xx.: *Provincia Valeria habet Urbes Tiburim, Carſeolos, Reate, Forconium & Amiternum Regionemque Marſorum, & eorum Lacum, qui Fucinus appellatur*. Illius memoria ditior apud S. Gregorium Magnum Tom.II. Dialogor. lib.I. cap.IV. col.164.; quem alia opportunitate ſuperius laudavi. Nicodemus autem hiſtoriæ Tiburtinæ Scriptor in lib.III. cap.IV. pag.62. ait: *Valeriam.. Urbem ad Fucini Lacum.... Bonifacium quartum.... exhibuerit Pontificem; quinimmo quando Italiæ Provinciarum innovata fuit diviſio, quæ paullo ante Conſtantini Magni Imperium inſtituta traditur, Marſis.... Valeriæ nomen communicavit*. Ughellus Tom.I. edit.I. col.953. vel edit.2. col.883. ſcribit *Regionis Marſorum quatuor principes numerantur Civitates, Valeria ſcilicet Patria Bonifacii IV. Pontificis plano impoſita, cujus adhuc partim in Lacum partim ad litus cernuntur veſtigia. Ab ea Urbe Gothorum temporibus totus ille terræ tractus Provincia Valeriæ vocabatur, ut non ſemel memorat Gregorius Papa Magnus in Dialogis; Longobardi Regionem ipſam Valeriam nuncuparunt....* Ex hac Provincia *via Valeria* apud omnes celeberrima fuit, de qua late in Reg. Marſic. pluribus in locis & in meo libro de Anienis amne ac *viæ Valeriæ* Pontibus Romæ anno M.DCC.XVIII. evulgato: De Via Appia lege opus eruditiſſimi Viri Franciſci Mariæ Pratilli nuper editum. Itaque longe illuſtrior Sanctorum Martyrum noſtrorum memoria evaſiſſet apud exteros ſi natu Majores priſca illorum Acta diligentius apud ſe aſſervata cum aliis Viris doctis aliarum nationum communicaſſent: Ideoque dolemus, Ughellum ipſum, qui certa quædam Acta a Marſis obtenta, vel aliunde accepta ad Bollandianos, ut illi fatentur, dono miſit, de Martyribus noſtris nullam prorſus mentionem feciſſe; etſi Tom.I. edit.2. col.885. Vitam S. Rufini Antiſtitis & col.894. S. Berardi Cardinalis Marſorum Epiſcopi illuſtraverit: Floruit hic ſanctitate ac doctrina inſignis an. M.C.X. obiitque apud Marſos III.

No-

Nonas Novembris anno M. C. XXX., ubi populorum religione colitur, de quo Phæbonius & Reg. Marsic. Par.II. pag.152. Nisi adserere velimus, præfatum Ughellum noluisse Acta Sanctorum confundere cum Antistitum gestis, quæ in ipsa Italia Sacra tantum referenda suscepit. Ego autem pro Sanctis Simplicio, filiisque suis utinam sub oculos habuissem vetustum Kalendarium Burgundicum sæculi VII. labentis, vel initio sequentis in Diæcesi Lingonensi compertum, cujus meminit Theodoricus Ruinartius in Præfat. Gen. ad Acta Martyrum sincera §.II. n.19.: Nam etsi ab eruditis hominibus illud hactenus delitescere putetur, multa fortasse de memoratis Martyribus in Burgundia ortis, vel saltem aliquod præcipuum notatione dignum suppeditasset, si nobis idipsum legendi facultas data esset: atque de his satis.

Nota II.

Sed ne extra lineam egredi videar, ad Romanum Martyrologium, unde opportune discessi, regredior: licet enim ipsorum mentio in paullo ante relato ejusdem Martyrologii textu solummodo legatur, nullumque verbum in Adnotationibus fiat; ex recensitis tamen Actis cæterisque recensendis monumentis, atque vetustis Lectionibus, & Divinis Officiis jampridem Celanensi Ecclesiæ traditis, ibidemque diu servatis, aut e Manuscriptis Actis per Bollandianos insertis, Simplicii & Filiorum veneratio extra id etiam Martyrologium clara mihi videtur: Si namque ex Libro Primo Optati Milevitani, qui teste Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.115. quarto sæculo floruit, olim non licuit quemvis pro Fide occisum veluti Martyrem in Codicibus annotari & coli, neque illius Lectiones publice absque Romanæ Ecclesiæ auctoritate recitari, teste Ruinartio in Præfat. Gen. ad Acta Martyr. Sincer. §.IV. pag.67., consequens erit asserere, dictum cultum Sanctorum nostrorum cum Lectionibus propriis Celani recitatis, antiquissimum fuisse, ac priscis temporibus facultate Apostolicæ Sedis

dis permissum. Post vero addita, ut paullo ante dictum est, Sanctorum nostrorum nomina auctoritate Urbani VIII. Pontificis Max. in ipso Romano Martyrologio sub dicta die XXVI. mensis Augusti, multi, qui quovis modo illud illustrarunt, eorumdem rite meminerunt. Sic Augustinus Lubinus curans novam Martyrologii publicationem, eam Mappis Geographicis anno D. CIↃ.DC.LXXXI. proprio tum calamo tum scalpro exactissime delineatis & sculptis ob oculos loca posuit in Martyrologio contenta, Notisque historicis locum obitus & temporis cujuslibet Sancti in eodem Martyrologio descripti adornavit, ut Civitates, ipsaque Loca in Tabulis præcipuas Notas haberent, ubi Tab.V. pag.148. Sanctos nostros Simplicium, Constantium, & Victorianum digna mentione clarificavit. Vir etiam doctissimus Franciscus Maria de Aste Archiepiscopus Hydruntinus recentiorem Martyrologii editionem explevit, quam aliis Notis ut plurimum ex Bollandiano insigni Opere desumtis, illustrando, ibidem pag.392. eosdem Sanctos Simplicium, filiosque suos gloriosa memoria celebravit. Abbas Castellain Parisiis prelo consignavit Martyrologium Universale cum Romani Martyrologii textu, quod gallice cum pluribus aliorum Sanctorum additionibus transtulit, ubi de nostris Martyribus ad d. diem XXVI. Augusti Gallorum lingua cum laude riteque loquitur.

Quanti ergo existimanda sit Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani a dictis auctoribus edita mentio, & in Martyrologio Romano etiam post mortem Cardinalis Baronii facta descriptio, quisque Vir doctus, & hujusmodi rerum Ecclesiasticarum peritus facile intelliget. Id enim actum est statim sequuto eodem Baronii obitu auctoritate memorati Pontificis Urbani VIII. post auditos complures doctissimos, lectissimosque Viros, novæ Martyrologii editioni, & recensioni præpositos, caussa cognita, monimentis diu exploratis & expensis exacte, quæ vetustissimum illorum Cultum, & publicam in Marsis, alibique Venerationem testabantur: Omnibus diligenter ac sedulo in plena Congregatione Eminentissimorum Cardinalium

L Ri-

Ritibus Sacris præposita, consideratis: Tam gravi, maturo, exactoque Apostolicæ Sedis Judicio, nemo sine apertæ temeritatis nota poterit unquam adversari. Quantum autem præsidii amplificando ipsorum vetustissimo Cultui hoc facti genus afferat, æque perspicuum exploratumque est: Nam Bartholomæus Gavantus in Thes. Sacr. Rituum sect.v. Cas.xxi. n.7. de Sanctis in Romanum Martyrologium relatis verba faciens, eos omni veneratione dignos affirmat: & Lezana Consult. var. Tom.iv. Consult.ii. n.23. & 46.quoque ait: *Jure .... de prædictis Sanctis Officium celebrari potest: siquidem eo ipso, quod in Martyrologiis recensentur, digni videntur isto Cultu.* Legendum est insigne Opus SS. D. N. Benedicti Papæ XIV. de Servor. Dei Beatificat. & Beator. Canonizat. variis in locis pro Sanctis in Martyrologio descriptis: ac de illis, qui in vetusta Cultus possessione reperiuntur, non perturbandis [ut de Martyribus nostris liquido patet], ibidem libr.iv. part.v. cap.v. a num.i.

Nota III.

PRo re ipsa plenius & exactius illustranda, ultra jam dicta, non desunt alia, quæ minime reticeri debent, eorundem Martyrum monimenta. In Bibliotheca Patrum Eremitarum S. Augustini apud Urbem Aquilam, antiquissimum exstat Martyrologium titulo Usuardi M.S., & in charta pergamena Gothico charactere exaratum ab Illustr. Aquilanorum digno Præsule m. dcc. xlvii. nobiscum communicatum, ubi hæc habentur: *Septimo Kalendas Septembris: apud Celanum Natali Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani.* 26.Junii: extat hujusmodi M.S. Martyrologii Usuardi in eodem Conventu adservati memoria in ejusdem Præsulis novissima Dissertatione super Actis S. Maximi Levitæ & Martyris Neapoli nuper edita apud Joseph de Bonis 1749. pag.2. & alibi. In Otthoboniana Urbis Bibliotheca perstat Volumen M. S. cum variis adnotationibus historicis & criticis ad Breviarium & Martyrologium Romanum spectantibus adornatis tempore Urba-

bani VIII. laudati Pontificis: atque ad diem XXVI. Augusti nostrorum Sanctorum exhibetur memoria addenda dicto Romano Martyrologio, qua de re memoratus Petrus Pollidorus per peculiarem Epistolam nos olim certiores fecit. Penes ipsum Martyrologium Romanum edit. Ven. cIↃ.DCC.XX. pag. 155. post relata verba: *Apud Marsos SS. Simplicii ....* In suo Indice lit. S. notatur: *Simplicius Martyr cum Filiis apud Marsos 26. Augusti*: Lit. C.: *Constantius Martyr Filius Simplicii apud Marsos 26. Augusti*: Et lit. V.: *Victoriani Martyr Filius Simplicii Martyris apud Marsos 26. Augusti*. In alio Martyrologio italice vulgato M. DCC. II. ad dictam diem pag. 153., eadem verba leguntur. Ita etiam apud cit. Lubinum in d. Notis ad Martyrolog. Tab. v. pag. 148., & Fran. M. de Aste Archiepiscopum Hydruntinum in allatis Adnotationibus pag. 39.: Pro aliorum hominum sanctitate probatorum memoria in Divino Officio habenda legendus Card. Bona in libro de Divin. Psalmod. cap. XVI. §. XIX.: Doduvellio autem Scriptori Heterodoxo adversus Romanam Ecclesiam ejusque Martyrologium inepte loquenti, respondet Theodoricus Ruinartius in Præf. Gen. ad Acta Martyr. sincer. & select. §. III. pag. 61.: Scaccus vero in tract. de Notis & Signis Sanctitatis sect. II. cap. IV. ita perinde ac pro re nostra inquit: *At imprimere nomen alicujus in Martyrologio respicit quamdam extensionem Cultus, quem cuipiam præstare sine consensu Sedis Apostolicæ nec Episcopis conceditur ....*: Et Granad. in Tractatu de Fide Tract. VII. disput. II. sect. III. subdit: *Censeri debere Canonizatos ab universali Ecclesia & Summo Pontifice omnes illos, qui in Martyrologio Romano continentur*; *etenim de illis tanquam de veris Sanctis fit mentio in universali Ecclesia ...*: Satis de Martyrologio Romano, Sanctisque nostris in eo, & in aliis supra relatis.

§. VIII.

Quibus sane præmissis, revocandus est sermo ad methodum per doctissimos Bollandiani Operis Socios servatam: quam in sæpedicto §.II. Dissertationis ipsorum sensu exemplatam dedimus, & nunc ex ordine iterum damus: *Hac vero die illos itidem coli conficitur ex Titulo, qui eorum Actis seu sex Lectionibus M. SS. & postea dandis præponitur, & hæc habet: Die 26. Augusti festo SS. Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani Celani in partibus Marsiæ ....*

Nota I.

Quidnam hoc monumento præclarius ad honorificam religiosamque horum Martyrum memoriam, quod attinet, esse potest? Ubi ante oculos hunc habemus titulum: ... *die* xxvi. *Augusti .... Celani in partibus Marsiæ ....*: In eo aperte designatur ipsorum dies festus, & anniversaria celebritate Cultus in Marsis ipsa die xxvi. dicti Mensis, nempe Celani in Marsorum Provincia, quæ antiquitus Marsia vocabatur. Ex his sane verbis Acta nostra magis magisque firmantur, quia non dissimiliter de aliis locis veteres scribebant, ut de S. Zoilo in novissima editione Adoniana habetur pag.8.: *In partibus Aquilejæ Sancti Zoili Presbyteri & Confessoris ....* Sed in antiquis Manuscriptis a Leone Ostiensi in Chronicis lib. II: cap. xxxiv., & lib. III. cap. xix. memoratis, cæterisque relatis in Reg. Marsic. Par. I. pag. 24;, ita sæpissime legimus: *S. Benedictus in Marsia*: *Præpositus S. Benedicti de Marsia*, aut *prope Marsiam*. Neque hujusmodi voces alicui suspectæ esse debent veluti Scribæ additamenta; quoniam cit. Leo, genere Marsus, & Ostiensis appellatus ob Episcopatum Ostiæ Tyberinæ, quo & Cardinalis emicuit lib. II. cap. xvi. scripsit: *Prope Marsiam in Campo*, & d. cap. xxxvi.: *per Marsiam*. Bulla Victoris Papæ II. Friderico Abbati Cassinensi directa, quam Erasmus Gattula in recenti Cassinensium historia Par. I. sæcul.

cul. VI. pag. 145. 146. recenſet: *S. Benedicti in Teano cum ſuis Cellis .... S. Benedicti in Marſia ....* In Nicolai II. Diplomate Deſiderio Abbati conceſſo loc. cit. pag. 147. 148. *Nicolaus Epiſcopus .... Deſiderio dilecto Filio .... Paſtoralis ſollicitudinis .... In primis Monaſterium D. Salvatoris ... Cellam S. Benedicti in Marſi & S. Coſmatis ....* Et in alia Urbani II. Conſtitutione pag. 149. 150.: *In Marſi Territorio Carſeolano Caſtellum, quod dicitur Auricula, Piretum ...* Quibus addas cum hac epigraphe Opus: *Notitia Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani* lib. IV. cap. I. edit. Antuerpiæ M.DC.XIII *Marſi Urbs Epiſcopalis Latii ſub ... apud Fucinum Lacum*; illud tamen emendandum, ubi Epiſcopatum hunc ſub Archiepiſcopo Teatino deſcribit: Nam teſte cit. Ughello Ital. Sacr. Tom. I. in Diæceſi Marſorum, is Apoſtolicæ Sedi immediate paret; eademque res omni Scriptorum teſtimonio comprobatur.

§. IX.

UT autem verba verbis quaſi demenſa ſcopo noſtro reſpondeant, iterum præclara delibamus Acta Sanctorum Orbis Tom. V. ſub d. die XXVI. menſis Auguſti, ubi ea in cit. §. I. per nos tum maxime ipſorum VV. CC. Continuatorum progreſſu allata, nunc pari ordine, repetamus oportet: *Poſt Lectiones .... ſequuntur iſtæ Antiphonæ, quarum prima ſic ſonat, quæ eſt Antiphona ad Magnificat: Gaude felix Celani Tellus, quæ tantorum Martyrum memoriam tenet .....*

NOTA I.

DE his Lectionibus in laudata Eccleſia Celanenſi olim recitatis cum ſuis Antiphonis actum eſt ſupra in Nota I. §. V.: quæ autem ſequuntur, ceu allatis ſupplementa benigne accipias; nam ipſas Antiphonas & orationes, quibus memorata Eccleſia priſcis temporibus utebatur, Cl. Bollandiani iiſdem recitant verbis. Ignotum vero minime eſt, quod

quod ante Bullam S. Pii V. in Breviario Romano impressam, insigniores Ecclesiæ Antiphonas & Orationes proprias Hymnosque suos ad Vesperas, & Laudes habuerint, ut etiam testatur V.C. Dominicus Georgius de Eccles. Setin. pag. 184., ubi præcipuum recitat Hymnum S. Lidani Confessoris, genere Marsi, & Abbatis Monasterii S. Cæciliæ prope Setinos, miraculis clari. Primus Hymnus ibidem insertus, ac more antiquorum compositus, apprime similis est prædicto Celanensis Ecclesiæ, & incipit: *Gaude Setina Civitas*: Secundus: *Pius Pater, quot filios*: Tertius: *Pastor fidelis filios*. S. Lidani Corpus in Cathedrali Setina honoratur, ejusque Vitam leges in nostra cit. Reg. Marsic. Part. I. pag. 144.: Quotuplex denique Antiphonarum sit genus, & quænam specialiter in Antiphonis propriis veniant observanda, indicat Guyetus in sua Heortologia libro III. cap. IV. quæst. IV., qui de peculiaribus Hymnis d. libr. III. cap. V. agens, factum esse docet, ut quodcumque carmen in laudem Dei, Hymnum vocemus: ita quoque Sanctus Isidorus libr. I. de Divin. Offic. cap. VI. & libr. V. Etymol. cap. XIX.: *Canticum laudantium pro eo, quod sit carmen lætitiæ & laudis*: Diu ante illum Philo Judæus de primis Christianis sermonem habens in libro de Vita Contemplava scripsit: *Non solum contemplantur, sed etiam Cantica, & Hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum, carminumque genere concinnatos in angustiorem, ac religiosiorem speciem*. De antiquissimo Hymnorum usu agit Cardinalis Bona de Divin. Psalmod. §. IX. cap. XVI. pag. 370.; Illorum autem auctores recenset Gavantus sect. V. cap. IV. Urbanus VIII. emendavit Hymnos Breviarii Romani, teste Guyeto libr. III. cap. V. quæst. II., ubi rationem affert, cur olim tales Hymni Sanctorum componerentur: addit vero: *Debet Hymnus esse proprius, adeo ut Sancti cujus memoria agitur, laudes ex propriis illius factis, iisque eximiis, ac selectioribus explicet....*: De Hymnis propriis variarum Galliæ Ecclesiarum, idem scribit pag. 363. ad 398. & pa. 173. dict. libr. III. cap. V. quæst. III., Hymnos ab ipso Summo Pontifice Urbano VIII. editos memorat.

§. X.

§. X.

Perspicui Bollaudiani in sæpedicto §.I. vers. *quæ de publica*, hæc de nostris Athletis, eorumque Sanctorum Corporum Inventione, nunc denuo a nobis pro ratione ordinis subscripta, dixerunt: *Quæ de publica Sanctorum Veneratione retuli, hactenus illustrari possunt ex historia Inventionis, quæ narrat quomodo Corpora eorum sint inventa & translata. Ex hac historia, quam in M. S. italico idiomate habemus .... excerpo sequentia, quæ quo authore quo tempore sint conscripta non lego in ejusdem historiæ contextu. Præmisso itaque Actorum dictorum Compendio narrat Anonymus sub Monte Piticino ad fontem aureum hosce Sanctos pugiles occisos fuisse.... Territorio autem Celanensi, sicut pergit bellis destructo, eorumdem Sanctorum Corpora deinde inventa fuisse asserit ac deposita in Parochiali Ecclesia dicti Territorii arcæque inclusa marmoreæ ait pro Altari nunc servit in dicta Ecclesia, ubi istam legi addit Inscriptionem: Hic requiescunt Corpora Beatorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani.,..:* Quæ omnia his Notis e Selectis auctoribus, & Annalibus nostris deprompta, illustrabimus.

NOTA I.

Quoniam vero ex relato verborum tenore antiquissima nostrorum Martyrum Inventio ita perspicua fit, ut infirmari nulla ratione possit; erit nihilominus illustrior, si quæ sequuntur, ab instituto opere haud aliena, subjiciamus. In citato M. S. egregii Præsulis Francisci Mariæ Phæbei Romæ olim doctrina ornatissimi, quem antea & in Regia Marsic. pag. 531. 534. memoravi, clare habetur, Beatum Joannem de Fulginio Anachoritam in Marsis anno c. LXXIII. vel c. LXXIV., religionis studio succensum erexisse more Tugurii in honorem S. Joannis Evangelistæ Oratorium prope vetus Celanum, Fontemque aureum nuncupatum in Montis Pisicini radice: Tunc etiam Vir Dei in eodem

eodem loco ſerpentum copiam, gentium detrimento cubantem expulit: ac poſtmodum ſuperna juvante gratia, piiſque ad Deum fuſis precibus alia præclare geſſit. Nam ibidem non ſine magno Celanenſium ac finitimorum populorum gaudio invenit Corpora Sanctorum Martyrum Simplicii, Conſtantii, & Victoriani. Qua de re in M. S. Codice apud Jacobillum de Sanctis Umbriæ Tom.I. pag.63. ad 67. & Tom.III. pag.239. ad 242. latine nunc reddito, legimus: *Beatus Joannes de Fulginio unus ex Eremitis, qui omni pietatis æſtuabat ardore in Marſis, ut Deo adprædilecti Apoſtoli honorem cæleſti voluntate Fanum erigeret; ſpatium denotavit, parvaque mole ad conſtructionis fulcimen aſſurgente niſus, genibus fervidas in Dominum preces ſæpiſſime dirigebat; ſicque tantiſper immanens, ut e ſomno evigilavit, ſarculum excipiens, terram dimovit, adque imum perfodiens, ligneam Capſam invenit, cujus operculum ſublevando, Corpora Sanctorum Martyrum Simplicii, Conſtantii, & Victoriani divinum odorem fragrantia eodem in loco adſervata invenit, nulla prorſus temporis injuria labefactata ac ſi tunc fuiſſent humata; quæ devotionis gratia ſtatim extraxit, & in lapideam Capſam pie collocavit....*: Melius in dicto Manuſcripto pro lignea Capſa ob temporum congruentiam dicta fuiſſet urna laterum, vel terræ coctæ, ex adnotatis in Reg. Marſic. Part:I. pag.535. num. marg.1. Porro ejuſdem M.S. nonnulla verba corrupta, quæ prima facie hiſtoriam turbant, ac Scriptorum culpa vitiata videntur, vel quia Chronographus ea tempeſtate non omnia, quæ acciderant bene digeſſit, Sacræ Inventioni Actiſque noſtris minime adverſantur. Nam de vetuſtis Codd. M.S. ſimilia leges in Cl. V.Laurentio Alexandro Zaccagna olim Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto de Codice Setino apud Georgium in Appendice hiſtoriæ illius Cathedralis Eccleſiæ pag.207.: Ac proinde perperam in ipſo Manuſcripto notatum fuiſſe opinor, eam Inventionem Corporum noſtrorum Martyrum contigiſſe tempore Pandulphi Marſorum Epiſcopi. Siquidem Beatus Joannes Fulginas enunciato anno C. LXXIII., vel ſequenti primus ſacræ illius actionis au-

auctor exstitit, & Pandulphus Episcopus, quem Ughellus in Ital. Sacr. Tom.I. edit.2. col.969. sub annum M.LVI. floruisse scribit, novam tantummodo ipsorum Martyrum Translationem [ut paullo post fiet clarius] explevit: en igitur hujusmodi tenuis discrepantiæ conciliatio, ex qua omnis depellitur historiæ confusio.

Pergit auctor citatæ relationis historicæ M.S. enarrare, quæ sequuta sint sequentibus verbis latine etiam redditis: *Dum B. Anachoreta Catholicam Fidem verbo & opere ea tempestate Celani sub dicto Monte ampliare curabat, Omnipotens Deus, ut a cunctis glorificetur, in Martyres nostros mirabilis apparuit; quoniam in dicta Sacra Inventione cæcis lumen restituit, & Cæmentariis duplicavit annonam. Gualterius unus ex Beati Discipulis assidue aquam ædificio porrigendo, die quadam, ut ei mos erat prope dictum Fontem aureum* [nunc etiam Fontem magnum nuncupatum] *degendo, horridum vidit anguem suis brachiis se involvere tentantem: Is licet magno timore percussus, maxima tamen fiducia in Martyres roboratus, ipsorum glorioso nomine invocato, incolumis exstitit; serpens vero statim fugit. Nec similia portenta, summo Numine auctore, in ea actione, aut majora, quæ ibidem recitantur, defuere. Fama igitur echo faciente, e longinquo claudos, miserosque homines ab immundis spiritibus vexatos, cæterisque malis pressos, immunes tunc redeuntes, & Martyrum fasta præcinentes accersivit; jugi etiam concursu devota gentium fides suos illic thesauros deponens, & prædia in titulum cedens, sacram illam nascentem ædem more Tugurii pro temporis conditione locupletavit. Interea B. Joannes Dei beneficia iisdem prædicando, Marsos omnes in illius charitatem & Martyrum observantiam inflammavit, sacroque pabulo enutrivit. Divino Cultui magis magisque intentus S. Joannis Evangelistæ hujusmodi Celani Oratorium, aliudque S. Mariæ ad Paludem juxta Fucini Lacum, & S. Marci apud Focem in Marsorum regione construxit....* Hæc autem si vera semper a priscis, recentibusque Marsis, & Celanensibus, ut hic sæpe probatur, habita sunt, non est cur a citato Manu-

M scri-

scripto tantopere quispiam abhorrere debeat: Nam inter insigniores historicos, & critica instructos arte, habemus citatum Bzovium, qui nostris M.SS. Codicibus sæpissime memoratis inhærens, eorumdem Martyrum sepulturarium locum suo etiam testimonio, & calculo firmavit in hist.Eccles. Tom.I. libr.II. ad ann. c.lxx. & c.lxxi. pag. 249. ubi hæc habet: *Circa hoc tempus vixit Simplicius nobili genere natus ex Burgundionibus ortum ducens in Gallia. Is una cum Constantio & Victoriano Filiis .... quum Diis sacrificare nollent, in locum obscurissimum serpentibus plenum detrusi sunt ....: denique ad aureum Fontem apud Montis Piscini radices decollati sunt. Horum Corpora a Crescentio Presbytero ibidem sepulta sunt VII.Kalend. Septembris, uno ex Lictoribus Cæsareo nomine, viso ingenti terræmotu, ad Fidem converso ....*

Nota II.

Locum in vetusto Manuscripto Codice de prædictis Actis designatum serpentibus plenum, explorata Marsorum historia comprobat, & perspicua antiquorum Scriptorum testimonia confirmant. Enimvero frequentes in Marsis angues fuisse Plinius hist. Natural. libr. vii. cap.ii. pag. 141. asseruit; cui probe consonant Martinus del Rio disquisit. Magicar. libr.I. quæst.xiii. pag.70. & 71. & libr.I. cap.II., Panvinius de Lud. Circens. libr.I. in Thes. antiq. Rom. Tom.ix. Grævii col.154. Textor. in Officin. pag.118.& 125. Ideo Samuel Pitiscus in Lexicon Rom. antiq. Tom.II. p.166. scripsit: *Marsi, hoc est serpentarii, antiquitus in Circo quoque fuerunt*, & Lampridius in Heliog. penes Reg. Mars. Part.I. pag.34. 35. inquit: *Serpentes per Marsicæ gentis Sacerdotes collegisse fertur ...*: Vide & Aulum Gellium lib.xvi. cap.II.: unus autem cæterorum loco sufficiat Clarissimus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus, qui libr.xi. in Genesi cap.xxvii. edit. Basileæ m. d. lxix. col.669., vel edit. Venet. m. d. lxx. pag.122. ait: *Nam & quod putantur audire & intelligere serpentes verba Marsorum, ut eis incantationibus prosiliant, ple-*

plerumque de latebris etiam illic diabolica vis operatur .... Et Tom.II. de Ritib. Eccles. cit. edit. epist.c.XIX.pag.170.: *Contradicant & Marsi, ne dicatur nobis: astuti sunt serpentes*: In psalmum vero LVII. Oper. Tom.VIII. pag.188.: *Magnam rem audituri estis. Indignatio eis secundum similitudinem serpentis: quasi diximus ....sicut aspidis surdæ.... Aspis cum cœperit pati incantatorem suum Marsum, qui eam quibusdam carminibus evocat.... Ita ergo & hic data est quædam similitudo de Marso, qui incantat, ut educat aspidem de tenebrosa caverna....*: Quod etiam testatur Cornelius a Lapide S.J. Tom.XIII. Commentar. in Acta Apostolor. cap.XXVIII.col.358. vers.5. §.*Sunt in Italia*. De Marsorum serpentibus agit pariter Surius in Sanctis mensis Julii Tom.IV. pag.157. *Vocavit Faustinianus ad se Marsum, & dixit ei .... Marsus, qui Audax dicebatur ....* De ipso Audace Marso serpentium incantatore, & postea in S.Anatholiæ Martyrio prope Marsos Socio, videndus Ado in Martyrologio ad VII.Idus Julii & clarius in annotationibus doctissimi Viri Dominici Georgii edit. Rom. M.DCC.XLV. pagin.322. ubi de Marsis serpentum incantatoribus e variis auctoribus agit: & legendi doctissimi Bollandiani ad eam diem IX. Julii Tom.II. pag.671. & seq. Hic tamen intelligas, relatam historiam dicto Codici cohærentem esse, prodigiumque de horrendo serpente, Sanctorum nostrorum invocatione fugato, magni fieri debere. Ex vicinioribus quoque populis complura occurrunt sacra donaria, quæ ob accepta a Deo sanctorum Locorum precibus præsidia contra venenata animalia, iisdem Sanctis sunt exhibita. Hactenus dictis nunc Sancti Pamphili Decessoris Episcopi monimentum religionis gratia addo, cujus celebratur Festum Sulmone, ubi quiescit, die XXVIII. Aprilis cum proprio Officio: ex quo constat piis populis ad sacrum Corpus confluentibus præclara semper divina virtute adfluere Miracula, liberandis præcipue Energumenis ac serpentum noxis mirabiliter arcendis. Officium autem recitatur ibidem sub ritu duplici primæ Classis & octava; necnon semel in mense die non impedita, ex Sacræ Rituum Congregationis, me

M 2 refe-

referente, Decreto sub die xxviii. Julii m. dcc. xlii. De ipso agunt Martyrologium Romanum ad eandem diem xxviii., Paullus Regius Vici æquensis Episcopus, qui illius vitam scripsit, Joannes Petrus Lucchettus, Anonymus quidam de ejusdem Actis Ughellus Ital. Sacr. edit.2. Tom.I. col.1360., & Cl. Bollandiani ad mensem Aprilis Tom.III. pag.583. A quibus omnibus cum Pamphili gesta late descripta sint, hoc loco ad alia pro Dissertatione properando, non putamus iteranda: Attamen scias velim, ejusdem memoriam nunc etiam celebrari in Ecclesia Deo ac ejus Nomini in Terra Ocræ Aquilanæ Diæcesis dicata, cui laudati Sancti Reliquias anno m. dcc. xlix. ab nostra Cathedrali Ecclesia extractas, dono dedimus gratioso.

Nota III.

Ut autem eo, unde digressi sumus revertamur; de Martyribus nostris alia monimenta Bollandianis ignota proferimus & illustramus, ne quid susceptæ provinciæ desit, pioque proposito. Mutius Phæbonius in Marsicana historia libr.III. cap.vii. scribit: *Ante novum Oppidum* [Celani] *Ecclesia a B. Joanne Fulginate Evangelistæ Joanni sacrata extra mænia inter aureum Fontem, Castrumque aspicitur; & licet novis ædificiis aucta fuerit, cum devotioni incolarum non responderet, intra septa elegantiori structura veneratur....* De tali Ecclesia actum est supra in Nota II. §.III., vide Opus nostrum de Viris illustribus Marsorum pag.81. 82. Ludovicum Jacobillum ab ipsis Bollandianis pluries commendatum & a nobis etiam in Nota III. §.VI. alibique memoratum in dicto Opere de Sanctis Umbriæ Tom.I. pag.63., ubi Celanensis Templi & nostrorum Martyrum memorias his verbis latine nunc latis illustrat: *Fulginium Urbs celebris in Umbria circa annum* c. xx. *natales dedit B. Joanni, parentibus Christianis baptizatis a SS. Britio & Crispolto S. Petri discipulis, ac in Umbria Sanctæ Fidei fundatoribus. Is, ut magis serviret Deo, parentes & patriam reliquit, & eo se contulit, ubi est Latii Provincia*

seu

seu Campania, quæ Marsorum Regio dicitur; & non procul a Celano & Lacu Fucino Eremum Templumque construxit ad honorem S. Joannis Evangelistæ. Hic fuit suus recessus, ut dies solitarios ac vitam perfectam duceret; & quia doctrina Literisque sacris & profanis erat ornatus, prædicatione atque exemplis multas animas ad Deum convertere curabat, ut tempestate M.A. Antonini Pii Imperatoris mirifice est executus; Et pag. 67. *Cum ipse B. Joannes a Fulginio ad territorium Reatis ivisset cum Benigno & Cælestino suis discipulis, se interclusit in loco occulto, ut solitariam vitam ageret, sed non multum ibidem degit, quod dictos discipulos remisit, ut suam Ecclesiam & Eremum S. Joannis Celani colerent. Cum enim solus remansisset Sanctus, Ecclesiam, solitudinemque in illo deserto loco erexit, ubi prædicando, Vitæque sanctimonia & exemplo multi Infideles Christo crediderunt, & Deus per ipsam Miracula plura operatus est: Cumque actiones, quas ille Beatus adversus falsa Numina gerebat, Ministri M.A. Antonini Imperatoris scivissent, eum apprehenderunt, & sacrificare suaserunt; sed constantem in Fide inventum, maxima crudelitate interfecerunt: & ita inter Christi Martyres fuit. Accidit hoc circa annum nostræ Reparationis* C.LXXIV. *tertio Idus Januarii. Ejus Sacrum Corpus venerabiliter ipsa in Ecclesia sepeliverunt Fideles: sed postquam a Barbaris diruta remansit, creditur Reate translatum esse, at ubi hodie præcipue quiescat, ignoratur*. In Tom. III. pag. 239. *Natus est B. Joannes Fulgini circa annum nostræ salutis* C.XX. *ex parentibus locupletibus & Christianis, qui a SS. Britio & Crispolto Principis Apostolorum discipulis, Sanctæ Fidei in Umbria publicatoribus Baptismum acceperunt. Sed ut totus Dei esset, parentes divitias reliquit Regionemque Marsorum in Provincia Latii sive Campania Romana petivit, & prope Celanum Lacumque Fucinum solitudinem & Ecclesiam ædificavit in honorem S. Joannis Evangelistæ præcipui sui Protectoris, Huc venit ad solitaria perfectaque vitæ tempora complenda, multos ad Christianam Religionem prædicatione & exemplo convertit ac præsertim diebus Antonini Pii Imperatoris, dum Literas sacras profanas-*

sanasque callebat: Et loc. cit. pag. 241. *M. A. Antoninus Imperator in regione Marsorum degens consilio Medicorum, ut a se morbum oculorum tolleret, Palatium ante locum, ubi postea Castellum cum Ecclesia S. Petiti erectum fuit, & nunc etiam monumenta agnoscuntur, quum construxisset, ad Pontium Præfectum suum scripsit, qui in Gallia erat ordine perseveranter Christianos persequendi, sicut erat jussum Imperatorum Decessorum, ut non se extenderet ad morti dandos viros potentes atque illustres, nisi plusquam peculiare imperium habuisset. Hoc faciens Pontius, inter alios Christianos in Gallia Simplicium, Constantium, & Victorianum illius filios invenit, qui ut Provinciæ Burgundiæ erant nobilissimi, Ethnicis Fidem Christi prædicantes, in carcerem abduxit, & reperti constantes in Fidei confessione, effecit, ut multum atque crudeliter verberarentur. Sed videns Præfectus cruciatus nihil eos lædere, immo Miracula operari, ordine Imperatoris audax non fuit Sanctos occidere, sed ipsos misit illi, qui nondum a dicta Marsorum Provincia discesserat. Junctos tres viros Christianos coram se accipiens Imperator, nunc blanditiis, nunc minis ad Fidem Christi deserendam, & ad illam Idolorum sumendam hortatus fuit; sed cum eos persistentes experiretur, obscuro in carcere claudere fecit serpentibus pleno: Illi vero intacti exierunt, qui a duobus indomitis juvencis raptati fuere: at hi mansuefacti, nullum damnum inferre eis voluerunt. Unde Imperator sept. Kalend. Septemb. anno* C. LXV. [pro anno C. LXXIV.] *capita Sanctorum detruncari fecit sub radicibus Montis Pisicini, quem postea Tinum dixere, aureum prope Fontem: eorum Corporibus sepulchrum dederunt Crescentius Presbyter, & Cæsarius, qui unus ex Lictoribus erat, ad Fidem conversus, a multis motus prodigiis, quæ Deus ob dictos SS. Martyres egit.* Ibidem: *at quoniam B. Joannes a Fulginio vir erat dives, & nobilis, ut dictum est, omnia, quæ habebat bona & alia, quæ ei relicta erant, Fulginii & in suo Territorio vendidit: Nummos, quos ceperat pro iis, partim pauperibus distribuit, & partim apud se retinuit, constructurus in Dei laudem animarumque salutem Ecclesias & solitaria*

loca

loca postquam discessisset Imperator, ut exacta diligentia peregit. Quatuor itaque Ecclesias cum solitudinibus in regione Marsorum ædificavit: unam in Fonte aureo sub dicto Monte Tino, & proprie, ubi SS. Simplicius, Constantius, & Victorianus passi erant atque sepulti: extulit secundam ad honorem Magnæ Dei Genitricis Mariæ Virginis prope Fucinum atque Celanum: ædificavit tertiam non procul ab illa sub titulo Sanctæ Mariæ Paludis....: Supra Montem a Celano tria millia longinquum, & locum nomine Pomarium cum solitudine quartam erexit Ecclesiam sub invocatione S. Marci. Crediderunt aliqui hanc Ecclesiam in regione Marsorum elatam fuisse in laudem S. Marci Evangelistæ, & alii in honorem S. Marci Atinæ primi Episcopi, & S. Petri discipuli, qui anno Christi XXXXVI. *Fidem in ipsam regionem pariter invexit: quam postea illustravit S. Rufinus Marsorum Episcopus, deinde Martyrio coronatus Assisii anno* CC. XXXVII. *tertio Idus Septembris. Foces S. Marci dicitur locus, ubi hoc Templum usque adhuc exstat, a Monacis Cælestinis rectum Celani degentibus, & quotannis illuc in solemnitatibus S. Marci Evangelistæ publica supplicatione se transferunt....:* Pag. 241. d. Tom. III. *Dum ædificabatur dictum Templum non procul a Fonte aureo, B. Joannes diu ferventerque Deum oravit, mittens ei preces, ut dignaretur lumen dare ipsi, Corpora dictorum trium Sanctorum Martyrum reperiendi, unoquoque ignorante locum distinctum, ubi sepulta erant a Presbytero Crescentio sub illo Monte magnum occupante terræ spatium; & si ea reperiret, optabat tantum thesaurum in suam Ecclesiam transferre. Sacra illa Corpora tandem invenit, ita pulchra & incorrupta, ac si tunc Martyrium habuissent, licet longe ante sepulta essent, immo suavitatem magnam odoris redolebant. Ea igitur reverenter gentiumque concursu in locum decentiorem suæ Ecclesiæ transtulit, quam S. Joanni Evangelistæ erexerat, sacravitque postea in honorem eorundem SS. Simplicii, Constantii, & Victoriani: quæ subinde evasit nobilis & ditissima cum Præpositura Mitra & Baculo exornata.... Hoc Templum externa in parte politis la-*

lapidibus est decoratum; interna vero rari sunt ornatus: Nam cum Fridericus Imperator II. sequentibus seculis propter bella & seditiones comburi fecisset vetustum Celanum: Templi Cultores aliud denuo in novo Celano nobile & magnificum erexerunt, atque in ipsum cunctos ornatus, omniaque bona, quæ antiquum Templum possidebat, transtulerunt.....

Nota IV.

Hujusmodi documentis ab omni fere antiquitate petitis, Manuscriptum anonymi auctoris adnecto, quod in Archivo insignis Cænobii S. Spiritus de Murrone prope Sulmonem Cl. Congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti, a Petro Murronensi postea Sancto Cælestino Papa V. fundati exstat; atque infelici charactere, liturisque plurimis obductum, sequentem præfert titulum: *Historia Marsorum M.SS. S. Spiritus de Murrone* pagg. 171., ubi de Valeria & Marsia Provincia, Albensibus, Cliterninis, ac similibus agitur: paginæ autem 128. hoc initium est: *Jesus Maria. De Celano....*: Cæteris autem verbis omissis, ea tantum inferimus, quæ rem ipsam attingunt, & ita se habent: *Mons ipse Tinus supra Celanum rupibus fere inaccessibilibus, non arboribus tectus, non ruribus adumbratus, sed undique nudum sinum ostendit; ea anni parte, quo cacumina nives tegunt...rigor....*: In pag. 140. *Hinc.... sunt ornamenta Oppidi Ecclesiæ intus forisque extructæ, quarum præcipua, quæ Matrix omnium est, judicatur Evangelistæ erecta, ab eaque exordia narrationis excipienda, quæ si non.... alias antecellit, præeminentia dignitatis cæteras superat, qui illi præest; Præpositi tituli honore refulget, jura quasi Episcopalia habet, Mitra Baculoque, aliisque insignibus decoratur, jura dabat vicinis populis, nempe Circulo, S. Petito, Obindulo, & Roburi.... cujus finibus territorium Jurisdictionis ejus limitatur..... Thesaurum Sacrarum Reliquiarum, & Corporum Beatorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani retinet, quorum præ-*

præclara gesta ex Actis ipsius Ecclesiæ deprompta, inferius recitabo: Quæ tamen Acta ibidem non lego: etsi M. S. loc. cit. sic pergat: *Cum post gloriosum Martyrium sub Antonino diu inculta jacuissent* [Corpora] *primum ab Eremita Joanne circa annum Domini* 164. [melius juxta alia documenta c. LXXIV.] *inventa, postmodum a Pandulpho Marsorum Episcopo anno* 1059. *denuo inventa, decentius in arca lapidea collocata his versibus ....*: Pag. vero 131. *Vir iste Joannes e Civitate Fulginia oriundus, nobili prosapia natus, scientiarum notitia & morum suavitate illustris, mundi illecebras & divitiarum, quibus abundabat, copiam respuens, voluntaria paupertate contentus, verens ne inter mundanas delicias animi sui candor aliqua ex parte macularetur, Eremum prope Reate in remotis a consortio hominum partibus elegit, quod ubi præclara nominis sui notitia frequentatum fecit* [vidit] *deseruit: casu quidem accidit, quod ex ejus discipulis unus terram foderet .... eo Miraculo vicini admoti populi .... undique concurrunt, ut ægrotis sanitas, & dæmoniacis libertas sua intercessione repararetur: quapropter iterum profugus .... se in electam diu solitudinem .... Partes itaque Marsias veniens, ad radices Montis Tini, qui & aureus vocatur, non longe a Celano, parvum primo tugurium extruxit* [in loco] *copia siquidem serpentum eo tempore .... & venenatorum animalium pleno ....: quod ut Vir Dei vidit, prope fontem aureum ad radices Montis Evangelistæ Joanni Templum extruere cæpit, & oratione qua Cælos penetrabat, serpentes & noxia animalia fugavit. Jam in parte opus creverat, cum quadam die .... ipse suis manibus accepto ligone intra ambitum crescentis Templi terram effodere cæpit: Aliquantulum altius excavata humo, invenit arcas, in quibus Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani Corpora ita incorrupta persistebant, odore pene cælesti efflantia, ac si recenter mucrone Tyranni obtruncata fuissent; & pene inventis, cæcus, qui aderat, lumen recepit, alioque admirabili facto suorum Servorum Deus, quantum sibi grati forent .... testari voluit ...: Sanctorum precibus remedia obtinebant, qui confluebant, & fideles pro*

N acce-

acceptis beneficiis pro posse quoque suo donaria offerebant, & quæ a Valeria ad Lacum usque possessiones sunt, brevi tempore addictæ, Montes, Sylvæ, & pistrina in aureo ipso Fonte posita .... Alia ibidem narrantur ejusdem B. Joannis apud Marsos gesta, Sanctorumque nostrorum monimenta, quæ ob temporis vetustatem locique celebritatem, plurimi sunt facienda: Nam pag. 132. ita pergunt: *Eorum Martyrium & occasionem, qua ad Marsos pro Christo vincti adducti passique sunt, Acta, quæ diu in dicta Ecclesia recitata fuerunt, uberius enarrant, quæ hic prout habentur immutilata transcribere volui, cum nihil in illis viderim, quod animum meum ad aliquam dubitationem moverit, nempe a Florentio conscripta, qui Passioni interfuit; eorumque exemplar, quod sequitur est*: Hoc tamen exemplum deficit, & quare omissum ignoratur. Verum in d. pag. 132. ad 135. anonymus Scriptor enodare conatur, an. sub Antonino Imperatore, sive potius Marco Aurelio & Lucio Vero Martyres nostri pro Christi Fide apud Marsos passi sint, de quibus quum nos infra acturi simus, hic ejus verba præterimus: Codicem vero paullo ante relatum Reverendiss. D. Joseph Turchus Abbas S. Joannis de Plano ejusdem Monasterii Prior, posteaque Congregationis suæ Generalis nobiscum communicavit.

In alio libro M. S. italico sub titulo: *Latii illustrati* atque in volumina decem distributo, auctore supra memorato Dominico Petrantonii Trebano S. J., quem doctissimi Bollandiani Socii rite laudarunt ad diem xxx. Mensis Augusti Tom. vi. fol. 634., Vita quoque legitur Sanctorum Simplicii, Constantii & Victoriani: Manuscriptum autem etsi in aliquibus mancum, diuque a nobis perquisitum, nuper adservari novimus in Archivo Collegiatæ Ecclesiæ Trebæ Latii Oppidi Sublacensis Abbatiæ, illuc Scriptoris dono transmissum: Quod in Tom. v. pag. 50. 51. 52. Acta nostra edisserit; historiæque dictorum Martyrum fideles allegat testes Vallicellanæ Urbis bibliothecæ ineditos Codices; aitque, eorum Passionem non Antonino Pio, sed Marco Aurelio Antonino Lucioque Vero Collegæ adscriben-

bendam esse: Omniaque eruderatis documentis firmat, & Imperatoris præsentiam in Marsorum Collibus, vel sævitiam adversus pugiles nostros usque ad mortem sanguine pro Christo effuso commemorat: Ipsorum quoque Cultum per tot secula in Marsis Celanique vigentem probat: Miracula cum Sanctorum Martyrum Reliquiis a Deo semper edita laudat, & sæpedictum B. Joannis Fulginatis secessum prope Celanum recenset. Id autem Oppidum a vetusta Cliterni Urbe ad Lacum Fucinum originem duxisse scribit, ejusdemque Beati Viri plura admiranda recitat, quæ ex Chronicis Ecclesiæ Trimeræ Insulæ Maris Adriatici ante Garganum deprompta esse testatur. Narrat insuper pag. 71. S. Felicianum Fulginatensem Episcopum anno CC.XXXVII. Aprutium, Carseolos, & Cliternum, ubi nunc Celanum est, peragrasse, ipsisque populis Christi Fidem ex Bollando ad diem XXIV. Januarii prædicavisse, ac demum anno CC.LIV. Martyrio fuisse coronatum. Itaque in eodem Opere Tom. V. pag. 766. hæc italico idiomate habentur, quæ latine sic sonant: *Sanctus Felicianus Episcopus Fulginii, prædicat in regione Marsorum, & in equicolis anno 237......*: Sed apud Bollandianos d. die XXIV. relati Mensis Tom. II. edit. 2. fol. 586., res ipsa ita traditur: *Omnem illam montosam Provinciam difficillimo, itinere peragravit, Falacrinum, Cliternum, Carsulam, Furconium eversa jam Oppida.... isque laborum exstitit fructus, ut omnes Christo lucratus sit*: Et in Notis pag. 587. lit. h. *Cliternum* [nempe Celanum] *æquicolorum Oppidum....*: Verumtamen referri ibidem debuisset ac memorari Cliternum in Marsis & non in Æquicolis, licet his populis fuerit, ac fere sit finitimum ex Phæbonio in Marsorum historia & Regia Marsicana Part. I. pag. 458. 459., de quo in Nota II. §. III. hujus Dissertationis.

NOTA V.

Tot momentis vallata Acta nostra, contemnenda profecto non sunt: Et si quid censura dignum proferunt sævioris ætatis, vel descriptorum vitio, id nihil officit hi-

ſtoriæ præcipuæ de vero probatoque Martyrum noſtrorum agone vetuſtiſſimo atque inſtanti ipſorum in regione noſtra ſervato Cultu, qui ad hanc diem longe etiam lateque auctus apud exteros, multiſque inſignis nominibus viget. Quam ob rem illi origine Burgundiones, qui non ſemel Celanum & Marſos a præſenti diſcrimine liberarunt, Sancti Celanenſes rite appellantur a cunctis: Quilibet enim Sanctus tres Patrias habet, primam ſcilicet, in qua auram vitalem duxit, ſecundam ubi fere aſſiduo moratus fuit, tertiam vero, ubi diem clauſit extremam, quæ alias honore antecellit & gloria: Unde Sanctorum obitus, Natalis dies magna cum laude ab Eccleſia celebratur; ac proinde eorundem Martyrum Reliquias, *Corpora Sancta Celani* per totam Marſiam omnes vocant: Ideoque Raynaudus Oper. Tom.viii. pag.534. ſimiliter ait: *Diſtingui porro poteſt triplex Sanctorum Patria, nimirum originis, diuturnæ commorationis, & mortis: Nam primis duobus modis jus Civitatis inter homines comparatur; tertius autem ſuffragantem manifeſte habet Eccleſiam, quæ diem felicis obitus Sanctorum, vocat Natalem eorum .... ex eo quod naſcantur ea die Sancti ad veram diem*: Cui conſonant Quintanad. in Sanct. Tolet. animadverſ.iiI. pag.5. & Guyet. de Feſt. propr. Sanct. libr.iI. cap.iI. quæſt.I. Propterea in Romano Martyrologio paſſim legitur: Natalis S. Pauli Eremitæ x. Januarii: Natalis S. Hilarii xiii. ejuſdem: Natalis S. Atanaſii iI. Maii: Natalis S. Franciſci iv. Octobris: Natalis S. Martini xi. Novembris, ac ſæpenumero de quocumque Sancto etiam non Martyre. Fallor autem ni quiſque libenter audiat aptiſſima in rem ipſam verba Euſebii Emyſſeni Homil. in Geneſ. dicentis: *Merito plane dicendi Natales dies, per quos illi qui nati fuerant in hanc fragilitatis miſeriam, ſubito renaſcuntur in gloriam Vitæ perennis, initium de morte ſumentes ....*, & Albini Flacci de Offic. Divin. in Feria vi. Paraſceves: *Jure naſci dicuntur, quibus de preſſuris hujus Mundi, tanquam de anguſtiis cujuſdam ventris, ac illam ſpatioſiſſimam & lucidiſſimam Cæleſtis habitationis emittuntur latitudinem*, vel Guyeti loc. cit. pag.89.: *Is itaque dies, quo quiſque Sanctus,*

ſive

sive Martyrio, sive spontanea morte ex hac vita decedens ad cælestem transiit, Natalis proprie dicitur ....

Quibus profecto expensis, ad Sanctorum Corporum Inventionem, unde discessi, revertor, de qua in Regia Marsic. Part.I. libr.III. cap.III. pag.531. 534. 536., & in cit. Opere Vir.Illustr. Marsor. pag.78. 81., ubi sæpedictum B.Joannem Fulginatensem laudibus extuli, eumque Marsi etiam ferre sub oculis debent ob multa ab eo in nostra Provincia sanctissime gesta, quæ in Dissertatione leguntur, ac cit. pag.81. pro re ita habentur: *Ad B.Joannem Fulginatensem, qui non parum Marsos, Celanumque ex dicendis illustravit, redimus .... Is enim anno Dom.* C. XX. *ex Catholicis Parentibus ortus .... quum Marsos Celanumque proficisceretur ... clam sub aureo fonte moram facere curabat ... Idemque Sanctus Vir Ecclesiam S.Joannis Evangelistæ construxit anno Domini* C. XLV., *ubi ut ferunt, de nocte quoddam columnæ principium ab Angelis fieri vidit ....* De eadem Translatione testimonium pariter exhibet M.S. Codex Romanus, qui olim fuit juris Viri doctissimi & illustris Præsulis Phæbæi, cujus verba supra retulimus. Verum cit. Jacobillus in dicto libro Sanctorum Umbriæ Tom.I. pagin.63. 64. meminit quoque Sanctorum Joannis, Stephani, & Victoris, nostrorum Martyrum discipulorum, qui Patria ignoti, velut novella germina Sanctitatis regenerati ex aqua & Spiritu Sancto floresque Campi nostri apud Marsos passi fuere: nam sicut ille scribit, Victori ob Catholicam Fidem pellis detracta fuit, Joanni caput abscissum, & tempora Stephani acutissimus clavus perforavit: & postquam omnes inhumaniter sunt cæsi, ferreis uncis carnibus elaniatis palmisque excisis, dies suos obierunt anno C. LXIV. [fortasse Librariorum errore pro C. LXXIV.] XV. Kalendas Octobris, & in loco Formæ, aut Formarum prope Celanum, & S.Eugeniæ pagum sepulti sunt: ipsorumque Corpora speciali tumulo digna, ut auctor pergit quamquam ab Angelis humata fuissent, tandiu simul celata exstiterunt, donec Sanctus Paracletus eidem B.Joanni Eremitæ digniorem locum sepulturæ afflaverit. Postea factum est, ut sacra

cra pignora a prisco situ Formarum devote extracta, ad sæpedictam Celani vetustam Ecclesiam, quam etiam nunc S. Joannem veterem vulgus appellat, fuerint translata: tametsi ornatius ibidem sepulchrum abditum modo sit. Cur autem Marsorum Antistites piam hanc perquisitionem [quum me nihil malle, quam veritatem exponere fatear] hactenus omiserint ignoratur. Memorandum vero est, quod nonnullis diebus Octobris per iteratum anni circulum superior pars diruti Templi, Montem Pisicinum versus, ubi vestigia apparent, ad hanc usque ætatem suavissimi odoris fragrantiam emittit: quam apud Cives palam circumferri audivimus, & liquido patet ex Reg. Marsic. Part. I. pag. 541. atque libro Viror. Illustr. Marsi. d. pag. 81.: Philippus Ferrarius in Catal. Sanct. Ital. ad diem XVII. Septembris refert: *Quorum Corpora Joannes vitæ admirabilis Eremita .... una cum suis discipulis in Ecclesiam, quam S. Joanni Evangelistæ construxerat nocte luce cœlitus orta detulit ac sepelivit XV. Kalend. Septembris, ubi Miraculis coruscarunt ....*: Antiquus Codex horum Martyrum vitæ, olim descriptæ a Dei Servis Benigno & Cæłestino, dicti B. Joannis discipulis, apud cit. Jacobillum pag. 67. sic pergit: *Quorum Corpora nos Benignus, & Cælestinus tempore .... Ant. Imp. Condiscipuli Beati Viri Joannis a Civitate Fulginia, quæ est in Spolitinis partibus, qui maxima sanctitate, benignitate, & doctrina fulgebat, ingenioque tanquam sydus splendebat, simulque collegimus, & ad Beati Joannis Apostoli Celani Ecclesiam a dicto nostro Beato Joanne ædificatam cum maximo bonore & reverentia transportavimus, & divina lux contulit nobis alacritatem, ubi per Sanctos Martyres, & per brevissimas preces Patris Eremitæ Joannis permulta & varia operabantur Miracula. Postea Martyr Christi & Eremita Joannes habitavit in Monte Marsorum, deinde in Insula, quæ dicitur Tremitis, & Reatinas partes petiit, ubi ædificavit Ecclesiam, sancte vixit, multa patravit Miracula, & glorioso Martyrio cursum ejus implevit.* De situ Formæ, vel Formarum nunc Marsorum pago, agunt Leo Ostiens. in Chron. lib. I. cap. XXXV. & Margarin. in Bullar.

Cas-

Caffinenf. apud Reg. Marfic. d. Part.I. pag. 360. 361.

Neque recitatis obiicias, quod primis Chriftianis nullæ extiterint Ecclefiæ, quæ hoc nomine paullo ante in relata hiftoria leguntur: Nam illæ jam pridem fic ab amanuenfibus forfitan dictæ, Oratoria erant, in quibus tefte Martene de antiq. Difcipl. cap.II. num.1. ac 4. & in privatis etiam domibus fervente perfecutionum æftu fub paganis Principibus, Deo perfolvebantur laudes, & in Martyrum Cæmeteriis facri agebantur Conventus, ex Card. Petra in Comment. ad Bull. Apoft. Tom. edit. Ven. pag.300. num.13. Poftquam vero pace frui potuit Ecclefia, ingentes conftructæ fuerunt Bafilicæ, ut Fideles in illis orarent, fuafque fupplicationes publice agerent juxta Eufebium hiftor. lib.x. cap.II. & IV. Solemnior autem Cultus Sanctorum Martyrum quomodo initium habuerit apud Fideles, indicat cit. Petra in d. Commentar. Tom.I. pap.300. num.8.: Et pag.301. num.22. ex Baronio addit, Martyres antiquitus eo ipfo die, quo pro Fide paffi erant, a Fidelibus honeftatos fuiffe. Igitur jure meritoque repetere poffumus, poft tot fæcula cuftodiviffe Dominum Offa Martyrum noftrorum, ut ex his nullum conteretur; quia incipientis Ecclefiæ primordiis fere primas Martyrii gemmas Marfis dederunt, & Sanctitatis flores plantaverunt in Marfis: Ac ideo pretiofa in confpectu Domini mors eorum fuit, quoniam effufo fanguine pro Chrifti nomine ad Cæleftia Regna pervenerunt: & florebunt in æternum ante Dominum. Præclarius ergo B. Joannis opus circa ejufdem Oratorii, vel Templi ædificationem, ac inibi repofitionem Sacrorum Corporum Martyrum noftrorum apud Marfiam atque Celanum, ut diximus, idem Jacobillus ex laudatis Codd. ob omnium oculos pofuit, Montemque Pifcinum ipforum Martyrio clarum & vetuftiffimum Fontem aureum illuftravit: Ob id in parvo ædificio, Celanique Comitum Viridario ad ejufdem Montis radices & in fitu, ubi Fons oritur, hi appofiti funt more prifcorum exarati verfus ad auri nomen alludentes, parietis infculpti cruftæ five tectorio fideliffimo, hodieque vigentes.

Au-

Aurea unda fuit ſemper cognomine dicta :
Aurum confert agris; perficit iſta fruges.
Abeſt ab Orbe quidem borealiter altera credis?
Deſine ſi negas; comprobat ipſa tibi.

Poſt alios nonnullos diuturni temporis injuria, & edacitate conſumptis, ſequentes leguntur:

Accipe ſi optas, hæc ſemper gratis habetur:
Ebibe, ſolve nihil, Marſia turba ſilet.
Ob charus Patriæ Pater enarrandus ubique
Recitat iſte ſuper: diligit illa ſolo,
Fortior ex imo ſurgit per pondera vecta;
Geſtit, & hactenus pocula præbet, alit.

§. XI.

COnſcriptis verbis in antecedenti §. latius memoratis; Cl. Bollandiani Socii de Sacrorum Corporum Simplicii, Conſtantii, & Victoriani nova Translatione, ita dixerunt: *Quomodo Corpora eorum ſint inventa & translata ..... narrat Anonymus ſub Monte Peticino ad Fontem aureum hoſce Sanctos pugiles occiſos fuiſſe .... Territorio autem Celanenſi ... bellis deſtructo, eorumdem Sanctorum Corpora deinde inventa fuiſſe aſſerit, ac depoſita in Parochiali Eccleſia dicti Territorii, arcæque incluſa marmoreæ ...*

Nota I.

CUM Paſtoris officio magnopere conveniat, Sanctorum pignora ſibi commiſſi Gregis tueri; olim quidem factum fuiſſe reor, ut Marſorum Epiſcopi, vel Celanenſes Præpoſiti tunc temporis Ordinarii Præſules eximiam hanc Translationem religioſe curaverint: Antequam vero illam oſtendam, ac tuear, lubet hoc loco memoratum a Cenſoribus *Montem peticinum* exactæ hiſtoriæ veritati reddere, verumque illius nomen aperire. Hujuſmodi ſiquidem Mons, non Peticinus, ſed Piſicinus juxta Marſorum hiſtoriam, & Regiam noſtram Par.II. pag.17. ex auctorum teſtimoniis & com-

communi gentium in Marsis vocabulo vere appellatur: quorum fidem sequutus Ferrarius in cit. Catalogo Sanct. Ital. ad diem XXVI. Augusti fol.545. scribit: *Ad aureum Fontem apud Montis Piscini radicem decollantur....*: Ita etiam legitur apud Doglionum in Amphit. Europ. pag.655. Reg. Marsic. Part.I. pag.461., & cit. Bzovium Annal. Eccles. Tom.I. lib.II. ad ann. C. LXX., & C. LXXI. pag.249. his verbis: *Denique ad aureum Fontem apud Montis Piscini radicem decollati sunt....* Aliam subinde Translationem ipsorum Corporum Simplicii, Constantii, & Victoriani tempore Pandulphi Marsorum Episcopi peractam illustrantes, ultra prolata in Nota II. §.VI., ipsa clarissima sit ex relatis, vel Manuscriptis, & Sanctorum Martyrum Vita ex Phæbonio, & Catalogo Marsorum Præsulum. Tunc siquidem sacra pignora olim per Crescentium Presbyterum humata, & a B. Joanne Fulginatensi primo dum reperta, inque pervetusto Templo S. Joannis de Celano locata, idem Pandulphus Marsorum Antistes anno M. LIX. in decentiorem locum transtulit, & in Arca marmorea per Bollandianos, ut supra memorata, his versibus apud cit. Phæbonium, & Reg. Marsic. Part.II. pag.22. descriptis, in Sanctorum venerationem posuit:

HIC REQVIESCVNT CORPORA SANCTORVM
SIMPLICIJ, CONSTANTIJ, ET VICTORIANI
RECONDITA TEMPORE PANDVLPHI EPISCOPI.

Nec tamen ante hunc Præsulem ipsorum Martyrum Cultus ex hactenus dictis, Celani unquam fuit præteritus, quemadmodum priscis temporibus Catholica Ecclesia generatim servari mandavit: Quoniam ex Canone II. Gangrensis Concilii tertio seculo celebrati, qui Martyres contempsere, anathemate perculsi fuerunt: Quod spectans S. Petrus Damianus in Epistola ad Henricum Ravennatensem Episcopum cap.XIX. scripsit: *Nostra quippe ætate Beati Viri, Romualdus Cameriensis, Amicus Ramibonensis.... atque plures alii*

sanctæ Conversationis studio floruerunt, super quorum videlicet veneranda Cadavera, ex Sacerdotalis Concilii auctoritate sacra sunt Altaria erecta, ubi divina Mysteria, Miraculis exigentibus offeruntur. De re ipsa differit Card. Petra in Comm. ad Constitutiones Apostolicas edit.2. Tom.I. p.300. num.10., qui num.13. addit, sedente S. Bonifacio IV. Marso, Fideles majori observantia consuevisse Sanctos venerari: Ideo Sanctissimus Pontifex in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum Romæ Pantheon dedicavit. Hoc enim pacto, ut conjici valet, Pandulphus Monumentum id Celani pie construxit, quod Phæbonius illustravit, & nos in d.Reg. Marsic. Part.II. pag.21. 22. ac in Viris Illustr. Marsor. pag. 18. late retulimus. Neque his Cl. Censores adversantur; ita ut omnia ab laudato Pandulpho vetustis temporibus gesta, antiquissimo nostrorum Martyrum Cultu, ob etiam tot secula elapsa, impense faveant. Enimvero tantus Præsul Vir fuit probitate insignis, ac teste Ughello Ital. Sacr. Tom.I. edit.2. col.891. Concilio Romano sub Nicolao II. interfuit; ibidem de illo scribitur: *Hujus mentio exstat in Vita S. Berardi Episcopi ejusdem discipuli & successoris. Fato functus est sub Urbano II. ad hunc versus scripsit Alphanus Archiepiscopus Salernitanus in laudem Beatæ Sabinæ Martyris, in cujus honorem Episcopatus ipsius, & Ecclesia consecrata est*: In connexa Nota loc. cit.d. edit.2. ita leges: *De hoc Pandulpho mentio habetur in Chron. antiq. Cassinen. libr.*II. *cap.99. & de ipso rite atque fuse Phæbonius loquitur in Catalogo Episcoporum Marsorum pag.5. & 6., necnon erudite, ut assolet P. A. C. cujus opere & studio non parum profecit hæc nostra editio de Viris Illustr. Marsf. pag.132., qui dicit, illum B. Benedicto planetam ...., & plura alia donavisse. Is etiam Corpora SS. Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani tunc inventa, reposuit in Insigni Collegiata Celani*: In d.libr.Viror. Illustr. pag.78.79. & 133. hæc alia memoravimus: *Et is etiam fuit, qui, ut innuimus, Corpora Sanctorum Simplicii, Constantii, & Victoriani in Ecclesiam Collegiatam S. Joannis de Celano transtulit*: Plura de tanto Præsule in Regia Marsicana Part. II. pag.

pag.545. 546. Habemus etiam in Archivo ejusdem Ecclesiæ vetustum membranaceum librum M. S. optime compactum, cum Prosa: *Exultet* de Sabbato Sancto, assuetis Rubricis atque verbis inscriptum: *Pro Marsorum Antistite Pandulpho*.

De Similibus Translationibus Sanctorum Martyrum in loca celebriora & decentiora, nonnulla adducit exempla V. C. Joannes Andreas Tria amicus noster, olim Antistes Larinatum, posteaque Tyriæ Archiepiscopus in sua Italica erudita Epistola ad Larini Clerum & Populum pro solemni Translatione Corporis S. Leonis Presbyteri: quæ exstat in antiquis monumentis S. Pardi, quiescentis in Cathedrali Templo Larinensi, a Joanne Baptista Pollidoro alibi memorato editis pag.93. 94. 95.: ibidemque pretiosa Basilii verba conspicies, quæ in Sacrarum Reliquiarum honorem, & populorum utilitatem sic se habent: *Sunt equidem Sacræ Reliquiæ, quasi Turres, & propugnacula, fortissimaque tam Civitatum, quam Provinciarum, ubi habentur præsidia*. Et pag.96. hæc leguntur: *Ariani ipsum Divum Ambrosium cum vellent invadere, Sacrarum Reliquiarum miraculo conversi, ab incæpto destiterunt, indeque Arianorum furor cæpit in dies minui, ita ut idem Pastor sibi pie gloriando, hoc in Symbolum sibi vindicans dixerit: tales ambio Defensores*. Ejusdem Ambrosii Ecclesiæ Mediolanensis Sanctissimi Præsulis ad Populum suum documentum in pagin.103. loc. cit. relatum hoc est: *Agnoscamus Carissimi circa Ecclesiam nostram uberiorem divinorum munerum largitatem .... Exultent felices singularum Urbium populi, si unius saltem Martyris Reliquiis muniantur ...*: In p.97. ex S. Carolo Borromeo ejusdem Urbis Archiepicopo, ita quoque leges: *Felices Populi securi adeo donati præsidiis: Felices Provinciæ, quæ tantis Charitatis Pignoribus muniimini, & apud quas Religioso adeo Cultu asservantur ....* Felices itaque Marsi propter Martyrum suorum præsidium: Felices & Tiburtini prope Marsos florentes, ubi & ipse quinquennio Vicarius Generalis sub probatissimo Episcopo Antonio Fonseca, semper vidi in ipsorum egestatibus a Deo grates obtinuisse ob in-

tercessionem SS. Getulii, Symphorosæ, aliorumque Martyrum Tibure quiescentium, quorum etiam Ughellus meminit Ital. Sacr. edit. 2. Tom. I. col. 1302. & 1303.

Nota II.

JUre meritoque igitur Bollandianorum verba in hoc §. Summatim adducta, sic etiam pro nova Martyrum nostrorum Translatione repetimus: *Memorat præterea Anonymus ille, quia non pridem admodum restaurata fuit ista Terra, sacra pignora prædicta solemni cum supplicatione fuisse translata ad Ecclesiam Collegiatam Parœcialem ejusdem Terræ novæ Celanensis sub nomine S. Joannis Baptistæ, ubi maxima cum veneratione honorantur ....*: Celanum, Terram inibi vocitatum, principem Locum esse Marsorum, clare colligitur ex auctoribus in Regia Marsicana Part. I. libr. ııI. pag. 516. congestis, Præpositumque olim Mitra & Baculo exornatum Nullius-Diæceseos habuisse, alibi probatum est: idque ab historicis Regni Neapolitani Civitatem appellari patet ex eodem libro ııI. pag. 520. 521.: Celanum Viros aliquot habuit illustres in citato Opere relatos, qui lumina Civitatis a Cicerone III. in Catil. dicuntur: at vere flagitiosam illius desolationem, quæ sub Friderico Imp. utriusque Siciliæ Rege contigit, multi narraverunt Scriptores in d. Regia Marsic. Part. I. pag. 464. 465.: ideo Richardus de S. Germano sub annum M. CC. XXII. ea molesta refert, quæ in Nota II. §. III. sunt recitata, nimirum Celanensibus jussum esse de domiciliis suis exire, Oppidumque comburi, sola veteri Ecclesia S. Joannis Evangelistæ superstite remanente: quod & Capycius latro hist. Neap. Part. ıI. pag. m. 82. suo testimonio confirmavit. Quam ob rem supradictam Sanctorum Corporum Translationem ad Collegiatam Ecclesiam S. Joannis Baptistæ novi Celani, ubi eadem magna Christifidelium veneratione pluribus abhinc seculis adservantur, M. Phæbonius in Marsorum historia libr. ııI. cap. VII. edit. 1., designatis distincte temporibus ita commemorat: *Est ipsa Ecclesia ex insignioribus Collegia-*

tis

tis....: ad eam SS. Simplicii, Constantii, & Victoriani Martyrum ossa translata ex veteri Ecclesia sunt a loco, quo Pandulphus Episcopus reposuerat anno M. LIV., *& in Sacello a cornu Evangelii picturis Passionem Actaque Martyrum repræsentantibus ornato, summa populorum veneratione coluntur*. In citato libro Vir. Illustr. Marf. pag. 78., quæ post laudatum Pandulphum Episcopum a Nicolao Celani Domino in dictorum Martyrum Reliquias facta sunt, hæc leguntur: *Ast Celanensis Urbs, sic olim ob Mitratum Præpositum nuncupata .... quum a Friderico Secundo Imperatore destructa esset, ideo alia in Ecclesia S. Joannis intra mænia constructa, eadem Corpora in cornu Evangelii picturis exornato, pietate Comitis .... Nicolai anno* M. CCCC. VI., *ubi sequentes exstabant versus, reposita fuere ....*: Hunc sane Comitem a Phæbonio in Sanctorum Martyrum Vita pagin. 162. honorifice memoratum, ipse quoque superius commendavi; nam probatissimis moribus floruit, variorum Oppidorum in Marsis dominio Comitisque dignitate conspicuus, quæ in Regno Neapolitano ex Freccia de Subfeud. libr. II. pag. 116. inter titulos olim habebatur illustrior. Probus itaque Nicolaus Celani Comes eodem anno M. CCCC. VI. aliam Urnam Sanctorum Corporum ex optimo marmore perficiendam curavit, opera Joannis de Parma insignis eo tempore Sculptoris, ubi sequentes versus metrica inscriptione more antiquorum exarati, fuerunt expressi, quos Cl. Bollandiani concisos & imminutos referunt: integros autem exhibet Phæbonius, atque post illum nos item descripsimus in d. libr. Vir. illustr. Marf. p. 78. 79. & in cit. Regia Marsic. Part. I. pag. 22.: ex quibus profecto liquet, tale Inscriptum olim dictæ Urnæ innexum & antiquitatis honore dignum, sub Innocentio VII. Sulmonensi & Romano Pontifice fuisse compositum:

Hic ego Simplicius jaceo sub rupe gemellis,
Hic prope me genitis: quorum Constantius hæres
Ante Patrem latere dextro lacuque Secundus
Victorianus & hic fraterno stamus in isto

Mau-

Mausoleo terræ fulgent spiramina Cælo.
Vivida sidereo multoque redempta cruore
Martyrii ferro flaminis variisque flagellis:
Principium vitæ peperit Burgundia finem,
Dum Italus gladio dedit Antoninus in Urbe
Imperitans, perimens Christos Christique sequelas
Sanguinis effusi, testis fons aureus & Mons
Tinus apud Castrum Celani nostra bipenni
Colla recisa gemens nomenque vocantia Christi.
Ductor Apostolici Grægis Innocentius Almus,
Almifico Sulmone natus, datus est Pater Urbis
Septimus, atque sedit Solio Dux Numate scriptus,
Cæsareus stupor Heroum pugil absque timore
Hierusalem Regno Siculi fuit: Ungari quoque
Rex Ladislaus generi lux flosque serenus,
Stirpis honos, pietatis opus, generosus ab astris
Firma columna domus, Nicolaus laudis & instar
Celani Comes ossa videns male condita, bustum
Hoc dedit ingenuum placidi renovaminis aulam,
Cui lux longa status stabilis pax ordo quietus
Atque novum florem Petrum Deus impleat ævo
Felici cum Matre, Patrem Prolisque phalangem
Nunc re perpetui vivant cum pace trophæi:
Sol nunc millenos centum Pater egerat annos
Sextus erat socius primis indictio dena
Quartaque currebat Junii sub luce decena
Carmina Parmigenæ lapis accipe voce Joannis
Ossaque sancta te venerantur in omnibus annis.

Quicquid autem doctissimi Censores loc. cit. de horum Notis characteristicis, sicuti loquuntur, & Chronologicis, ut

ut ex §. II. ipsorum verbis planum fit, rite notarint; certum est hujusmodi versus de memorata Translatione loquentes, eodem sedente Innocentio VII. Pontifice Maximo ac de speciosi Operis constructione intelligi debere. Quum autem ipsi scite moneant: *Electus fuit hic Pontifex die* 17. *Octobris anni* 1404. *obiit* 6. *Novembris* 1406......, novam hanc Translationem tunc temporis contigisse dici oportet, vel marmoream Capsam fuisse absolutam. Innocentii vero Patriam versus indicant, cujus hanc in Cathedrali Ecclesia memoria exstat, nempe illius Mitra unionibus & pretiosis lapidibus exornata, dono ab ipso missa Sulmonensi Ecclesiæ, ut liquet ex Apostolicis Literis in Capitulari Tabulario servatis: Quas etiam Ughellus refert Ital.Sac. Tom.1. edit.2. col.1381 Hinc merito in cit. Reg. Marsic. Part.I. pag.556. Celani Canonicorum incuriam objurgavi, qui ob novam Templi instaurationem, Urnam illam vetustate pretiosam & post tria circiter secula fideliter custoditam secari mandarunt: Quamquam per id tempus ædificio novissimæ Aræ dictorum Martyrum Alexander Corsignani Prothonotarius Apostolicus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Canonicus anno M. DCC. XXX. vita functus, sedulo præesset. Templum autem, teste Galluccio in Reg. Marsic. Part.II. pag.317. olim opere Gothico constructum erat: Quod magnificentius in dies redditum & ornatius, anno tandem M. DCC. VII. completum est, ubi sequens Inscriptio legitur Cl. Bollandianis ignota & in cit. Regia Part.I. pag.557. memorata, quæ SS. Martyrum novum Monimentum exhibet:



D.O.M.

D. O. M.

TEMPLVM HOC DIVO IOANNI BAPTISTÆ
QVO MAIOREM INTER NATOS MVLIERVM, VERITATE
IPSA TESTANTE
SANCTITAS NON PEPERIT SANCTISQVE SIMPLICIO
FILIJSQVE EIVS
CONSTANTIO ET VICTORIANO, QVI MARSORVM PROVINCIAM
SANGVINE PRO CHRISTO EFFVSO ILLVSTRARVNT, DICATVM
VETVSTATE IAMPRIDEM RVDE AC PENE COLLABENS,
CELANI
CIVIVM PIETAS ERGA PATRONOS OPTIMOS IN AVGVSTIOREM
HANC FORMAM REDVXIT ANNO
A PARTV VIRGINIS M.DCC.VII.

Ideoque Celani Cives Sanctos suos jure Patronos dicunt quoniam nedum Civitates, sed quæ mavis Oppida suos habere Protectores a Deo datos sive Martyres sive Confessores, quorum veluti Patronorum pie ab Incolis celebrata fuit, vel celebratur memoria, Guyetus probat in Hortolog. Festor. libr.I. quæst.VIII., & quæst.IX. inquiens: *Patroni in primis decus ac prærogativam iis ut plurimum Sanctis deferri observo, quorum opera ac Ministerio Fides in qualibet Diæcesi seu Provincia primum suscepta est; cujusmodi exempla multa protulimus quæstione quarta & quinta hujusce Capitis. Et vere, si Patronus à Patre, quos amabo Patronos æquius colamus, quam quos in Fide Patres agnoscimus? Nam in Christo Jesu per Evangelium ipsi nos genuerunt I. Corint.4.: Hoc vero munus cum nostra nobis haud quaquam optione, sed divina magis dispensatione provenerit, datos proinde melius, quam electos ejusdem Patronos dixeris .....*: Hinc lubet versus e S. Paulini

lini Episcopi Nolani fragmentis a Dungalo collectos, & castigatius a Muratorio editos quibusdam brevitatis gratia omissis, referre ac demirari:

Inde Petrum & Paulum Romana fixit in Urbe,
Principibus quoniam medicis caput Orbis egebat.

Et post pauca:

Sic Deus & reliquis tribuens pia munera terris,
Sparsit ubique loci magnas sua membra per Urbes.
Sic dedit Andream Patris Ephesoque Joannem &c.
Parthia Matthæum complectitur, India Thomam:
Lebbæum Lybies, Phryges accepere Philippum,
Creta Titum sumpsit medicum Boethia Lucam,
Marcus Alexandria tibi datus .....

NOTA III.

ALia, quæ sequuntur historica Monimenta Sanctorum Martyrum nostrorum veterem eundem Cultum, & præcipuam in Marsis venerationem clarius evincunt. Nedum enim ex veteribus aliquot ligneis, auratisque simulacris pectore tenus eorundem Sanctorum apud Sacram Celani Ædem, Simplicii nempe senis annosi & venerabilis effigies, ejusque Filiorum Constantii, ac Victoriani forma juvenili offertur oculis; verum etiam e picturis in antiquo Sacello ejusdem Celanensis Ecclesiæ ad hanc usque diem exsistentibus, eorundem Sanctorum Imagines & gesta liquido patent. Cur autem picturæ in sacris locis expressæ fuerint, tradit Ruinartius in Præfat. Gener. ad Acta Martyrum sincera §.I. n.6. pag.6. scribens: *Hinc etiam adinventæ in Ecclesiis picturæ, ne ut ajunt SS. Patres, rudes & illiterati Fideles tam egregiis exemplis privarentur*: Anonymus enim auctor vitæ S. Domnoli Cenomanensis VI. seculo Episcopi in Brev. hist. Chronol. Crit. de Rom. Pontif. Franc. Pagii Tom.I. in Præfat. ad Lector. dixit: *Non sumus nescii veteribus id studio fuisse, ut suæ ætatis egregios Viros Scriptorum suorum monumentis ad posterorum notitiam transmitterent, eorum præclare dicta & facta, aut Literis consignarent, aut picturis exprimenda,*

aut æri insculpenda, vel marmoris spectato opere repræsentanda curarent. Putabant enim se operæ pretium facturos, si quæ in iis, vel aliis utilia vel cognitione digna vel ad imitationem præclara viderentur, ea sua industria & labore posteris innotescerent ....., quod illi de actis Apostolorum, Martyrum, Sanctorum & egregiorum Virorum scripsere, potiori jure dicendum ......: Hinc S. Gregorius libr.IX. epist.IX. Sever. Mastil. ait: *Quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura*: Et Aurelius Prudentius, quem U. C. Præsul Victorius Giovardi erudite illustravit in Opere de Passione SS. Martyrum Mercurii ac XII. Fratrum pag. 7. occinuit:

Historiam pictura refert: quæ tradita libris.
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Id ipsum de ceteris Sanctis in utroque Aprutio versibus, picturis, vel marmoreis Inscriptionibus pia Majorum cura factum esse, omnibus profecto manifestum est: Præsertim de S. Cælestino V., S. Bernardino Senensi Civitatis Aquilæ Patronis, S. Pelino, & S. Alexandro in Ecclesia Valvensi quiescentibus, S. Pamphilo Sulmonis, & S. Justino Teatis. Pari de caussa in Ortonensi Ecclesia marmorea conspicitur affixa Tabula opere anaglypho Translationem Reliquiarum S. Thomæ Apostoli Ortonam exhibens, cujus meminit J. A. de Fabritiis in ejusdem Civitatis historia pag. 117.: quam ante ipsum scripserant S. Brigitta in Revela. libr. VII. Petrus Galatinus in fine operis de arcanis Catholicæ Veritatis & Ecclesiæ Christianæ contra Hebræos, Joannes Baptista de Lectis; Ferd. Ughellus Tom. VI. edit. 2. col. 773., Silvester Petrasancta in libro de vera Religione, Romanum Martyrologium ad V. Nonas Julii ac XII. Kal. Januarii, Joann. Bapt. Pacichellus in Regni Neap. Prospectu Part. III. pag. 13. & alii. Ergo humillima in Sanctissimum Apostolum ipse ductus religione, Mense Majo M. DCC. XLVI. egregio Capitulo comitante, probatissimoque Antistite Marco Ant. Amalphitano absente, Sacras Reliquias colui & Translationis Inscriptionem in Apostoli Sacello magnifice extructo ornatoque legi; ejusdem vero Acta præcipuis Notis Criticis lustrare inceperat laudatus Petrus Pollidorus nuper vita functus: quod finire

non

non sinet ipsius germanus frater Joannes Baptista editis operibus notus, qui de Reliquiis Apostoli Ortonam translatis agit in Opere, quo Frentanorum antiquitates clarificare conatur.


In memorato Templi Celanensis Sacello, unde paulisper discessi, lapis adspicitur sanguineis etiam guttis conspersus: ac ferreo cancello munitus; quem vestigium esse Passionis Sanctorum nostrorum antiqua traditio; & populorum religio comprobant. Exstant ibidem tria vasa referentia colorem terræ coctæ, dictorum SS. Martyrum signata nominibus, quæ olim in veteri S. Joannis Ecclesia locata erant, duorum circiter palmorum latitudine ejusdem coloris, in quibus Sacra Corpora more priscorum temporum condita fuerunt. Alia nunc vetustatis monumenta damus, quæ pro ipsorum Martyrum illustrandis memoriis ad dictam diem XXVI. Augusti, adjungimus, & præclaro Bollandianorum Sociorum ducti exemplo, qui in Opere Sanctorum Orbis similia passim inservere documenta: quod autem mox sequitur, in Episcopatus Sulmonensis Tabulario custodiri jussimus. „ In Nomine Domini Amen..... Anno a Nativi-
„ tate ejusdem D. N. Jesu Christi millesimo septingentesi-
„ moquadragesimo quinto, die vero decima octava Mensis
„ Octobris Indictione octava Pontificatus in Christo Patris
„ & D. N. BENEDICTI XIV. Divina Providentia Papæ anno
„ ejus quinto feliciter...... Cunctis ubique pateat & no-
„ tum sit, qualiter nos infrascripti publica Apostolica au-
„ ctoritate Notarii in Romano Archivo descripti, verbo ve-
„ ritatis requisiti indubiam fidem facimus & testamur, ad
„ instantiam devotorum hominum facto per Nos met ipsos
„ nuper accessu ad Ven. Insignem Collegiatam Ecclesiam
„ S. Joannis Baptistæ Celani Marsorum Diæcesis, quæ ibi-
„ dem Mater Ecclesia appellatur, visaque antiqua Cappel-
„ la ejusdem Ecclesiæ SS. Martyrum Simplicii, Constantii,
„ & Victoriani Loci ac Diæcesis Protectorum, quæ inibi
„ ab immemorabili tempore, ut fertur, sita est, & quæ
„ modo Sacrarium dicitur, postquam eorundem SS. Marty-
„ rum Corpora penes Altare Majus post initium currentis

„ sæculi reposita fuere, ubi nunc etiam servantur, patenter „ inspeximus proprisque oculis observavimus totam muri „ circumferentiam dictæ antiquæ Cappellæ a cornu Evange. „ lii existentis, fuisse & esse antiqua pictura ornatam, quæ „ Martyrium eorundem Sanctorum exprimit, describitque „ cum Imaginibus nonnullis ad dictum Martyrium spectan- „ tibus, & interpositis versibus sive Inscriptionibus, ex- „ ceptis locis, ubi nova porta, vel fenestra olim ædificata „ apparet in nova Templi instauratione dicto initio circiter „ labentis sæculi, in quibus duæ aliæ Inscriptiones erant...., „ licet aliæ in eo situ existentes sublatæ sint: In aliis vero „ imaginibus, quæ integre exstant, sequentes leguntur: „ *Sanctos Martyres Christianam Fidem profitentes, & eandem viriliter sectaturos asserentes, ferreis virgis cædi jubet Præses impius, at illico tanti criminis obnoxios febris morbus consumpsit. Martyribus Deum vivum adorantibus, Idolosque, etsi monitis, adorare tamen renuentibus, jubet Præfectus alligari manus & mitti Romam versus, & factum est ita sequebatur eos turba multa præ Miraculis, quæ fiebant ab eis, multi crediderunt in Jesum. Ut Romam se conferrent, Ravennam versus iter agentes, non longe a Civitate puellam per septennium cæcam illuminavit Simplicius. Id .... Pater prævideraт in somniis, qui cum ea & aliis multis Deo gratias agentes, crediderunt in eum. Urbis portam non ingressi, Imperatoris absentia præaudita, & inter Marsorum populos eum degere, ne Petri & Pauli Basilicam inadoratam relinquerent, etsi Ministris dissentientibus, miraculose tamen solutis manibus, in eam se contulerunt; maxima interim inter Idolatras & Christiculas orta est dissensio, quamplurimi ex iis periere, Sancti autem Antoninum petierunt. Imperatori astantes, severitatem ejus, mandata & minas non timent, nec Idolis sacrificare curant Christifideles, sed fortes in Fide in passulare antrum intromittuntur, ut a serpentibus devorarentur, inde tam servorum suorum Dominus minime immemor, Sanctos servavit incolumes, & in sequentis diei hora nona viriliter morituri & Martyrii palmam su-* „ *sce-*

„ *scepturi parantur. Sanctorum sanguinem sitiens Antoni-*
„ *nus, capitalem in eos sententiam dixit, plaustro N. alli-*
„ *gatos Juvencis hinc inde errantibus ad Fontem aureum,*
„ *qui est ad radices Pisicini Montis prope Castrum Celani de-*
„ *collari jubet. Sic tandem, ut vitam viverent sempiternam,*
„ *dies suos obierunt anno Christi .....* : Testamur etiam in
„ eadem Insigni Collegiata Ecclesia, & in dicto Sacrario
„ hos alios exstare versus, qui relatam picturam ad annum
„ Christianæ Salutis D. LXXXIII. referunt.....: Credimus au-
„ tem in ea parte ex novo muro exornata, millesimum defi-
„ cere annum .... *Dom. Joann..... D. M. Martyr. Constan-*
„ *tio, & Victorian. Protectoribus .... Paulus Zopparellus*
„ *Venetus pingebat .....* In dicta Ecclesia [testamur] maxi-
„ mo vetustatis decore asservari tria vasa terrea duorum pal-
„ morum circiter latitudine, coloris antiquæ terræ coctæ,
„ & in unoquoque eorundem adscriptum legitur antiquo
„ charactere nomen uniuscujusque Sanctorum Martyrum
„ prædictorum: nempe *S. Simplicius*: in alio *S. Constan-*
„ *tius*; & in tertio *S. Victorianus*: Exstant hæc vasa ter-
„ rea in Deposito actuali dictorum Martyrum sub Ara Majo-
„ ri, in quibus, ut fert vetustissima fama, erant inclusa di-
„ ctorum Sanctorum Martyrum Capita, Ossa, & Cineres
„ apud aliam antiquiorem Ecclesiam S. Joannis sub Monte
„ Pisicino prope dictum Fontem aureum Celani, antequam
„ ad novum Templum S. Joannis Baptistæ intra Celanum si-
„ tum, translata essent: Ideo ad perpetuam .... Ita est ego
„ Sacerdos D. Petr. Joan. Pipernus publicus Apost. auctori-
„ tate Not...... Ita est ego Simplic. Rosatus a Celano Mar-
„ sicanæ Diæcesis Regia & Apostolica auctoritate Not......
„ Loco ✠ Signorum. „ Formam unius ex præfatis Vasis
hic repræsentari curavi pag. seq. 118.



No-



Descriptio antiqui Vasis Supra memorati

NOTA IV.

Additur hic novissima Reliquiarum eorundem Sanctorum Martyrum Translatio, a VV. CC. Bollandianis prætermissa: quam etiam pro viribus illustrabimus. Quoniam vero post Celani ruinas, memorata S. Joannis Baptistæ Ecclesia antiquis casibus, paribusque infortuniis, & ingenti terræmotu olim concussa, & vetustate confecta erat, Civium pietate anno M. DCC. VII instaurata fuit: proinde sacra Martyrum Lipsana ab antiquo Sacello ad ejusdem Ecclesiæ novum Altare, quod Majus vocatur, ipsorum Martyrum simulacris, quatuor lapideis discoloribus columnis, & marmoreis ornamentis decoratum, tunc temporis solemni ritu traducta sunt. Ex autographis autem, quæ inspeximus, eidem Aræ Joseph e nobili Petiorum Celanensi Familia quingentos nummos aureos legavit, aliaque splendida munera piæ Sodalitati apud idem Templum multis abhinc seculis institutæ, & nunc perinde florenti, ipsi Cives largitate certantes præcipuo nomine contulerunt, ut hac etiam ex parte Divinæ gloriæ incrementum, & Sanctorum Martyrum Cultum splendidiorem curarent. In ea igitur Ara nuper, ut diximus, constructa, pretiosa Martyrum pignora denuo locata fuerunt, una eum vetustis Urnis auro tectis quadratæ figuræ & crystallo munitis. Tribus illa obserata fuere clavibus, quorum una a Ven. Capitulo, alia a Magistratu, tertia a Sodalitate prædicta servatur: Annoque M. DCC. XXXVII. Joseph Baronus Marsorum Antistes in Nota III. §. IV. alibique memoratus, Clero Civibusque instantibus, eadem ab antiquis thecis eduxit, reposuitque in tribus novis thecis argenteis elegantissime elaboratis & exornatis, tabulis Chrystallinis tectis, splendida Celanensium munificentia & sumtibus plurium nummorum aureorum comparatis, tum sub ipso recenti Altari solemni pompa atque celebritate locavit. Cujus rei gestæ apud nuperum Suffragii sacellum; ubi olim ipse ejusdem insignis Collegiatæ Ecclesiæ Præpositus ac prima Dignitas, primum lapidem benedixi, fidelis exhibetur attestatio in Regia Marsic. Par. II. pag.

pag.335. 336., quam hìc pro re ipsa, & Opusculi ornatu iterum describo: *Joseph Baronius, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Marsorum atque eidem S. Sedi immediate subjectus: Universis ...., has Litteras inspecturis testatum volumus, Nos decimo tertio Kalendas Septembris Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi* M.DCC.XXXVI. .... *Celani .... Marsorum Diœcesis, & proprie in Sacello Sodalitatis Suffragii Thecas tres ligneas deauratas quadratæ figuræ crystallis obstructas, sigilloque obsignatas fel. record. Mutii de Vecchis Prædecessoris nostri resignasse, in quibus jampridem sacra & veneranda Sanctorum Christi Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani dicti ... Celani apud Deum Patronorum seorsim asservabantur Ossa; de quibus autem Martyribus hæc babet septimo Kalendas Septembris Martyrologium Romanum: Apud Marsos SS. Simplicii, & Filiorum ejus ....: Quæ quidem sacra Ossa sigillatim a prædictis tribus thecis ligneis deprompta atque extracta, in tribus thecis argenteis quadratæ figuræ oblongæ, vario spectabilique deaurato ornamentorum genere decoratis, tribus crystallis contectis, atque ostiolo retrorsum obstructis, floribus intrinsecus eleganter composito, omnique pietatis officio condidimus, vittaque serica rubra singulis ostiolis in unaquaque earum sua theca colligatis nostroque sigillo obsignatis ac munitis, publicæ, in qua jampridem erant Fidelium venerationi, ut par est in dicta Insigni Collegiali Ecclesia relinquimus. Acta sunt hæc omnia in dicto Sacello, ministrantibus DD. Aurelio Matthæi Præposito, & aliis Canonicis dictæ Collegiatæ, & præsentibus omnibus aliis Canonicis, Magistratu, Procuratoribus Ven. Societatis Sanctissimi Sacramenti ac dictorum Sanctorum Martyrum, populoque Celanensi, & aliis etiam devotionis ergo in dictum Sacellum confluentibus ....: Et dum hæc agebantur, ab hora nona usque ad vigesimam nonnulli Sacerdotes Nocturnos de Communi plurimorum Martyrum, & Psalmos canebant, & sex Clerici fanalia cerea accensa in manibus habentes de genu dicta sacra Ossa venerabantur .... Joseph Episcopus Marsorum V. Canc.: Loco ✠ Sigilli*. Nomina autem dictorum Canonicorum eidem Translationi præsen-

ſentium, leges in cit. Reg. Marſic. Part.iI. pag.335. n.1. marg. Stragulum vero polymitum rubei coloris a Fratrum noſtrorum J.C. Michaelis Angeli Equitis S. Marci, Status Cęlani Auditoris Generalis & Laurentii Nicolai Nob. Civium Rom. & Neap. Regni privata Supellectili pro ſacra Solemnitate, acceptum ac venerandis excipiendis Reliquiis tunc temporis ſubſtratum, in decenti ornata Capſula occluſum cuſtoditur apud domeſticum Oratorium a SSmo D.N. BENEDICTO PAPA XIV. ipſis benigne conceſſum. In cit. Reg. Marſic. d.Part.iI.pag.333. memoria Urnarum, veluti perenne religionis monumentum deſcribitur: quam & hic ne quid hiſtoriæ deſit recenſemus: earumq. tum veterem cum novam formam ſub oculis exibemus pag. ſeq.122.& 123. In oſtiolo argenteo Urnæ S. Simplicii legitur:

CORPVS INCLYTI MARTYRIS S.SIMPLICIJ PATRIS SS.MARTYR.
CONSTANTIJ, ET VICTORIANI CELANI TVTELAR.

In poſteriori parte:

CIVES CELANENSES SVMPTIBVS SVIS:
ANNO M.DCC.XXXVII.

In anteriori parte Urnæ S. Conſtantii:

CORPVS S. CONSTANTIJ GLORIOSI CHRISTI MARTYRIS
FILIJ S. SIMPLICIJ MARTYRIS.

In poſteriori:


SOCIETAS CONFALONIS SVMPTIBVS SVIS.
ANNO M. DCC. XXXVII.

In anteriori parte Urnæ S.Victoriani:

CORPVS S. VICTORIANI MARTYRIS FILIJ
S. SIMPLICIJ MARTYRIS.

In poſteriori:

SOCIETAS SS.SACRAMENTI SVMPTIBVS SVIS
ANNO M. DCC.XXXVII.



Forma uetus Vrnarum ex ligno inaurato



Vrnarum ex argento forma recens

Ad honorem ergo Sanctorum nostrorum pie a Celanensi populo actis, optime congruit dictum S. Isidori Pelusiotæ de interpetr. Divin. Script. libr.I. Epist.c. LXXXIX. monentis: *Pulchrum quidem est pietatis, Martyres votivis donis ornare, quemadmodum tu facis. Pulchrius autem, ac præstantius fuerit, eos per ea, quæ cum virtute, & laude gesserunt colere. Quam ob rem quibus ornatum obtulisti, fac iisdem quoque mores offeras.* Visitur etiam B. Mariæ Virginis septem dolorum, ac Martyrum nostrorum Altare in Ecclesia Carmelitarum Celani erectum, quod etiam ibidem veneratione colitur.

§. XII.

LAudati Bollandiani Socii sub d. die XXVI. Augusti, hæc in §.II. de more congesta ediderunt: *His hactenus præmissis, perveniamus ad Sanctorum Acta: Duo eorundem apographa habemus, sed simili argumento, & stylo. Unum ex iis desumptum judicatur ex M. SS. D. J. B. Mari Romani, ac dispescitur in novem Lectiones proprias pro Ecclesia, ut suspicari licet, Celanensi, propter ea quæ superius de hoc loco dicta sunt. Alterum vero apographum signatur transcriptum ex antiquo Codice edino [immo hædino], idest membranaceo Aversan. Ecclesiæ [si hæc recte lego, tam enim misere scripta sunt, ut vix legi possint], idest ut ego quidem interpretor, Aversanæ Ecclesiæ, quæ est in Provincia Terræ Laboris Regni Neapolitani. Quidquid sit exemplar istud, nos Aversanum vocabimus: M. SS. vero .... cum ex Aversano, dono. Ughelli huc misso ....*

NOTA I.

DE Manuscripto Codice Joannis Baptistæ Mari, quem antea nominavi, fuse inferius agam: ejusdem vero Codicis Aversani nonnulla mox veritatis honore mihi exponenda videntur: nam RR. Continuatores etsi doctrina conspicui, longe tamen a Marsis vitam agentes, toties labun-

buntur, quoties Codicem illud dono Ughelli, ficut ajunt ad ipfos tranfmiffum, Averfanum proferunt: nufquam enim apud eundem Scriptorem de Averfana Ecclefia differentem in Tom.I. Italiæ Sacræ edit.2. col.486. vel Epifcopale Archivum, hujufmodi Codicis mentio reperta eft; excepto quodam Averfæ Comite, qui jampridem Celanum diruit ex Tom.VI. ejufdem auctoris cit. edit. col.334. At quia per ambages difficultatis vias pedem figere nolebam, ut progredi ultra valerem, die XXIV. Aprilis anno M.DCC.XLV. Literas dedi ad Illuftrifs. & Reverendifs. D. Philippum Nicolaum Spinellium Patritium Neapolitanum Averfæ Antiftitem, morum probitate infignem, qui die VIII. Maii, qua fulget clariffimi generis humanitate, mihi Epiftolam hanc italicam, & latine redditam mifit: *Illuftrifs. ac Reverendifs. Domine .... dum ad hauriendam aliquam de SS. Martyribus Simplicio, Conftantio, & Victoriano notitiam a D. T. Illuftrifs. expetitam, hujufce Cathedralis Ecclefiæ Archivum iterata cura & fedulitate perquirebatur; altera fumme æftimanda fub die* 24. *elapfi Menfis data Epiftola tua ad me pervenit. Ad utramque ideo refpondens, affero, ftudiis omnibus, iifque maximis adhibitis, nullam quidem memoriam, nilque penitus de laudatis Martyribus potuiffe in eodem Archivo deprehendi: quinimmo, ut majorem in modum D. T. I. obtemperarem, diligentiam quoque parem in perfcrutando PP. Caffinenfium hujus Civitatis Tabulario locandam curavi; in eoque pariter nil ad hanc rem ipfam compertum eft. Remanet ergo, ut D. T. I. aliis me juffis cohoneftatum velit, dum manus tuas obfequenter deofculor: Averfæ die* 8. *Maii* 1745. *D. T. I.: Philip. N. Epifcopus Averfæ*. His itaque attentis, in fequenti fenfu manere, fi recte poffim, multo malim; tum quia ab Aveani prope Celanum vetufto Oppido: Codicem illum hædinum antiquitate corrofum, haud *Averfanum*, fed potius *Aveanum*, vel *Avecfanum* interpretari oportet; qui nempe graffantibus Celani obfidionibus, Civium induftria ab eorum Ecclefia forfitan extractus illuc transferri potuit, & ufu recipi, vel faltem a Mutio Phæbonio Aveanenfi & Marforum hiftorico pro ftudii commoditate five ab aliis lon-

longe ante illius ætatem ad id Oppidum, unde ei titulus factus est, traduci valuit. tum etiam ex Ughelli verbis, quæ perspicuam hanc nobis suppetunt conjecturam: Nam ille in cit. Tom.I. edit.2. col.888. sic ait: *Mutius Phæbonius amicus noster, eruditus homo, atque Patriæ suæ antiquitatum bene peritus, a quo multa accepimus ....* & col. 889.: *Privilegii exemplar ab ipso autographo exscriptum, nuper nobis e Tabulario Marsorum Ecclesiæ transmisit Mutius Abbas Phæbonius, Vir probus, & doctus Scriptor historiæ Marsorum ....*, ex quibus asserere collubet, quod tantus auctor Codicem illum a Phæbonio, qui Celanense Capitulum insigni hac memoria fortasse privaverat, accepit, & Bollando, ut illius Operis Continuatores allatis verbis fassi sunt, dono dedit gratioso: Ideoque Celani Ecclesia antiquis monumentis [proh dolor!] fere spoliata jacet; quorum Jacobillus & alii superius congesti Scriptores vix meminere: Attamen certam firmamque fidem in similibus ob rei vetustatem esse attendendam, pariter ait celeberrimus Natalis Alexander hist. Eccles. edit. Neap. Tom.xvii. pag.241. Quibus perpensis, nullo pacto Codicem illum *Aversanum*, sed potius *Aveanum* legendum esse repeto: immo ex alio M.S. Codice variorum Martyrum & Sanctorum nostrorum Acta continente, observatoque in Urbe a laudato Abbate Petro Pollidoro penes ejusdem J. B. Mari hæredes, argumentum id clarum redditur atque illustrius: quoniam ibidem Vita Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii prænotatur: *Ex M.SS. Codice Ecclesiæ Celani in Marsis*, quæ in pag.1. hos exhibet versus minio depictos:

Quæ legis in Libro Celani, Ecclesia cantat
Avecsanensis [ita] consociatque chorum.

Ex quibus interpretor, id M. S. propter eos Martyres, fuisse Celani Librum appellatum: Et omnia in eo conscripta, sicuti in Celanensi Ecclesia fieri consuevit inter Divina, a Clero quoque Avecsanensi pari caussa Sanctorum Martyrum religione ducto fuisse olim in eorumdem Divino Officio forsitan recitata.

§. XIII.

§. XIII.

In relato §.I. doctiss. Viri Joannes Pinius, Guilielmus Cuperus, & Joannes Stiltingus S. J. Theologi, qui Bollandianum opus continuarunt, ad d. diem XXVI. Augusti Tom. V., hanc aliam excitarunt difficultatem: *Acta, quæ ex proprio M. SS. daturi sumus prælo, sublestæ fidei nobis sunt, non una de causa: Nam primo meminit eorum auctor numero .... divisionis nostræ de tempore persecutionis Antonini Pii: sed non scitur Imperator ille ullam movisse persecutionem adversus Christianos: Immo vero contrarium omnino suadetur ex iis omnibus, quæ de ipsius genio, ac moribus fuse collegit Tillemontius in historia Imperatorum ..... Non nego tamen, eo imperante Christianos non paucos Martyrio affectos fuisse ab ipsius Ministris, prout refert Baronius ad annum Christi* 142.

NOTA I.

Acta igitur nostra, quæ a laudatis Viris acri admodum judicio, sublestæ fidei dicta fuere [ut a difficilioribus ingeniis fieri assolet, quibus solemne est quicquid rationibus per ipsos institutis non congruit, reiicere], & in dubium revocata, nunc tueri atque vindicare curabimus. Consulendos in primis esse vetustissimos Manuscriptos, ubi judicium de alicujus operis auctore ferendum est, res quidem concessa ab omnibus Criticis habetur. Marsorum Codicum fidem, ac probe illis cohærentia diversi generis antiqua Monimenta a nobis hactenus opportune memorata, suo calculo atque suffragio Viri etiam doctissimi, eruditione & antiquarum rerum peritia præstantes, Bzovius, Jacobillus, Ferrarius, & ceteri ab ipsis Bollandianis alibi, veluti idonei rerum testes citati, nec minimi facti probarunt. Ita semper præcipuæ historiæ summam, sive ut alii loquuntur. Sincerum enarrationis fundum, cui subinde accessit temporum depravatio; atque traditionem Ecclesiæ, in qua Sancti Martyres antiquitus passi fuerunt, suscipi & spectari debere, Sacræ Scri-

Scripturæ, artisque Criticæ & Ecclesiasticæ historiæ peritis manifestum est. In suscepto igitur proposito magis magisque confirmatus, his, quæ in Nota II. & III. §.IV. obiter descripta sunt, alia addenda existimo: Nam multa ex Patribus, qui de Apostolorum & Ecclesiarum peculiaribus traditionibus agunt, comperta leguntur apud Cardinalem Baronium in Annal. Tom. II. sub ann. Christi c. XLVI. col. 132. num. 24., SS. D. N. de Beator. Canonizat. libr. IV. Part. II. cap. x. n. 7., & alios Scriptores eximios, quos brevitatis caussa hic missos facio. Memorare autem juvat, Traditiones alias esse Divinas, alias Ecclesiasticas. Primæ a Christo manarunt, pertinentque ad materiam & formam Sacramentorum, ut Paulus I. ad Corinth. cap. II. ait: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*. Secundæ speciatim ab Apostolis institutæ fuerunt, veluti jejunium quadragesimale, & aliæ penes Beyerlinch. Th. Vit. Hum. Tom. VII. verb. *traditio*. Ex Traditionibus Ecclesiasticis nonnullæ vocantur consuetudines a Præsulibus aut populis incohatæ, quæ paulatim tacito consensu vim legis obtinuere; & ex his teste citato Scriptore, perpetua instituta traditio semper servatur, eritque duratura ad Mundi usque consummationem: Traditio autem Universalis ea dicitur, quæ toti Ecclesiæ custodienda proponitur, qualis est Paschatis, similiumque observatio: Et specialis, quæ uni tantum vel pluribus Ecclesiis constituitur juxta S. Augustinum Epist. LXXXVI. ad Casulanum: Ita ut dubitari jure non possit, quin Christifideles prioribus seculis, traditionibus & aliquando etiam sine scriptura vixerint, ex Irenæo libr. III. Cap. IV., cui plures consonant auctores in cit. Tom. VII. pag. 186. monentes, Christianos semper veras habuisse Traditiones, quas modo negare, nonnisi error & insana temeritas esset. Doctorem Gentium iterum audiamus in II. ad Thessalon. cap. II.: *Fratres state & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*: Eandemque sententiam S. Basilius in libro de Spiritu Sancto docet, firmatque Damascenus libr. IV. de Fide cap. XVII. At S. Leo Papa Serm. II. de jejunio Pentecostes, & Serm. VIII. de jejun. septimi Mensis idipsum probat. Nicephorus autem in

in libr.xii. hist. Eccles. cap.xxxiv. inquit, Ecclesiarum consuetudines ab incolis omnino servandas esse, quas ipsi tanquam leges per manus acceptas posteris tradiderunt. Peculiari ergo Dei auxilio factum putamus, ut Sanctorum nostrorum Acta ab Apostolica Sede Marsis finitima, nunquam in dubium revocata legantur: Immo tacita ejusdem approbatione observata sint, & quod tot annorum centuriis, tot populorum bellis, & infortuniis in Marsorum historia conscriptis, semper custodita fuerint, & ad nos transmissa, ad posteros item traducenda. Nec aliquam Ecclesiam potuisse retinere Officia recitata ante Bullam S. Pii V. sine facultate Sedis Apostolicæ, tradit Gavantus in Commentariis ad Rubricam Breviarii Romani sect.ii. cap.ii. n.23. apud Guyetum de Fest. propr. locor. & Eccles. libr.i. cap.x. quæst.v. circa init. pag.56.

NOTA II.

TRaditionibus itaque congruenter expensis, ut ea, quæ ad Antonini Pii gesta pertinent sub oculos unico obtutu cadant, ipsorum summam exhibebo Lectori; ex qua ni fallor, satis patebit, objectam ex Tillemontio difficultatem contra nostrorum Actorum fidem, veluti minime congruentium cum Antonini historia, nihil evincere. Neque eruditis est novum, doctissimos etiam Bollandianos in aliquot irrepsisse errores, sicuti egregius Præsul Joannes Ciampinius in Examin. libr. Pontifical. sect.x. pag.104. scribit: *Papebrochius in consarcinandis Sanctorum Vitis eorumdemve historiis texendis intentus, minus accurate varietate rerum distractus censuram epistolis factam examinavit; quare, bona fide, Palinodiam cecinit...*: Et ipse Janningus in Vita S. Lidani vel Ligdani natione Marsi, ut in Reg. Marsic. Part.ii. pag.144. seq., de illius Patria differens, perperam Atinam credidit, teste Erasmo Gattula histor. Cassin. Tom.i. pag.383. col.1. in fin.: Ut autem redeat unde aberravit oratio, dicendum est, nostræ religionis exordio, cum ex Christo in Cruce pendente Ecclesia nasceretur, Infernum livore ululan-

tem in eam, ut ad interitum adigeret, insurrexisse: Proindeque diabolus ferocitatem Imperatorum suscitavit, qui in gratiam infelicis Idolatriæ, cui miserrime inserviebant tormentis pluribus membra hujus Ecclesiastici Corporis vexare conabatur: Ac ideo è supputatione aliquorum juxta Boyvinum ad Theolog. Scot. Part.iv. de Ecclesf. cap. ult. plusquam undecim milliones Christianorum gladio Tyrannorum occubuerunt, qui numerus, ille ait, sufficeret, ut qualibet die anni Ecclesia Catholica plusquam triginta millium Martyrum diem Festum posset celebrare. Sæviit etiam quolibet seculo Paganorum & Idolatrarum iniquitas, aliorumque hæresis: Quæ omnia Deus prospiciens, ut Sponsam suam conservaret, quovis tempore Apostolos, & Apostolicos protulit Viros, qui virtute ac doctrina Ecclesiæ defensionem ad conservationem susciperent, ex Boyvino loco citato: Is hæreticos per sæcula refert, oppositosque Doctores Fideique defensores illustrat. Videndi de re ipsa Battaglinus in historia Conciliorum, Natalis Alexander in historia Ecclesiastica, Berninus in alia hæresum, pluresque Scriptores. Neminem itaque latet, dictum Antoninum Pium, etsi indulgentissimum prædicatum, anno Christi c.xliii. Christianos aggressum fuisse persequi, lectionemque Librorum Prophetarum, quia multa de Salvatore prædixerant, penitus vetuisse juxta Baronium Tom.ii.Annal. eodem anno num.1. col.117. Et licet is natura instabilis, Eusebio teste histor. lib.iv.cap.xii. aliquoties pro Christianis rescripserit: Nihilominus Provinciarum Præsides adversus Catholicam Religionem ipsi multas dederunt Literas: Eodemque imperante, complures Christifideles Martyrio coronati sunt, ex cit. Baronio ad annum c.liv. Tom.ii. col.140. 141., qui Thelesphori Pontificis Passionem recitat, & n.3. vel 4. scribit: *Sæviit acerbe nimis his temporibus .... in Christianos furor; nam præter illos, quorum memoria excidit .... reperiuntur itidem Romæ alii Martyrio coronati. Passus est tunc etiam Alexander Episcopus via Claudii... Martyr quoque effectus est Spoleti Pontianus, & aliis plures in Italia. In Oriente etiam complures reperiuntur sub eodem Antonino nobilitati Martyrio, nimi-*

nimirum Pergami in Asia Agathodorus , & Carpus ..... Regiminis ipsius Imperatoris conditionem Christianæ Religionis affeclis infestam, idem Ecclesiasticæ historiæ parens Emin. Baronius Tom.II. Annal. sub anno c. XLII. n. 14. col. 116. his verbis narrat: *Cæterum, quod ad res Christianorum pertinet: etsi certum, exploratumque sit, nullum adversus eos ab Imperatore esse promulgatum Edictum; tamen vel invidia Magistratuum, quod Christianam Religionem mirifice propagatam viderent, in diesque majoribus accessionibus crescere ac dilatari, vel calumniis contradicentium nonnihil esse vexatam; cum Sixti Papæ, & aliorum, qui Romæ eodem Antonino imperante sunt passi, tum quæ de iisdem temporibus ab eodem Justino sunt memoriæ prodita, certam, exploratamque fidem faciunt*. In eandem rem, si lubet, lege Justinum in Orat. I. ad Antoninum penes cit. Scriptorem in marg. n. 13. d. col. 116.: quibus accedit, quod variæ, ipso jubente, in Christianos exstiterint Gentilium obtrectationes, cum ipsis ansa data sit, querentibus Ethnicis, adversus Orthodoxam Fidem invehendi, declamandique juxta cit. Tom. II. Annalium sub anno c. XLVI. n. 26. col. 133.: Hinc ille Christifidelium implacabilis hostis Celsus Epicuræus, qui ea tempestate vivebat, teste Origene contra Celsum libr. II., nefarie in Christianos oblatravit. Varia etiam crudelitatis exempla, ipso Imperatore erga Christianos more Ethnicorum sæviente vel dissimulante, sæpe memorantur a Metaphraste de Martyribus Lugdunensibus, & Viennensibus ad diem XIV. Maii, & Surio ad diem X. & XVI. dicti mensis: quæ omnia clariora fiunt ex iisdem doctissimis Heschenio, Papebrochio, Baertio & Janningo in Actis Sanctorum Junii, qui ad secundam relati mensis diem pag. 161. diverso sermone, quo RR. Continuatores de Martyribus nostris loquuntur, ita scripsere: *Igitur sub Antonino Imperatore generaliter adversus omnes Christianos præcepta impiæ persecutionis extiterunt, quæ a Præfectis, Vicariisque, eorum, Præsidibus ac Præpositis Provinciarum, & obtemperandi studio & Christianæ Religionis odio & sacrilegæ persecutionis instantia, custodita vehementissime complectebantur ....: eodemque igitur tempore*

in Urbe Lugdunensium quinquaginta præstantissimi Viri pro Christianæ Religionis Cultu in ergastulorum custodia subdendi immanibus suppliciis retrudebantur ...., & lit.E. addunt: *Si non fuerunt publica contra Christianos omnes edicta Antonini, qualia Tertullianus cap.v. Apologiæ negat fuisse; agnoscenda saltem sunt privata Rescripta contra eosdem, aut contra eorum aliquos ....*: Ipsoque Antonino Pio vivente, Felicitas illustris fœmina cum septem filiis a Præfecto Urbis Publio variis suppliciis interempta fuit, ex Surio ad diem x. Julii pag.155. 156., & Ruinartio ad Acta Martyrum sinceris in Præfat. Gener. pag.22. & 24., qui pag.34. 35. infaustas tunc temporis ærumnas contra Christifideles efferbuisse demonstrat, ita ut nec etiam in Cavernis tuti esse potuerint, neque ab amicis, vel parentibus sepeliri. Et sane Imperator ille, ut Capitolinus refert, nomine tantum Pius erat; nam suos in Deos omnino affectus, illis continuo sacrificabat: Quod si aliquando a cædibus temperari voluit, illud in caussa fuit, quod Christiani per mortem, victores evaderent. Cæterum ex ejusdem Rescripto apud Eusebium libr.iv. hist. cap.xiii., & Ruinartium loc. cit. §.III. pag.38. aperte evincitur, sub ipso Antonino persecutiones, populorum etiam clamoribus excitatas, & Magistratuum Urbicorum potentia multum crevisse; quæ postmodum ad Præsides jure gladii gaudentes delatæ sunt, edictaque Imperialia adversus Christianos promulgata: Et pag. 39. scribit, quod hujusmodi acerbitatibus Cæsaris simulata mansuetudo minime offecit. In Ecclesiastica notitia Conciliorum & Canonum Joannis Cabassutii de Rom. Impp. ad Synopf. histor. sæcul.II. habetur, quod diabolo instigante, sub eodem Antonino Pio acerbior recruduit in Christianos persecutio: atque ex P. Honorato a S. Maria Carmelita Discalc. in Animadvers. ad Regulas & usum Critices Tom.I. Dissert.iv. art.x. pag.380. manifestum est, tempore Antonini, Publium Præfectum Sanctæ eidem Felicitati, filiisque suis post hæc verba: *Dominus noster Imperator Antoninus jussit, ut Diis Omnipotentibus imoletis*, eos Martyrio damnavisse: Vide Natalem Alexandrum hist. Eccl. Tom.vi. sæcul.II. pag.64.65., aliosque Scriptores doctri-

ctrina & eruditione insignes, necnon Ignat. Hiac. Amat. de Graveson hist. Eccles. Part.I. Tom.I. colloq.I. pag.9., ex quo facili negotio colliges, sub initia regiminis ejusdem Antonini Pii, Præfectos ac Præsides Provinciarum in Christianos multum sæviisse: nihiloque secus istas locales & populares persecutiones tempore Marci Aurelii illius Successoris fuisse sopitas, sed potius in dies recrudescere visas; nam populi cæco furore abrepti, omnes, quos noverant Christianos, tanquam gravissimos criminum reos, ad necem postulabant, pluraque similia ibidem conspicies. Is etiam de M. Aurelio Antonini Pii in Imperium Successore iterum agit pag.15.: Et Tom.IV. colloq.IV. pag.82., Synodum memorat Victoris Papæ II. anno M.LVII. Romæ celebratam, in qua Marsorum Episcopatum in duos antehac divisum, in pristinum statum, hoc est in unam Diæcesim, sublata illa divisione, redintegravit: & habetur in Epistola Stephani X., quem alii appellant IX., ad sæpedictum Pandulphum Marsicanum Episcopum, satisque constat ex Tom.IX. Conciliorum apud citatum auctorem.

§. XIV.

Retuli antea in §.II. adversus Acta nostra, quæ sequuntur Cl. Bollandianorum verba: *Hanc, quam modo refutavimus hallucinationem, vidit etiam Ferrarius in sua Annotatione: Antoninus, ait, qui persecutionem in Christianos quartam excitavit, non Pius, sed Marcus Aurelius & Lucius Verus fuit .... Martyres nostros tunc passos esse dicit Ferrarius, sed non probat ....: Quia tamen auctor Actorum confundere potuit Antoninum Pium cum Marco Aurelio Antonino, qui dictus est Philosophus, & regnavit cum Lucio Aurelio Vero; idcirco superius posuimus dictos Martyres sub isto secundo Antonino ....*

Nota I.

Quum priscorum temporum calamitates multæ, graveſque fuerint, ut Eccleſiaſticæ quoque, ac ſupremæ dignitatis Viri non ſine labore victum quærere cogerentur, & ſacra ſtudia ſeponere; neceſſe eſt aſſerere, eos alio intentos, Latini ſermonis elegantiam neglexiſſe, atque ita ſæpe ſcripſiſſe, ut ſcriptiones interea turbatæ, vel minus exactæ non carerent vitiis, barbariemque redolerent & inſcitiam. Quare nihil mirandum, ſi aliquot, immo complura Martyrum Acta, præcipue antiquiora, hiulco forſitan ſtylo, aut ſermonis perturbatione conſcripta legantur. Nec item mirum, ſi Martyres noſtri in vetuſtis eorum Actis ſub Imperatore Antonino Pio paſſi dicantur: eoque magis, quia ut diximus, Acta noſtra antiquitatis honore magni ſemper facta fuere. His etiam accedit, quod Impp. Marcus Aurelius, & Lucius Verus in Imperium Succeſſores, pariter Antonini nomine vocati ſunt: & propterea Acta noſtra, quatenus Antoninum Pium memoraviſſent, ea ſane mentio, aut verborum extenſio, ad veterum amanuenſium inſcitiam referenda erit, nec ideo Acta ipſa inſulſo, graviqųe errore notanda, vel penitus reprobanda. Quod autem citatus Ferrarius, & Bollandiani Operis Continuatores Sanctorum noſtrorum Martyrium, non ad Antoninum Pium, ſed ad illius Succeſſores Marcum Aurelium, & Lucium Verum, ſervata temporum ſerie, quæ in Actis legitur, æque retulerint, [ut in Reg. Marſic. Part.II. cap.I. pag.4.] nil prorſus Actorum integritati officiunt: quonium Antonino Pio Imperatore vita functo, Marcus Aurelius, qui ad Imperium immediate ſucceſſit, Antonini etiam nomen, ut paulo ante dicebam, retinuit, fuitque cognomento Philoſophus Stoicus, qui ſtatim ſibi allegit Imperii Collegam Lucium Verum, teſte Baronio Annal. Tom.II. ad annum c.LIII. n.3.: Proinde talis confuſio nominis Antonini Pii, facile pro Marco Aurelio Succeſſore, Antonino etiam appellato, iniquorum fortaſſe temporum conditione, oriri potuit: quæ tamen, ut pluries monui, hiſtoricæ veritati minime adverſatur. Illud quoque

que observandum, in relatis Actis Anonymi auctoris ex M.S. J. B. Mari, ut in §.II. præcedenti habetur, Pontium Præfectum non ab Antonino Pio Imp., sed ab Antonino etiam Imp. in Franciam missum dici: ideoque mihi satis, quod sub utroque Imperio, Christifideles in odium Orthodoxæ Fidei variis suppliciis ad interitum usque affecti fuerint. Ambo enim Imperatores illi ex Baronio loc. cit. sub anno C. LXXVII. n. 2., licet aliqua lenitatis specie regnare incæperint, acriter tamen Christianos persecuti sunt, quemadmodum citatus auctor scribit ad annum D. LXIX. n. 1.: *Centesimo sexagesimo nono Christi anno .... persecutio in Christianos jam excitata acrius recrudescit, atque ferocius sævit. Quo enim se erga Deos studiosiorem M. Aurelius præbuit, eo in illorum hostes, ac quos diceret impios Christianos, se inhumaniorem exhibuit.*

Quamvis autem Philippus Ferrarius tempore dicti Marci Aurelii, Martyres nostros passos asserat, cognovissetque memoratam hallucinationem, quæ eorundem Passionem ad Imperium Antonini Pii refert: Non proinde Acta ipsa sublestæ fidei, vel apocrypha statim erant proclamanda: Quum enim hujusmodi opinionis varietas, non ad substantiam historicæ integritatis, sed ad consectaria quædam pertineat, nemo est, qui non videat, quam imbecille sit ex hujusmodi antilogia falsitatem, vel suspectam rei veritatem inferre: Nam sæpissime contingit, ut constet de veritate, & de modo, aut tempore, præsertim in antiquis rebus minime constet. Quid certius Christi morte apud nos? Attamen quid tempore, quo mortem subiit, incertius, si veterum discordes expendantur sententiæ? Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & Lactantius mortuum esse docent anno decimo quinto Tiberii, ætatis suæ trigesimo: Eusebius & alii anno Tiberii decimo octavo, ætatis suæ trigesimo tertio: S. Irenæus ad annum quinquagesimum, ipsum vitam produxisse tradit: Recentiores plerique ad annum trigesimum quartum, nonnulli ad annum trigesimum septimum. Sic impletas esse Danielis septuaginta hebdomadas, de quibus in ejus cap. IX. mentio est, Christianorum nemo diffitetur: Ast un-

unde incipiant, an a Cyro, an a Dario, an ab Artaxerſe Longimano vel memore, plurimum eſt apud Orthodoxos Scriptores diſſidii. Præterea de tempore etiam adventus S. Petri Romam, non parum diſſentiunt auctores, etſi omnes Chriſtifideles ſint certi de ipſius ad Urbem acceſſu: Nam Lactantius in libro de mortibus perſecutorum aſſerit, Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem veniſſe Romam, cum jam Nero imperaret: Oroſius adventum illius refert ad Regni Claudii exordium: S. Hyeronimus ad annum ſecundum Claudii. Faſciculus Temporum ad annum decimum tertium. Pari modo, licet incertum eſſe concederemus, quo tempore, puta Antonini Pii, vel Marci Aurelii Sancti noſtri Martyrio coronati ſint, non inde ſequitur, eos vel paſſos non fuiſſe, vel apocrypha eſſe ipſorum Acta, quæ ad Antoninum Pium tale Martyrium referunt, & Ferrarius ad Marcum Aurelium; quum hæc varietas non magni quidem momenti cenſeri debeat. Neque ex eo, quod Ferrarius eorum Paſſionem ad tempora Marci Aurelii referendam non probat, inſimulandus erat; quoniam certus de Paſſione ex Actis, ut objectioni cederet, nonnulli quæ acceſſoria erunt, mutanda exiſtimavit: Niſi dicere velimus, quod cum nomen Pii, etiam Marco Aurelio, Antonini Pii Succeſſori tributum fuerit, proprium ejus nomen non erat, ſed aliquando ab aliis ita fuit appellatus, ut Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. Tom. vi. ſæcul. iI. cap. iv. art. iI. n. 8. circa finem docte colligit ex duabus Apologiis Juſtini Martyris; ex ea ſcilicet, quæ prima deſcribitur, & revera poſterior eſt, data ad Senatum & ad Imperatores Marcum Aurelium, & L. Verum, in qua [ſicut & in altera, quæ prima eſt, ac ſecunda inſcribitur oblata Antonino, Marci Aurelii anteceſſori] Pium appellat, ut ipſum, qui humaniſſimi crediti Principis laudem affectabat, ab innocentium Chriſtianorum perſecutione avocaret. Hac autem ratione expenſa, quis non videt de medio ablatum eſſe objectum actis noſtris anocroniſmum de tempore Paſſionis Martyrum noſtrorum, etiamſi dicamus cum dicto Ferrario, eos paſſus fuiſſe ſub Marco Aurelio Antonino, qui ab Juſtino etiam vocatus eſt Pius,

Pius, ablatamque per nos quoque priorem difficultatem eorundem Censorum, Antoninum Pium nullam movisse in Christianos persecutionem: Sed ad alia clariora transeamus.

NOTA II.

MEmoratis M. Aurelio, & Lucio Vero Imperatoribus, qui inter Christianos erant spectatissimi, illis jubentibus, vel permittentibus, ad necem quærebantur, ut recte observat Cardinalis Baronius in Ecclesiasticis Annalibus: præsertim de S. Polycarpo Smyrnensis Ecclesiæ Episcopo sub anno septimo ejusdem Marci Aurelii Antonini, vulgi clamore ad interitum quæsito, ex cit. Scriptore ad annum C.LXIII. Tom.II. n.5. & 6. qui num.7. ibidem ostendit, a dicto M. Aurelio Antonino, L. Verum sibi collegam adscitum: Exinde autem duo eodem tempore regnarunt Imperatores, Divi Fratres appellati, & hi ab sequentis ætatis historicis confusi, multis errandi occasionem præbuerunt: Nam Lucentius ad Ughellum cit. edit.2. Tom.IX. sub Archiepiscopis Brundusinis col.9. n. marg.1. inquit: *Antonino Pio, anno 161. subrogati sunt in Imperio M. Aurelius, & L. Verus, quorum nomenclatura apud antiquos diversa erroris etiam quandoque occasio fuit Ecclesiasticis Scriptoribus*: Et in Tom.X. Ital.Sacr. ejusdem editionis sub antiquatis Episcopatibus col.22. in Annotat. n.1. sic habetur: [Antonini]. *Hic est M. Antonius, qui cognominatur Verus, & cum L. Vero fratre imperavit, & Antonino Pio successit*: Igitur Antonini nomen dictis Imperatoribus sæpe commune, ut dictum est, auctoribus errorem, ac historiæ perturbationem attulit. Quod si dicas cum Tertulliano, eos nulla adversus Christianos edicta promulgavisse, lege Eusebium histor. libr.V. cap.I., & Baronium ad ann.C.LXIV. Tom.II. col.156. n.2., qui quonam pacto id aliquando acciderit narrant, declarantque, ingentem ea tempestate persecutiooem populi impetu commotam, Proconsulum quoque Provinciarum ausu excitatam: Quinimmo ipsorum occultam Imperatorum immanitatem, Christianos vexavisse: In cit. Eusebii Epistola de Martyribus Lugdunen-

dunensibus, & Viennensibus græce vulgata, & latine reddita a Rufino in Proœm. libr.v., quam etiam referunt Eschenius Papebrochius, ac doctissimi Socii in Actis Sanctorum Orbis Tom.I. ad diem II. Junii pag.161., hæc habentur: *Septimo decimo anno Imperii Antonini Veri .... permultas Orbis Romani Provincias, ex acclamatione, & seditione Vulgi persecutiones dirissimæ concitatæ sunt, ita ut millia Martyrum per loca singula fierent ....* De re ipsa Josephus libr.vii. antiquit. cap.xx., & Ruinartius in Præfat. General. ad Acta Martyr. sincer. §.II. n.23., qui sub L. Antonino Vero, Martyres pene innumeros per universum Orbem euituisse ait: Nonnullis autem Viris Criticis contra sentientibus, cit.Ruinartius ibid. pag.25. ita respondet: *Nec juvat opponere, plerosque Imperatores ingenio mites, atque ad clementiam proclives fuisse. Quis enim inter Romanos Impp. Tito mitior, aut lenior unquam creditus est? Et tamen fratris sui natalem diem clarissime celebraturus, apud Cæsaream Palestinæ spectacula exhiberi jussit ....*: Deinde pergit: *Porro plerique ex iis Imperatoribus, qui ob lenitatem ab Ethnicis Scriptoribus maxime laudantur, ut plurimum atrocissimi Christianorum persecutores fuere. Nec mirum sane, cum adversus Christianos sævire, crudelitatis vitio non tribuerint, quod eos sacrilegos, publicos hostes, maximorumque flagitiorum noxios esse arbitrarentur ....* Idem in §.III. pag.xxxiv. seq., varias sub dicto Antonino Pio persecutiones, & generales sub M. Aurelio Antonino, Lucioque Vero sævisse probat: sic & in Brev. Rom. ad diem xxii. Mensis Aprilis, ubi inter alios sequitur, quod Soter Fundis in Campania natus, Pontificatum postea gerens, tertio anno sub Marco Aurelio Imperatore Martyrio fuit coronatus: Præterea anno Christi c. lxx. sub Aniceto Papa, Baronius Tom.II. Annal. col. 182. n.2. & 3. ea luctuosa Christianis refert, quæ Tertullianus in Apologetic. cap.xl. scribit: Natalis vero Alexander hist. Eccles. Tom.vi. sæcul.II. cap.v. §.iv. edit. ult.Neap. inquit: *Post Antoninum Pium imperavit Marcus Aurelius Antoninus Verus ejus gener. Tum primum duo Imperatores, Augusti nomine Rempublicam gesserunt ....*: Exindeque memorat S. Pothinum,

num, & alios Martyres sub ipsis passos, atque Proconsules aliquot, ceterosque Judices Provinciales, qui Christianorum nomen ad supplicium sufficere arbitrati sunt: & pag.65. addit: *Marcum Aurelium quantumvis se devinctum Christianis professus sit; non tamen Christianum factum, sed popularem superstitionem sectatum semper fuisse*. Franciscus Pagius in Brev. histor. Chronolog. Critic. de Pontific. Roman. Tom.I. pag.23., quarta memorans sub dictis Impp. Ecclesiæ persecutionem, quam alii quintam, vel sextam vocant, Sanctum Polycarpum Smyrnæ Antistitem, & S. Joannis Apostoli discipulum, annoque c. LXIX. passum scribit, laudatque S. Justinum Philosophum e Palestina oriundum, qui post duas Apologias pro Christianis oblatas, iisdem Imperatoribus anno c.LV. pro Christi Fide mortem oppetiit: quam sine persecutionem in Galliis fuisse propagatam, variosque Martyres pro veritate Orthodoxa trucidatos narrat; alibique de ipsis Antonino Pio, Marco Aurelio, & Lucio Vero Imperii Collegis agit in Critic. ad Annales Baronii in fin. Tom.II. col.1042. Item Augustinus Calmet in Chronol. seu Ration. temp. pag.81. affirmat, M. Aurelium Antoninum sub anno c.LXI. usque ad c.LXXX. regnavisse, quod & Bollandiani fatentur. In Martyrologio Romano alii Christi Milites tunc passi leguntur, nempe ad diem XI. Junii plures Martyres & Confessores, quorum certamina pro Catholica Fide ad interitum usque per totius Orbis terrarum Ecclesias recitantur: ad diem XVII. Aprilis de S. Aniceto Papa in Brev. Rom. habetur: *Anicetus Syrus, Imperatore Marco Aurelio Antonino, præfuit Ecclesiæ .... propter Christi Fidem Martyrio coronatus ...*: Et ad diem XIV. Maii de SS. Martyribus Victore, & Corona in Syria sub Antonino Imp.: quibus addas Zeffirinum, tunc temporis Christi Martyrem, ex eodem Brev. Rom. ad diem XXVI. Mensis Augusti, alibique alios leges.

Exstat Romæ columna Antonini Imperatoris, rebus ab ipso gestis clarissima, quæ post Germanos, & Parthos bello devictos erecta est, atque historicis imaginibus anaglyphice insculpta: An vero ipsi Antonino, vel potius M. Aurelio Antonino Augusto Successori dicata fuerit, pro certo mi-

nime habent Viri docti & Romanarum antiquitatum periti, de quibus consule Ephemerides Literatorum Italiæ anni M. DC.LXXVI. Romæ editas pag.33. : Hanc ipsam columnam a Petro Bartholo Notis illustratam, Joannes Petrus Bellorius postea evulgavit. Aliam vere Antonino Pio dicatam ad campum Martium cum Basi magnifico, opere anagliphico ejusdem Imperatoris Apotheosim referente, Clementis XI. Pontificis jussu e priori loco, ubi ædificiorum ruderibus & terra circum aggesta pene obruta fuerat, in plateam Innocentianæ Curiæ translatam, conspicua Dissertatione illustravit q. Joannes Vignolius Vaticanæ Basilicæ S. Petri Beneficiatus, & Vaticanæ Bibliothecæ olim Præfectus. Nunc denique relatis, addo ipsorum Bollandianorum sensum in Vita septem Fratrum Martyrum ad diem x. Julii Tom.III. dicti Mensis edit.2. Ven. pag.10. §.III., ex quo Sanctorum nostrorum vetustissima historia ob nomen Antonini, indiscriminatim ipsi, suisque Successoribus inditum, magis magisque firmatur. Sic enim loc. cit. quasi pro re nata scribunt: *Acta horum Sanctorum Martyrum, aliique auctores, qui eorum agonem Literis celebrarunt, eos sub Antonino passos commemorant. At nomen illud pluribus convenit, & ab antiquis, ut recte observat Tillemontius indiscriminatim inditum fuit Tito Antonino, & Marco Aurelio Antonino Successori ejus. Præcesserat Baronius, duobus hisce tertium Antoninum adjungens: nam, ut loquitur ad ann.163. n.2. Antonino Pio defuncto, Marcus Aurelius Antoninus cognomento Philosophus, & Lucius Ælius Verus Antoninus succedunt Imperio. Placuit Baronio Martyrum passionem annectere anno 175., quo regnabant duo postremi Antonini, idest Marcus Aurelius, & Lucius Verus; fortasse quia sub horum, quam sub Decessoris imperio, multo gravius ferbuerit persecutio ....; tam videtur certum e numero plurali Augustorum, bis tantum in Actis exhibito, confici ne quidem verosimiliter, nedum probabiliter posse, duos intelligendos esse Augustos, qui simul regnarunt, alibi semper recurrente solo Antonino. Jam vero, quia solius Antonini* [ut in historia Martyrum nostrorum,] *nomen alibi semper in Actis exprimitur, coniicit idem Tillemontius,*

sæpe

ſæpe nominatum Martyrium accidiſſe, quo tempore L. Verus verſabatur in Oriente, bellum gerens cum Parthis, adeoque verſus an.164., quandoquidem L. Verus profectus fuerit Roma ann.162., eoque reverſus 166. Sic ille opinatur ex conjectura non improbabili..... Hinc e S. Felicitatis dictorum ſeptem Martyrum Matris Paſſione ab auctore Anonymo deſcripta, & in cit. Tom.III. pag.12. relato, ut in noſtro etiam Anonymo de ſolo Antonini nomine, Sanctiſque Simplicio, Conſtantio, & Victoriano legitur, habetur: *Temporibus Antonini Imperatoris orta eſt ſeditio Pontificum, & Felicitas illuſtris fæmina cum ſeptem filiis Chriſtianiſſimis tentata eſt* ... Qualiſnam eſſet Chriſtianæ religionis ſtatus illis temporibus, ultra ſuperius dicta, cit. tradit Baronius in Annal. Eccleſ. cum Crit. hiſtorico-Chronolog. Pagii Tom.I. editione noviſſima col.121. qui etiam col.122. circ. fin. ex Tertulliano in Apolog. Cap.v. de ipſo Imperatore ſcribit: *Et quantumlibet nullo alio ſpeciali Edicto [ut de Antonino certum eſt id teſtante Tertulliano] vetaretur Chriſtiana Religio, nihilominus mille circumventi calumniis Chriſtiani, frequenter a Judicibus extremo ſupplicio damnabantur: non deſunt de his ſub eodem Antonino Pio certa exempla* .... At col.128., ea doctiſſimi Cardinalis Baronii verba leguntur, quæ jam deſcripta ſunt, quod nempe abſque Edicto invidia Magiſtratuum ob Chriſtianæ Religionis mirificam propagationem, vel calumniis contradicentium, Sixtus Pontifex, aliique, eodem Antonino regnante, Martyrio fuerint coronati. De Juſtini conſtantia pro Religione ſuſcepta, vide d. col.128., & 129.

§. XV.

HAnc aliam difficultatem in ſæpedicto §.II. conſcriptam de Pontio Præfecto Chriſtianorum infeſto, penes Acta noſtra memorato, inconcinnam pariter judico: *Secundo ſuſpectum ex illis quoque nobis eſt nomen Pontii Præfecti Urbis, ut vocatur* ....; *nec illum reperio inter alios hoc officio functos, qui habentur poſt Faſtos Romanos Conſulares editos Amſtelodami anno* 1705., *auctore Theodoro Janſonio* ....

No-

Nota I.

Antequam objectis satis faciamus, illud in primis monemus: eruditos Viros, qui vera Monimenta excutienda suscipiunt, ne plus æquo illa convellant, critico judicio temperate uti debere; quoniam si ad ingenii potius ostentationem, quam ad historiæ veritatem illud adhibeatur, ita eam pertubabunt, ut evertant, non quærant vel illustrent. Cum igitur, bona pace dixerim, nulla sit firma ratio, quæ iisdem Actis adversari jure possit ob Pontii nomen a dicto Theodoro Jansonio, ac etiam Felice Cantelorio a Bollandianis omisso, qui de Urbis Præfectorum serie tractarunt: Idcirco ex infra delibandis, ea prorsus genuina hac etiam in parte reputari debent.

Ut autem a Jansonii silentio, ac præteritione ordiamur, de judicio tantum negativo agitur, quod Actorum nostrorum fidem, ad hanc usque diem per venerabilem tot seculorum antiquitatem nostratibus populis transmissam, nullo pacto, nullaque ratione frangere valet: Nam Viris emunctæ naris, & in critica scientia eruditis planum certumque est, id argumenti genus nullius esse roboris vel momenti, quemadmodum scite firmavit P. Honoratus a S. Maria in Animadvers. critic. Tom.I. dissert.III. art.II. §.I.: Aliter unusquisque contra historicam veritatem, si quid a Scriptoribus incaute præteritum esset, allatrare posset. Quis enim fabulam diceret Sanctorum Laurentii, & Sebastiani Martyrium, eo quod, teste citato auctore art.II. §.III., in Eusebiana historia sedem non habet? Et quis absque temeritatis labe commentum assereret Translationem Almæ Domus Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ Angelorum ministerio e Nazareth ab Infidelium potestate juxta Horatium Tursellinum in Lauretana historia libr.I. cap.V., in Dalmatiam prius, deinde ad Laureti agrum Picenæ Provinciæ sub Cælestino Papa V. delata fuit, ex eo quia S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, non ita multo post in Locis vicinioribus vivens, de mirabili hoc prodigio nullum verbum in sua historia fecerit? Cunctis etiam exploratum est, varios Consules Romanos,

ordinariis olim Coſſ. a Scriptoribus ſuffectos fuiſſe; & tamen ab aliis oblivioni traditos, ut ſcitiſſime ait Joannes Gottlieb. Heineccius in Comment. ad Legem Juliam, & Papiam Poppæam cap.IV. his verbis, optime ſcopo noſtro faventibus: *Quum Legi noſtræ nomen inditum fuerit a M. Papio Mutilo, & Q. Poppæo ſecundo Coſſ. de iis eorumque Familiis, quædam hoc capite diſſerere juvabit: in pleriſque Faſtis, præterquam apud Dionem, Conſules illi plane omittuntur, & ordinarii anno* Iͻ. CCLXII. *occurrunt apud Dionem, apud Caſſiadorum, & Marianum Scotum Q. Sulpicius, & C. Pompejus apud Plinium in editionibus, pleriſque, præter illam Harduini Cn. Pompejus, & Q. Sulpicius in Faſtis oxonienſibus a Petro Relando editis, Sulpitius, & Poppæus; in Vindebonenſibus apud Henr. Noriſium Camerinus, & Sabinus: alibi aliter ſuffectorum, quum ab his Faſtorum Scriptoribus ratio haberi non ſoleat: nec Papii, & Poppæi noſtri in illis mentionem fieri animadvertimus.*

NOTA II.

Recenſitis doctorum hominum & criticorum judiciis, alia inſuper addimus, quæ, ut reor, ingeſtam difficultatem avellunt. Si enim memoratum Pontium Urbis Præfectum aſſerere nolumus, Publium ea dignitate inſignitum habemus, qui ſub eodem Antonino Pio Chriſtianis infeſtus, Paſſioni ad interitum uſque præſto fuit ſupradictæ Sanctæ Felicitatis, & Filiorum ejus, teſte S. Gregorio Magno Homilia III. in Evangelia: Proinde Theod. Ruinartius in Actis Martyrum ſincer. ad Præfat. General. §.III. pag.22. ſcripſit: *Paſſi ſunt hi Martyres circa annum centeſimum quinquageſimum ſub Publio Urbis Præfecto & Antonino Imperatore: ſub quo, etſi placidiſſimo Principe Martyria non defuerunt. Certe primo ejus anni imperio paſſus eſt Theleſphorus Romanus Pontifex: quem glorioſiſſime Martyrium feciſſe, non ſolum Euſebius in Chronico, & libr.V. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.VI., ſed etiam S. Irenæus libr.III. adverſus hæreſes cap.III. atteſtantur.* Publius apud Romanos fuit etiam præno-

nomen, quod inter decem & octo ætatis Varronis usitatissima, ex eodem M. Varrone recenset Justus Lipsius in tract. de Nomin. Rom. cap.I., quem compendiose redditum exhibet Joannes Michael Dilherrus in appar. philog. libr.I. n.3. pag.200.: nomen autem Pontius apud Luc. Florum in Romanis, Latinisque monimentis frequentissime occurrere; latet neminem, qui aliqua antiquitatis præstat peritia; unde rationi, usui, & auctoritatibus illustrium Scriptorum congruens erit arguere, unum, eundemque fuisse Urbis Præfectum, qui ab aliquibus *Publius*, ab aliis *Pontius* fuerit appellatus, quique Romæ, ut diximus, floruit sub eodem Antonino, ac memoratus in iisdem Actis SS. Felicitatis, ejusque Filiorum, & in aliis Simplicii, Constantii, & Victoriani Martyrum nostrorum: nam veteres quandoque per nomen, aliquando per prænomen aliquem appellare consuevisse, res adeo Viris doctis perspicua est, ut supervacaneum omnino esset exemplis ostendere. Neque res ipsa eruditissimos Bollandianos præterit, quam in egregio de Actis Sanctorum Opere tot Voluminibus diffuso, non semel indicant & opportune illustrant: quod si alterutrum ex his vocabulis Publius, & Pontius nomen, vel prænomen malimus, eandem vim & par pondus conjecturæ, & argumento sententia impertiet; cui confirmandæ multa ex antiquitate petita suppeterent, præsertim in literatis Lapidibus. Veruntamen multos Pontios, atque Pontianos variis temporibus, variisque Imperatoribus exstitisse, apud Graveson in Tabul. Chron. Romanorum Consulum, & in corpore Juris Civilis manifeste liquet, ubi de Pontio Nigrino, Pontio Luciano, Pontio Paulino, cæterisque mentio habetur: & in L. V. §.1I. ff. ad Legem Juliam Majestatis, cuidam Pontio ita rescriptum fuit: *Non videri contra Majestatem fieri ob imagines Cæsari nondum consacratas venditas*: cujus Sanctionis Jan. Vinc. Gravina meminit in Tract. de ortu, & progressu Juris Civilis pag.161.: Si vero alia via Censorum oppositioni respondendum est, evidens mihi videtur in nomine, officioque Pontii æquivocatio; quum in memorato antiquo Codice hedino, sive membranaceo ab iisdem Bollandianis in Tomo v. ad dictam diem

diem XXVI. Augusti citato, & dono Ughelli ad eos misso, plura de Pontio, & Martyribus nostris adnotata fuerint; tum etiam in vetustis Celanensis Ecclesiæ Tabulis a Ferrario supra recitatis, & in antiquo M.S. apud Joannem Baptistam Marium hæc verba legantur: *Eadem die Pontius Præfectus ab Antonino Imperatore missus est in Franciam, Imperiales deferens Literas*: E quibus merito argui potest, quod si quis Pontius ea tempestate Imperatoris adminifter vixit, hic in M.S. nominatus, esse potuit Romæ Præfectus, vel simili honore ornatus, qui postea Imperatoris jussu in Galliam est profectus: Hinc omnia in relatis Tabulis conscripta, quæ hunc Pontium e Regione Gallorum, aut ab Illyrico, & Dalmatia in Martyres nostros furentem narrant, iisdem Tabulis, & laudatis Actis consona putari oportet, vel saltem non absona. Id magis magisque patet e sequenti Juris Civilis Textu, a nobis diligenter comperto, ubi dicta oppositio explanata videtur: nam Imperator Antoninus Pius, Pontio cuidam Urbis Præfecto, vel Præsidi, aut Proconsuli, Imperiali Mandato ita jussit in L.VII. §.IV. ff.de Accusationibus, & Inscriptionibus: *Cum sacrilegium admissum esset in aliqua Provincia, deinde in alia minus crimen: Divus Pius, Pontius Proculo rescripsit, postquam cognovisset de crimine in sua Provincia admisso, ut reum in eam Provinciam remitteret, ubi sacrilegium admisisset*. In editione Gotifredi legitur: *Pontio Proculo*: In aliis vulgatis: *Proconsuli*: Quum autem res ita se habeat, nemo unquam jure negabit, Theodorum Jansonium in Fastis Consularibus, Pontium in Actis nostris memoratum prætermisisse; ac ideo, ut bene coniicitur & mihi docta Epistola suasit Matthæus Gyptius Neapolitanus nuper vita functus, & antiquitatum valde peritus, hic esse debuit ille Pontius; qui eosdem Martyres ad Antoninum Imperatorem, vel Successorem M. Aurelium Antoninum tunc temporis in Marsis agentem, sicuti Acta nostra, & allata Manuscripta, sive congesti Scriptores probant, vinctos misit, ut hac diligentia Imperialia Mandata, quibus Præsides Provinciarum res magni momenti Imperatoribus significare tenebantur, teste Baronio Annal. Tom.I. col.244. n.229., ac-

curate servaret: De auctoritate Proconsulum, qui post exactum in Urbe Consulatum, ad Provincias mittebantur, ubi descripto nomine vocati erant, late scribit cit. Gravina de ort. & Progress. Jur. Tom.I. pag.52. & quod tales Proconsules, vel Præsides in iisdem Provinciis magnum haberent circa Religionem imperium, & par illi Romæ Pontificum, idem testatur Baronius ad annum c. LXIV. Tom.II. col. m.157. n.4. & Pompeius Sarnellius olim vigiliarum Antistes in Tom.VII. Epist. LIII. post quædam adnotata de Proconsularibus Viris circa Martyrum Acta, sic auctoritate Scriptorum num.16. italice scribit, & in latinum sonat: *Proconsules, aut Consulares homines, aliquas habebant Provincias eorum imperio subjectas .... Præsides Provinciis imperabant: quibus absentibus, vel defunctis, in ipsorum locum Procurator, qui Cæsaris dicebatur, suffectus erat: Præfecti autem unam, vel plures Civitates regebant ..... Hoc Monimentum ad sensum opitulatur Martyrum Actis eo tempore, sub Consularibus Viris, & Pro-Consulibus, sive Præsidentibus, vel Procuratoribus, ac Præfectis expletis*. Quod si demum Passio nostrorum Martyrum, non Antonino Pio, sed juxta temporum seriem illius successoribus M. Aurelio etiam Antonino vocitato, Lucioque Vero Collegæ cum Ferrario sit referenda, exploratum mihi videtur, eundem Pontium Civili eidem textui opportune innexum, sive Præsidem, sive Præfectum, vel Proconsulem, paucos post annos ab dicti Antonini Pii Imperatoris obitu, scilicet anno Domini c. LXI., ad Imperium usque dd. M. Aurelii Antonini, & Lucii Veri immediate illius Successorum, eorumdem etiam Actorum fide perspecta, jam tum vixisse censendum; quando his nempe hos Martyres fuit persecutus, eosque vinctos, ut dictum est, ad Imperatorem misit: Et hæc de Pontio dicta sufficiant.

§. XVI.

EN clarissimorum Scriptorum nova Censura apud Tom.V. Sanctorum Orbis ad sæpedictam diem XXVI. Mensis Augusti, & §.II. opusculi prænota, quæ sic se habet: *Tertio difficul-*

ficultatem quoque movent, quæ memorantur in Actis ... de Gaudentia, quæ si illis credimus, relictis Viro & liberis, cuidam Monasterio S. Mariæ adhæsit, ibique in servitio Dei cum Sororibus, quæ ibi aderant, perseverans ....: Etenim quis credat tunc temporis sæculo secundo, quo imperavit Antoninus Pius, extitisse Monasterium sub nomine S. Mariæ, ac Sorores, seu Moniales ibidem habitasse? Non nego quidem fieri tunc potuisse, ut Parthenon etiamsi vis nomine S. Mariæ nuncupatus exstiterit, in quo piæ aliquæ Mulieres simul vixerint: Verum quia auctor, qui Acta illa condidit, nescio quis fallit, vel fallitur in aliis bene multis; non ideo mirum foret, si & hic hallucinaretur, strictéque nominis Monasterium, ac Sorores, seu Moniales Lectori obtruderet: Adde, quod non dicat, ubinam illud situm fuerit, de quo loquimur, Monasterium ....

NOTA I.

NOn raro sane accidit, ut amanuensium posterioris ætatis licentia, in antiquis monimentis antiqua vocabula, quæ ipsis non omnino arridebant, recentibus, & usitatis ævo suo commutaverint. Quod profecto adnotare non omiserunt Viri clarissimi Joannes Ciampinius ab ipsis Bollandianis sæpe laudatus, in erudito libro Examinis Pontificalis Romani sect.I. pag.*36.*, & Mabillonius in tractatu de Re Diplomatica pluribus in locis. Potuit pro inde pari modo in Actis antiquis nostrorum Martyrum ab iis, qui descripsere sequentibus seculis, solitudinis sive religiosi recessus alio nomine indicati, quondam vocabulum in recentius immutare, ut locus ipse legentibus esset notior. Certe Monasterium, solitudinem significat, & Monastriæ, solitariam vitam agentes dicuntur in Novell. Constit. Justiniani c. XXIII.: Pótuitque antiquitus in iisdem Sanctorum nostrorum Actis loco Monasterii, esse conscriptum nomen solitudinis, in quam Sancta Gaudentia, & aliæ piæ mulieres sese adduxissent: Natique Majores postmodum, Actorum exempla describendo, vel ipsi auctores, servato viciniorum temporum more, voca-

bulum solitudinis, in illud Monasterii commutarint. Qua forsitan significatione atque sententia M. Phæbonius eruditus homo ab Ughello Tom.I. edit.3. col.888. 889. appellatus, & ab iisdem Bollandianis in Vita S. Gemmæ relatus, Monasterii nomine in dictorum Martyrum Gestis usus est: Quocirca liberiorem hujuscemodi vocabuli variationem ipse correxi in Reg. Marsic. Part.II. cap.I. n. marg.6. & in pag.7. hæc verba e nostris monumentis deprompta, latioque donata perpendes: *Hoc interim spatio Sancta Mulier Gaudentia nihil fœmineo sexui indecentius existimans, quam virum, filiosque suos circum diversa loca, aut longinqua sectari, devotam orsa est vivere vitam a Mundi consuetudine prorsus abductam: propterea que servato sæculi more societati piarum Mulierum, quæ dies itidem suos cælestibus deliciis, psalmodiis nempe, orationibus, & jejuniis serio impendebant, se celeriter addidit. Variis denique virtutibus intenta, ipsius Deiparæ Virginis extremo suæ mortis die fuit apparitione dignata: quæ eidem astitit, comitantibus Angelis, qui Cælesti harmonia sanctissimam eorum Creatoris Matrem digne laudabunt.*

Nota II.

Porro etiam memorare oportet, quod licet veri Monachatus professio initio nascentis Ecclesiæ minime extiterit, neque Monacharum Virginum Conventus seculo secundo, quo Sancta Gaudentia vixit stricto modo floruerint, sed tantum ubi primum Constantino Imperatore, pax & quies Ecclesiæ data est, ex Thomassino in veter. discipl. Tom. I. libr. III. cap. XLII. n. I., non tamen ab historia Ecclesiastica exclusa sunt assidua Virginum, & Viduarum devota exercitia, in præcipuis fere domibus tunc temporis expleta, nec vetiti piarum Mulierum a Mundo secessus juxta S. Hieronymum Epist. ad Marcell., qua Asellam ita erudiebat: *Ut in Urbe turbida inveniret eremum Monachorum.* Immo etiam ab Christianæ Fidei exordio, perspicuum habemus exemplum Sanctæ Magdalenæ Christo Domino dilectissimæ, quæ opti-

optimam sibi partem eligendo, Cæleſtis beatitudinis contemplationem amplexata eſt in Montis ſpelunca prope Maſſilienſes, ubi viginti annos ſanctiſſime vixit. Martha pari ſanctitate illuſtris, dictorum populorum animis in ſui admirationem adductis, locum petiit a viris omnino ſemotum, ubi Miraculis clara migravit ad Cælum, ex Brev. Roman. die XXIX. Julii. Neque ſacræ hiſtoriæ peritis ignotum eſt, Viros, necnon Virgines, & Viduas per tria & quinque priora Eccleſiæ ſecula privatas domus, ac ſolitaria loca, vel ſaltem minus frequentia incoluiſſe; alias cum ſolemnitate, alias ſine ſolemnitate velatas, ut celeberrimus Vir Ignatius Hiacyntus Amat de Graveſon teſtatur in hiſt. Eccleſ. Part.I. Tom.I. pag. m.90. his verbis: *Quamvis Monachorum Inſtitutum in tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis necdum cæpiſſet, non deerant tamen inter Chriſtianos cum Mulieres, tum Viri, qui ſive in Civitatibus ſive in ſolitudine ab omni hominum ſocietate ſecreti, vitam cælibem degerent, auſteram a terrenis curis expeditam, & ſoli Deo mancipatam....*; cui ſic hæret Tomaſſinus loc. cit. n. 1.: *At profeſſio ipſa, & Conſecratio Virginum, una cum Evangelica Semente ſtatim ab exordio nominis Chriſtiani per Orbem propagari cæpit: Teſtes locupletiſſimæ quatuor filiæ Virgines Philippi Diaconi....*: Bzovius autem hiſt. Eccleſ. Tom.I. pag. 194. ex S. Ignatio Martyre ſecundo ſæculo florente, ait: *His temporibus Eccleſia ſemine Virginum, & Viduarum Deo conſacratarum efflorebat. Jam enim tunc numerabantur.... Collegia Virginum, & cætus Viduarum Deo per Epiſcopum in faciem Eccleſiæ deſponſatarum; ideo & illas Ignatius quoque inſtruebat, & quo in loco haberi a Chriſtianis deberent, admonebat.* Proinde nil attinet ea repetere, quæ de Virginibus ad illarum decus SS. Hieronymus, & Epiphanius dixere, nimirum Eccleſiæ Sponſum Virginem de Virgine naſci voluiſſe, ipſumque Chriſtum Dominum Solem & gloriam Virginum eſſe, ut ex Tertulliano, & Cypriano, idem ſcribit Thomaſſinus n.2. & 3. de antiquo piarum Virginum, & Viduarum ſeceſſu, idem agit cap. XLIII. n.2., qui d. cap. LXII. n.5. addit, complures Eccleſiarum ſtipendiis per ea quinque ſæcula ſe aluiſ-

aluisse. Quicquid autem sit de S. Paulo primo Eremita, qui floruit anno cc. LIII. juxta cit. Sarnellium Vigiliarum Antistitem Tom. VIII. epist. XIV., & d. Thomassinum Part. I. libr. II. cap. XLIV. n. I. dicentem, primum auctorem Monasteriorum fuisse Antonium Ægyptium, qui ætatis suæ anno centesimo quinto obiit, quod & Natalis Alexander notavit in histor. Eccles. Tom. VIII. sæcul. IV. cap. VI. art. VI.: Id sane Philo, & Bellarminus aliter explicant, nempe successionem Monachorum a Jesu Christo institutam, ab Apostolis fideliter custoditam fuisse, eamque tribus Ecclesiæ primis sæculis tantum in solitariis locis viguisse; perfectis tamen Cænobiis exceptis, quorum indubie S. Antonius Abbas parens fuit, quemadmodum Joseph Fr. Fontana hist. Ordin. Tom. I. dissert. prælim. §. IV. & VI. pag. 36. 39. declaravit. Præcipua igitur memoria dignus est ejusdem Sanctæ Gaudentiæ secessus, qui Ecclesiasticæ historiæ, ut vidimus, optime consonat: quique proinde cum hac distinctione, & non aliter intelligendus erat, atque omnino intelligi debet.

§. XVII.

NUnc ad alia Cl. Censorum verba e cit. Tomo V. Bollandiani Operis ad diem XXVI. Augusti, ut in §. II. liquet, excerpta gradum faciendo, ita se habent: *Quarto quid dicam de Epistola Pontii Præfecti, quæ habetur in Actis ....? Eam sane apocrypham esse, & fabricatam in cerebro suspecti Actorum Scriptoris, inducor, ut credam, ex antecedentibus, quæ de Pontio, & Antonino observata sunt....*

NOTA I.

POntii Epistolam ad Antoninum Imperatorem transmissam, & ni fallor irrationabili judicio apocrypham dictam, minime reijciendam esse monstrabo: nam licet docti Censoris opinio multum rigoris & acerbitatis contineat; cumulatis tamen omnibus, contractisque rationum momen-

tis

tis circa ea, quæ de iisdem Pontio, & Antonino antea firmavimus, clare habetur, unde mutuo pene consensu rei ambiguitas dirimatur. Profecto Præsul doctissimus Joannes Ciampinius in cit. libr. Exam. Pontific. Rom. sect. x. pag. 103. opportune monet, quod in Censuris ferendis ratio potissima tribuatur; ut aliquod opus vere apocryphum haberi debeat: cum autem d. Censoris fulcimen, oris proprii confessione, tantum de Pontio & Antonino oppositis nitatur: Cumque hic nullam afferat rationem peculiarem, & novam in his, quæ antea de memoratis Imperatoribus, & Pontio congesserat, atque nos prolixe confutaverimus, integra narrationi historicæ fides remanet. Alii certe Viri Critici tantum abest, ut aliter senserint, quin etiam Acta nostra cum aliis, ipsisque Bollandianis Sociis communicaverint, ut eximium illorum de Actis Sanctorum Orbis Christiani opus locupletarent. Joannis Baptistæ Mari acumen ingenii satis Viris doctis perspectum est: Exemplum nihilominus Actorum nostrorum apud se habuit, qui a Scriptoribus æque fuit insertus, & laudatus, ut infra. Idem fecit supra citatus Phebæjus doctissimus Præsul, sua eruditione, editis libris, ac muneribus in Urbe expletis, notissimus, quem laudarunt Adversaria Literatorum Italiæ anni M. DC. LXIX. pag. 136., & Cardinalis Vinc. Petra in Comment. ad Constit. Apostol. Tom. v. ad Constit. VII. Pauli II. sub num. 3., ipsum dicens Scriptorem eruditi Libri de anno Jubilæi M. DC. LXXV., & in Sacris Cæremoniis versatum.

Dictis nostris pro Epistola Pontii, ejusque integra fide tuenda oppido favet, additque pondus animadversio Cardinalis Baronii in cit. Tom. I. Annal. sub annum XXXIV. col. 244. n. 229., monentis: *Certe quidem consuevisse Præsides Provinciarum res magni momenti, quæ contigissent in Provintiis, ad Imperatores scribere, mille exemplis exploratissimum est*, ubi Litteras alterius Pontii ad Tiberium de Christo Domino missas etiam refert.

§. XVIII.

§. XVIII.

Moleſtus quoque in eodem Opere Sanctorum Orbis ad ſæpedictam diem xxvi. Auguſti ſuper ſexta Lectione Actorum noſtrorum hic editus eſt ſermo: *Quinto quis non credat perſonam eſſe larvatam, & fictitiam, ſub cujus dictamine Acta dicuntur concepta ...? Unus, inquit illorum nomine Ceſareus, qui Paſſionibus Sanctorum ab ipſo principio interfuerat .... Sacri Baptiſmatis unda a quodam Presbytero nomine Creſcentio renatus, cum eodem in ſcriniis Sanctorum Corpora ſepelivit. Quo facto Florentium Diaconum viſitaverunt, exorantes, ut Sanctorum Martyrum Paſſiones, & mortem eo ſtylo conſcriberet....* Et poſt aliam ſextam deinceps notandam difficultatem, ſic interrupte: *Plura reſervamus pro annotatis, quæ eorundem Actorum narrationi ſubiiciemus: illorum vero Auctorem, falſam perſonam, mentitum vocabimus anonymum,*

Nota I.

Si quis doctiſſimi Cenſoris novum conatum in Acta noſtra hic animo expendat integro, facile comperiet, pro argumentis verba adhibuiſſe. Fictam ille ſcriptam Sanctorum noſtrorum Martyrum hiſtoriam a perſonato Auctore clamat: fictionis tamen probatio nulla, argumentum nullum, quo affictum probetur, affertur. At vero, qui ita rem agit, plane laborat fruſtra: Proinde d. Ciampinius in egregio libro de Examine Pontific. Rom. ſect.x. pag.103. opportune docuit: *In cenſuris ferendis, baſis, & fundamentalis intentio eſt, nullum opus tanquam apocryphum jure exiſtimandum; niſi prius aliqua ratio allegetur, qua tale opus confictum, ſeu falſo alicui auctori attributum adjudicetur: nemo enim ſibi unquam ſuaſit, opus aliquod, aut actionem effingi poſſe, niſi ad hæc effingenda auctor aliqua utilitate, vel alia cauſa impulſus fuerit.* Sententia pari Michael a Tugio Annal. Cap. Tom.I. iſagog. Cap.I. ſect. ult. pag.24. ſcripſit: *Debet autem .... quemadmodum aliquoties ab iis fieri conſuevit, qui dum*

dum vix antiquum aspiciunt Diploma, illud apocryphum, seu subreptitium explodunt. Similis debet esse examini aurifabri, qui quantumvis sono, ac tactu aurum verum a spurio distinguere possit, in sui tamen sensus, & judicii subsidium prædictum lapidem applicat, omnesque auri ei porrecti qualitates rimatur: Nec aliter agere debet, qui de vetustis judicat Codicibus; nam eos diligenter conspiciendos esse Mabillonius probat de re diplomatica libr.VI. n.4. fol.16. Accedit firma existimatio, quam nostro anonymo Manu Scripto cognitores Viri habuerunt, nempe Ferrarius, & Jacobillus, ab ipsis Bollandianis in Actis Sanctorum Orbis sæpe laudati; nec non supradicti Præsul Phæbejus, Joannes Baptista Mari, cæterique allegati Scriptores: Ac propterea in hoc argumento mihi amplius elaborandum non est, quum ex hactenus dictis, opposita prorsus evincantur.

§. XIX.

HÆc ibidem falsa nimis verba, quæ mox conspicies, aperte leguntur: *Sexto*: *melioris enimvero Notæ Scriptore opus esset, ut tot mirabilia Actis inserta invenirent fidem historicam apud Lectores rerum hujusmodi peritos. Quæ cum ita sint, facile perspicit æquus rerum arbiter, Acta illa non esse genuina, sed merito suspecta ex speciminibus paucis, quæ jam prolata sunt.... Illorum vero auctorem....*, cum aliis fastidiosis vocibus paullo ante relatis.

NOTA I.

ANtequam postremum eximii auctoris diluamus objectum, duo responsioni nostræ lubet præmittere. Primum: qui Ecclesiasticam historiam usque ad Aniceti Pontificatum quinque libris concinnavit ex Bellarmino in libro de Scriptor. Eccles. pag.141., fuit Hegesippus, pluries a Bollandianis Sociis nominatus, qui, testibus etiam Vossio histor. Gr. libr.II. cap.XIV., & Lexic. Latin. pag.408. eandem scripsit historiam, & Hierosolymorum excidium; cujus opus

V ma-

magno Christianæ Reipublicæ detrimento periit, aliquibus fragmentis exceptis, ab Eusebio libr.iv. hist. cap.xxi., & S. Hieronymo in Catalogo Script. cap.xxxiii. relatis: Alterum, quod post Hegesippum, alius omnium primus, qui tot Sanctorum Martyrum Acta, & Passiones in Martyrologii formam redegit, fuit Eusebius: & hic, quæso Censor dicat, unde hausit uterque notitiam eorundem Sanctitatis, Passionis, & Miraculorum, nisi ex Actis peculiari studio a piis hominibus exaratis, qui vel eorum cruciatibus interfuerunt, ac ipsorum portenta, vel gesta propriis oculis viderunt, sive ab aliis fide dignis acceperunt, quæ postmodum jussu Clementis, Anteri, & Fabiani sunt collecta? Et sane præter illa, quæ temporum injuria amissa fuerunt, ex Baronio Tom.I. hist. Eccles. pag.196., pauca mox referam a Martyrologio Romano, & Surio memorata. Enim vero ad diem xxi. Januarii descriptum habemus S. Patrocli Martyrium sub anno cc.lx., ejusque trajectionem miraculosam fluminis ex vetusto Manuscripto: Die xxii. Januarii Inventionem Reliquiarium S. Vincentii Martyris a quadam Vidua, ab ipso in somno admonita, latitantium in littore maris sub arena: Anno cc.xxviii. die I. Januarii, Vitam, & Passionem S. Martinæ Virginis & Martyris ex antiquis M. SS. Codicibus, quos etiam Ado Episcopus Viennensis secutus est: Anno c.lx. die I. Januarii etiam sub Antonino Pio Passionem, & Miracula S. Concordii sepulti non longe a Civitate Spoletina, ex priscorum temporum exemplaribus, quibus idem Ado consonat: Et quod mirum, die xvii. ejusdem Mensis Martyrium Speusippi, Eleusippi, vel Meleusippi descriptum per Neronem sub Marco Aurelio Imperatore. Num omnia ista priscis temporibus a melioris notæ Scriptoribus, ut fidem facerent historicam apud Adonem, Surium, Eusebium, & Baronium scribenda erant, quum nunc primi eorum ignorentur auctores? Num Neronianum Opus pro dicto Martyrio Seusippi, Eleusippi, & Meleusippi, aut ignota vetula pro inventione Reliquiarum S. Vincentii, & Maximinus Notarius, qui dicit se scripsisse noctu ad luminaria in circo hippodromo, prout memoria comprehendere potuit,

tuit, oculisque inspicere, Martyrium S. Victoris Mauri passi anno cc. LXXX., ejusque liberationem ope angelica a bulliente plumbo, corpusque ejus a volucribus per duas belluas custoditum, melioris famæ sanctitatis & integritatis auctore nostrorum Actorum, ac Miraculorum in eis enarratorum, Florentio sunt?

Supervacaneum duco memorare S. Gregorium Magnum, qui libr. IV. Dialog. cap. XXI., & XXIII. refert, in Provincia Valeriæ apud nostros Marsos duos Monachos a Longobardis in ramis unius arboris suspensos, apertisque vocibus post eorum mortem psallentes: Alterum Diaconum in Provincia Marsorum ab ipsis Longobardis capite obtruncatum, & interfectorem ab immundo spiritu correptum ad ejus pedes humiliter provolutum, sicut ipse audierat a Valentio Monacho, qui Monasterium in eadem Valeriæ Provincia rexit, & postea in Romana Urbe, sicut nosti [verba sunt Gregorii] meo quoque Monasterio præfuit. Supervacaneum quoque arbitror aliquid loqui de Martyrio S. Felicis Episcopi Tubuacensis, qui cum sacros libros tradere renuisset, ad diversa Tribunalia trans Mare ductus, tandem die XXX. Augusti apud Venusiam Apuliæ Peucetiæ Urbem gladio percussus, Martyrium complevit, ex Adone in suo Martyrologio ad d. diem pag. 438., Martyrolog. Ottobon. ibid. pag. 684. & SS. D. N. de Serv. Dei Beatific. libr. III. cap. XIV. n. 10., & ita de aliis, ac præcipue de Sanctis Martyribus nostris Simplicio, Constantio, & Victoriano a Romano Martyrologio, & illustribus Viris laudatis, quos etiam venerabilis antiquitas, & nunquam interrupta Marsorum, & Celanensium pia credulitas cunctis reservavit de ipsorum prodigiis & Actis, si similia honorifice prædicarunt Scriptores de aliis Sanctis, quorum gesta, non nobiliori & antiquiori Scriptore Florentio nostro gaudent. Quinimo si nulla a docto Censore certa criticandi, ratio affertur, responsiones a nobis hactenus adductæ, propositas ab ipso difficultates a nostris Actis eliminant, eaque ab oppositis suspicionibus prorsus abstergunt.

§. XX.

NUnc autem ex ordine ad ipsa Martyrum prodigia, quæ crebra sunt, & omnipotens Deus eorum precibus semper largitus est, modoque largitur, sermone progredior. E cit. Cl. Bollandiano Opere hæc verba initio Dissertationis transcripta, iteramus: *Memorat præterea Anonymus ille, quia non pridem admodum restaurata fuit ista Terra.* [Hic nota, eam ab immemorabili fuisse Marsorum Caput, ac olim Civitatem Nullius Diæceseos, ex alibi dictis & in Reg. Marf. Part. I. pag. 512. 543.] *Sacra pignora prædicta solemni cum supplicatione fuisse translata ad Ecclesiam Collegiatam Paræcialem ejusdem Terræ novæ Celanensi sub nomine S. Joannis Baptistæ, ubi maxima cum veneratione honorantur usque ad præsentem diem Domino eorundem Sanctorum intercessionibus patrante continuo Miracula innumerabilia. Festum eorum celebrari die* XXVI. *Augusti cum maximo undique populi concursu, & Reliquias illorum portari modo solemni per dictam Terram a Sacerdotibus: Item in adversis rebus, in siccitate, in continuis pluviis, & in qualibuscumque rebus adversis, populum dictum recurrere ad Sanctorum istorum intercessiones, dumque exponuntur publice in præfata Ecclesia per tres dies continuos, subito eum exaudiri, idque vicibus infinitis compertum esse experientia, necnon Miracula visa esse evidentia .... ex anonymo ....: Utinam miracula illa, quæ tam profuse & liberaliter, tametsi obiter tantum perstringit, pervenissent ad nostras manus ....* Apud marg. *In quibus etiam fit mentio miraculorum ....*

Notæ I.

CUm de ipsorum Martyrum portentis alicui dubium nunquam fuerit, religiosi Censores iisdem penitus favere debebant, nec latis verbis notam figere: quam ob rem anceps ea notio, qua tot miracula non quidem scire, sed potius in dubium revocare voluerunt, ut rectum edatur judicium, facile evanescit. Ad Marsos interea pergant, & pa-

pactiori studio veritati acquiescent, ubi assidua hæc prodigia si conspicarentur, omnino stupescerent, eaque mirabilia non amplius per acuminis densa foramina cernerent, nec trabibus, vel fanis ob paucos fortasse nævos, sed monumentis æternæ laudis inciderent. Pro re nostra auream hìc describamus sententiam S. Ambrosii in serm.de SS.Nazario, & Celso, ita loquentis: *Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem, quasi novellam discutere præsumas: & post tam manifestos Duces, in errore permaneas, & morientium sudores otiosa disputatione contendas: veneremur ergo in Sanctorum Martyrum gloria fidem nostram*: Cui adde S. Bernardinum Senensem in ejus operibus, præsertim ad I. Dom.Quinquagesimæ Tom.I. serm.I. cap.IV.lit.D. edit.1591. ea quoque verba referentem, & cap. III. ibid. Tom.I. pag. 8. Hinc memorare cum primis oportet, fere omnes Celanenses antiquis erroribus deditos, & e potestate tenebrarum ereptos, suorum Martyrum sanguine in Dei lumine fuisse confirmatos: quapropter Christi athletis alia rite aptantur ejusdem S. Ambrosii verba libr.I. offic. cap. XIV.: „ Stetit trium Martyrum cohors imperiali cincta Legione, „ ubi si defecerunt supplicia, cessaruntque tortores, non ta„ men defecerunt Martyres, qui capitibus exuti, virtutem „ auxerunt, dum flagella sanguinis, qui ad Deum clamavit „ sicut in Abel, minime timuerunt. „ Tunc enim refulsit sol apud Celani solum in clypeos aureos, resplenduitque Fons aureus per gloriosos Christi pugiles, quorum cruciatibus floruit Marsorum ager, & gens tota robur in veritate accepit: quoniam si illi minuti fuerunt in capite, palma certaminis creverunt in Cælum, & Marsis fidem cumularunt in Gloriam: nam obturaverunt ora belluarum & serpentum, extinxerunt impetum ignis, ludibria & verbera pro Fide experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt secti sunt tentati sunt, in occisione gladii pro Christo mortui sunt. E qua Martyriorum asperitate, & Martyrum constantia, Christianam Fidem approbatam, diffusamque fuisse, Apostolus ostendit ad Hebræos cap.II., aitque S. Bernardinus Senen-

nensis cit. ferm.I. Domin. Quinquag. cap.III. Tom.I. d.pag.8. Quis ergo narrare poterit, quot laudibus illi Christi Milites a Marsis, & Celanensibus, quot devotis præconiis sint honorati, ac honorentur? A vetustis quidem ævis Celano semper solemne fuit summa religione eorum Festum XXVI.Mensis Augusti quotannis agere, & frequentia Miracula experiri: quæ ideo Celanensibus obnubilare, quam incongruum sit quam invisum, ipsis indigenis, aliisque testibus latere neminem arbitror. Et nos e Marsis genus ducentes, Antistitis verbo res testatas atquè expertas loquimur; præsertim quia ingenuorum ac fidelium hominum potissima una meta est veritas, dicente Apostolo I. ad Corint.13., quod charitas non æmulatur, non est ambitiosa, & congaudet veritati. Interea de latis, oppositisque Censorum verbis: *Utinam miracula illa, quæ tam profuse .... pervenissent ad nostras manus* .... profecto mirum, quod ancipites eorum perspectatores, ab his, quorum intererat, prodigia hæc, sicuti ex ipsorum silentio arguitur, minime perquisiverint, neque ad Marsorum Episcopos, vel Celanense Capitulum, ut viris solertia ornatis par erat, Literas dederint; eas vero si dedissent, confestim nossent, tot Miracula, quæ ex anonymo M. S. ab ipsis relato vix indicantur, sic Celani & in Marsis perpetua semper fuisse ac esse, ut ab omnibus in dies admirabili stupore suspiciantur: quapropter versus in libro Vir. Illustr.Marf. pag.81. supra in rem hanc Nota III. §.IV.quoque descriptos, denuo, si collubet, legas.

Miramur autem, æqui bonique cultores, qui in Actis Sanctæ Gemmæ Virginis Marsicanæ ad diem XII. Maii Bollandiani Operis edit.2. Tom. III. pag.182. Mutii Phæbonii auctoritate usi sunt, nostrorum Martyrum prodigia ab ipso Scriptore in eorum Vita late conscripta omisisse, similiaque Dei ope gratiarum monumenta per cit. Jacobillum in libro Sanctorum Umbriæ recitata, quem sæpe eruditissimi Censores in Spoletinis Sanctis alibique laudant, silentio pari tradidisse, aut plura neglexisse, quæ in recentiori Sanctorum nostrorum Vita penes cit. Regiam Marsicanam Part.I. pag.4. habentur: opus sane in Diariis Literat.Italiæ an.M.DCC.XXXVIII.

pag.

pag. 108. 164. nominatum, & hac saltem mentione notum, longeante præcessit egregii Bollandiani Operis Tomum v. mensis Augusti; ac proinde si doctissimi Bollandiani opusculum id dignati essent inspicere, & ipsa documenta lustrare, de nostrorum Martyrum gestis, vel sacra historia, alio etiam nomine potuissent benemereri: sed quia de caussa hæc aliaque in scopum notabiliora neglexerint, ignoro. Ut autem omnia ab oblivione vindicare valeam, & prætermissa supplere, nonnulla, quæ ad rem faciunt, addere non importune curabo.

NOTA II.

PRæter antiquam Celanensis Ecclesiæ Tabulam, & Martyrologia, de quibus actum est supra, vel priscas Inscriptiones in sacra Celani Æde existentes, in quibus, ex Nota III. §. XI., legitur: *Sequebatur eos turba multa præ miraculis, quæ fiebant ab eis, multi crediderunt in Jesum..... puellam per septennium cæcam illuminavit Simplicius....*, nunc profero Jacobillum in cit. libro Sanctorum Umbriæ, Phil. Ferrarium Alexandrinum in d. Catalogo Sanctorum Italiæ, & Bzovium hist. Eccles. Tom. I. libr. I. pag. 249. supra citatum, qui nostrorum Christi pugilum clarissima prodigia celebrarunt: Propterea que habemus memoratum Pompejum Cajatium, qui versibus italicis anno M. DC. VII. Passionem, & Miracula ipsorum Martyrum evulgavit, Mutium Phæbonium Marsum hujusmodi vera portenta in illorum Vita, Romæ sub annum M. DC. XLIII. prælo data, referentem, atque Petrum Pipernium similia verbis lectissimis more Poetarum in Opere excuso Aquilæ Urbis in Vestinis, recitantem; & alios, quos longum esset recensere: Ex instituto tamen, ea minime prætereunda sunt, quæ in recentioribus aliquot libris, & Virorum testimoniis de Cultu Martyrum nostrorum; & miraculis hactenus publicata cognovimus: In Codice M. S. apud q. I. C. Aud. Floridum in d. Reg. Marf. Part. I. pag. 542. n. marg. 7. citatum, ita habetur: *Hæc dicta sint in honorem, & gloriam Sanctorum Militum Christi Sim-*

Simplicii, & filiorum ejus, qui Celani coluntur, & Miracula per antiqua sæcula fecerunt, & semper faciunt in diebus infaustis, omnique necessitate, Fidelibus ad eos recurrentibus, præcipue Celanensibus, qui ipsorum ossa, Corpora Sancta appellant, & maxima devotione custodiunt, facientque, auctore Deo, per omnia sæcula sæculorum Amen. In opusculis M. SS., quæ in d. Reg. Marſ. Part.1I. pag.529. edidimus, olim conſcripta foliis ſolutis a q. J. U. D. Marco Ant. Roſcio Celanenſi: *Super uſu bonorum gentilitiorum Status Celani, & Pragramat.2. de expenſis*, hæc in rem notata conſpexi: *Ad nomen, & honorem SS. Martyrum Simplicii, Conſtantii, & Victoriani hic Celani quieſcentium, Miraculorum gratia inſignium*: Alibique: *Laus Deo, B. M. S. Virgini, & glorioſiſſimis Sanctis Simplicio, Conſtantio, & Victoriano continuis gratiis nos replentibus....* Ita pariter Notariorum Adverſaria & Civicarum, ſive familiarium rerum M. SS. Commentaria notatum fuiſſe memorant, & in cit. libro de Viris Illuſtribus Marſorum Romæ anno 1712. vulgato de iiſdem Martyribus pag.74. ſcriptum leges: *Porro aſſidua Miracula, quibus jugiter coruſcant, ſi nunc referre contingeret, ſane de his volumen ſcribere opus eſſet, quum & Celanenſibus non ſolum, ſed omnibus etiam Marſis, aliiſque undique concurrentibus benignas præbeant aures....* Nec tamen dubito, quin de narratis ipſorum bonis portentis, veluti nugis & fabulis ſint loquuturi flagitioſi homines Deum non timentes; ſecus vero, qui timore Domini ceteriſque virtutibus florent, vel quibus præſentis temporis fidem veritas ipſa comprobavit, quam nos pluries experti ſumus, noſtrique probavere Majores. Hæc & alia prodigia in ipſorum Vita apud cit. Reg. Marſic. Part.1I. pag.25. etruſco ſermone, ut ſæpe monui, edita ſic latine modo traduntur: *Ultra enim vetuſta Miracula, ſicut dictum eſt, a ſumma Dei Munificentia ad interceſſionem laudatorum SS. Martyrum impertita, alia Majores noſtri impetrarunt, & hodierni Cives quoque impetrant prodigia: inter quæ, miſeri homines, ac vulneribus affecti, claudi pedibus ſoluti, cæci illuminati; præcipue autem obſeſſi ab immundis ſpiritibus liberati aliaque*

in

in diem, quorum multa in Episcopali Marsorum Tabulario annotata existebant. Circa medium elapsi seculi Celanenses iidem exarescentibus agris in quadam æstate, ac pro imbre fundendo preces SS. Martyribus, eo ipso, quo ab Ecclesia de mane publica excitavit supplicatio, una cum sacris Sanctorum Reliquiis, pia admiratione ab omnibus perspectæ fuerunt in aere tres stellæ, easque peragrare in ipsum Processionis circuitum, & paullo post, stupentibus omnibus, effusisque imbribus, siccitatis tempestas non furit. Deus itaque quasvis gratias concedit nedum Celanensibus, verum etiam unicuique devoto. In obsidione Celani anno M. DC. XLVII. *eum Milites Julii Pezzolæ ausi fuerunt eo ingredi, ut ipsum everterent, noctu visi sunt super tribus albis equitibus tres Milites vestibus pariter albi coloris induti equitare, Celanique mœnia pro Civium defensione, sicut ex manifesta decessorum traditione habetur, circumire: Ex quo evenit, quod perterriti hostes muros ingredi non potuerunt. Postea seditionis rumore cessante, uti dictum est in libro* III.*, fugam arripuerunt. In lue elapsorum seculorum, ac præcipue anno* M. DC. LVI. *Celanenses Protectorum suorum auxilium humiliter implorantes, a tam magno acerboque Dei supplicio confestim fuerunt immunes. In priscis terræ quassationibus, & in aliis anni* M. DCC. III., *&* M. DCC. VI. *cum Nursia cecidit, ac prope Marsos dirutæ permanserunt Civitates Aquilæ, & Sulmonis, annoque* M.DCC.XXIX. *&* M. DCC. XXX.*, pluribus fere dirutis ex eodem terræ motu Apuliæ Civitatibus, nullum sane detrimentum Marsi, & Celanenses accepere; ipsisque Sanctis apud Deum orantibus vel gratiam intercedentibus anno etiam* M. DCC. XXXVI. *& sequenti, bovilla grassante peste in Statu Ecclesiastico, & Neapolitano Regno, alibique passim, ut sub annum* M. DCC. XIII. *in Latio, & in aliquibus Marsorum Oppidis acciderat, Celanensis populus ab eo flagello immunis evasit......* Hujusmodi terræ concussiones annorum M. DCC. III. & M. DCC. VI., memorantur etiam in historia præstanti Latini sermonis elegantia descripta a laudato Abb. Petro Pollidori Frentano de gestis Clementis XI. pag. 95. 96. & 160.: ac de iisdem temporum calamitatibus agit Georgius Baglivus inter ejus ope-

ra omnia Medico-Practica, & Anatomica edit. 18. tit. de Terræmotu Romano, & Urbium adjacentium sub an. 1703. pag. 387.: De bovilla autem peste, quæ anno M. DCC. XIII. ut supra grassabatur, Dissertatio exstat q. Joannis Mariæ Lancisii, Romæ M. DCC. XV. vulgata. Celanenses itaque propter assidua beneficia, Dei ope, Sanctorum suorum intercessione, tunc præsertim accepta, quibus a tot tantisque flagellis sese liberatos pie crediderunt, novo pietatis instituto pro gratiarum actione jamdudum recitare cæperunt post solis occasum ad illorum honorem singulis diebus tres Dominicas Orationes, totidemque Salutationes Angelicas, una insuper addita in honorem S. Emigdii Asculani Episcopi, ac dato per tintinnabulum Matris Ecclesiæ signo, ut ea actio flexis genibus uno eodemque tempore ab omnibus fiat, debitæque Deo referantur gratiæ.

N o t a III.

Felici eorumdem Martyrum patrocinio, complures a Dæmonibus obsessi, ac miserrime vexati, divinitus liberantur: qua de re etiam scripsi in Reg. Marsic. Part. II. p. 26., & multis ab hinc annis quum Venusinus essem Episcopus & ad aram Sanctorum Martyrum in Marsis sacrum facerem, multos ab iisdem fœdis spiritibus afflictos obstrepere, & ingemiscere, tum demum ipsorum ope liberatos audivi. Sunt ergo Sancti nostri apud Deum vigiles Celanensium, ac devotorum hominum Protectores, quos ut Martyres appellamus, sic Patronos experimur: ideo quot Celani sunt Cives, tot præcones suos prædicant Martyres. Aliud apprime simile Miraculum relato stellarum prodigio, lumina scilicet instar stellularum visa quandoque fuisse in delatione sacrarum Reliquiarum per Celani mænia publicis etiam testimoniis compertum est: Sequens vero integerrimi senis & nonagenarii Viri documentum, quod in Episcopali Sulmonis Tabulario nunc servatur, latineque redditum, sic posteris damus: *Ego subscriptus J. U. D. Canonicus Decanus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Celani Abbas S. Angeli*

geli in Bonaria Marsorum, ætatis meæ annorum octoginta quinque, Canonicatus sexaginta sex, & Sacerdotii sexaginta unius, sponte pro rei veritate, tacto pectore more Sacerdotali, hac attestatione ubique, quatenus opus erit, exhibenda testor, qualiter circa annum M. DCC. II., *ut reminiscor, cum Civitatem Piscinæ perrexerim tempore b. m. Francisci Bernardini Corradini de Fabriano Marsorum Episcopi, ad assistendum cuidam perquisitioni faciendæ in Episcopali Tabulario nonnullarum scripturarum ad Rev. ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Capitulum pertinentium, præviis Literis hac de de re ad eundem Episcopum tunc Fabriani agentem a me datis pro facultate id faciendi, benigna responsione illis annuendo, imposuit Rev. D. Philippo Cesaronio Terræ Giojæ hujus Diæcesis eo tempore Cancellario, ut ille scripturas necessarias perquireret, mihique communicaret. Hac igitur occasione ad eundem Tabularium accessi, & bene reminiscor, sub oculos meos tunc exstitisse quædam Acta antiqua in forma Processus, licet præcipuorum annorum, quibus illa confecta fuissent omnino sim oblitus; ut tamen memoria suggerit, ea Acta centum circiter ab hinc annis descripta esse cogito: rite autem recordor, quod nempe in iisdem Actis plures Parochi Oppidorum Comitatus Celani examinati legebantur inter quos RR. Archipresbyter Obindoli, Archipresbyter Circuli, Præpositus Agelli, cæterique Sacerdotes, quos nunc memoria non suggerit; qui omnes de more ibidem plura Miracula, pluresque gratias testabantur, quas Deus Omnipotens clementissimus ad intercessionem Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani quiescentium in Insigni Collegiata Ecclesia Celani devotis concesserat: Atque etiam reminiscor, quod dictis Actis erant annexæ Lectiones antiquæ dictorum Sanctorum Martyrum; specialiter vero memoriam habeo prædictarum Lectionum, ibidem ad instar Breviarii Romani in columellis descriptarum: Minime autem recordor omnes circumstantias eorumdem miraculorum, & gratiarum propter longam annorum seriem: Attamen in mei memoriam revocatur prodigium quoddam ab ipsis testibus ibidem narratum, [quod fuit a me diligentius observatum] deponentibus, quod anno quodam Men-*

se Maii, ob pluvias, & inundationes, frumentis languentibus, totoque agro Celanensi extabescente, Cives ipsi, ac viciniores intercessionem dictorum Martyrum pie implorantes, ut Deus serenitatem concedere dignaretur; & quod expositis de more sacris Corporibus, vel ossis publicæ fidelium venerationi, prima vice Dominus non fuerit dignatus gratiam illam concedere; verum aliquot post dies, cum ipsi rursus Sanctorum Patrocinium imploraverint, prævia etiam humili supplicatione, vel Publica Processione cum sacris iisdem Ossibus, totoque Clero, & populo in egressu sacrorum Corporum ab ipsa Celani Ecclesia, confestim aer serenus evenit, & in eodem aere, omnibus de mane videntibus ac stupentibus, tres stellæ apparuerunt, & Cives gratiam receperunt. Tales enim, ut perfecte recordor, erant depositiones supradictorum Parochorum, ac Sacerdotum testium ...: Idque est, quod dicere possim me legisse in dicto Processu, sive Actis ....; Ideo de veritate requisitus, attestor ut supra, cum omnibus quæ dixi, ac subscriptione præsentis propriæ manus. In fidem .... Celani die XVI. *Novembris* M. DCC. XLV.: *Ego J. V. D. Abbas D. Lucas Antonius Corsignani Canonicus Decanus, testor ut supra manu propria: Ego Sacerdos D. Crescentius Letteri Civitatis Sulmonis testis præsens ...: Ego Petrus Joannes Rosatus de Celano testis præsens ....* ✕ adest signum: *In quorum fidem ego Simplicius Rosatus a Celano Marsorum .... publicus Regia, & Apostolica auctoritate Notarius .... signavi ....*

Ad depellendam etiam agrorum sterilitatem, & excrescentium lateque terras inundantium aquarum incommoda arcenda, nostrates populos præstantissimam fuisse expertos Sanctorum Martyrum opem, leges in Reg. Marsic. Part.I. pag.630.632., ubi de Celanensibus prædiis, exuberantibus aquis, viridariorum instar plura scitu digna & jucundiora subjiciuntur: nam ex Baccio de Vinis Italiæ apud cit. Regiam, ibidem vindemia plena spumat labris, ridentque frumenta, quæ in viridi stipula lactentia turgent; unde Cives more priscorum nonnullas divitias ex agris colligunt, pisciumque amæno e Fucini Lacu sat divitem piscationem, uberesque fruges in ipsis campis, ac sapida poma, regiaque pyra

pyra tyberiana, decumana, sive colorata, & amerina a Marsis & vicinioribus, præsertim Aquilanis, Sulmonensibus, & Romanis degustata percipiunt, Civesque locupletes fiunt: proinde siccitatis tempore, ne frugum, fructuum, atque frumenti Incolæ damna patiantur, per Martyrum patrocinium optatas passim pluvias obtinent: quam ob caussam, annuo ipsorum recurrente die festo, hilares ad reddendum debitas gratias confestim confluunt, illisque insigni pietate dona offerunt; quæ cum d. Phæbonio in ipsorum Vita pag. 161., ipse quoque memoravi in Reg. Marf. Part. II. pag. 20. Neque hìc novissima desunt tantorum Martyrum in Marsos & Celanenses beneficia: mense Decembris anno M. DCC. XL. prope Vigiliam Nativitatis Domini ac mense Aprilis M. DCC. XLII. Marsorum Oppida novo terræ concussa motu, ruinis etiam vicina fuere, & non procul Celano sub Tino Monte per hiantis humi rimas sulphureus ignis cum aliquo fætore ac horrore subsiliit: Fucini Lacus, quem Strabo libr. V. Mare Marsorum appellat, veluti cacabus oleo fervente plenus vehementer ebullire visus est: quocirca eodem motu trementis soli ingruere terrores, quibus Celanenses præsertim deterriti, novisque in dies attriti malis, de propria salute soliciti, emendatis moribus vix ad suos ingemuere Martyres, quos publicæ venerationi curarunt exponi, mox eorum precibus divinam indignationem averterint: Ac ideo Celanenses omnes in quavis egestate, si pænitentiæ lacrymis abluti, a Deo favores humiliter flagitant, per ipsorum Martyrum intercessionem expetitas gratias accipiunt, votique compotes fiunt. Hæc sane miranda Celani crebra sunt, cunctisque liquent; & propterea quæ scimus, loquimur, & quæ vidimus aut legimus, seræ posteritati testamur.

NOTA IV.

PAullo ante libatis, hæc subdimus, quæ olim sub Episcopo Barono nobiscum communicata & postmodum deperdita, nuperrime in nostris schedis comperimus: proin-

de-

deque ipsorum verba, si tempestive referantur, hactenus edisserta stabiliunt, probique Senis de vetusto Martyrum Lectionario relatam testificationem, vel similia confirmant. Licet autem ea in authographo infeliciter conscripto, & in Tabulario Episcopali Marsorum sine titulo, ac pristini auctoris memoria nunc etiam adservato, veluti confusa quædam monumenta pervolverim; rerum tamen nostrarum, & Antonini Imperatoris Palatii in loco S. Petiti apud Marsos jampridem constructi, atque dictorum Martyrum infra scriptos versus Bollandianis ignotos, & ibidem latine congestos, pluraque hujusmodi soluta oratione italice narrata, Latioque donanda excerpsi. Enimvero de vetustis Celani Comitibus, & fonte aureo in dictorum Sanctorum Actis memorato, frugibusque agri, & munita ibidem differitur Acie. Ferdinandum quoque Neapolis Regem, liberas nundinas die mercurii Celano quotannis tribuisse, in citato libro habetur: Tum in rem ipsam utraque fortuna Marsis, & Celanensibus eventa perlegi: nimirum Celani sub d. Friderico II. obsidionem, multaque damna, quæ luctuosæ hujusmodi historiæ in Regia Marsic. Part.I. pag. 465. 466. enunciatæ, consonant: ex his equidem authographi verbis arguitur, id Manuscriptum sub Piccolomineis Ducibus tribus circiter ab hinc sæculis fuisse compositum: sic enim in citato M.S. latine nunc reddito legitur: *Celanum semper magni Principes Comitatus titulo moderati fuere, ut Anagni Comites, & præclaræ Cyborum familiæ nonnulli, & ab anno* M. CCCC. LXI. *usque ad hoc tempus Piccolominei e Senarum Urbe oriundi, duorum Pontificum Pii II., ac Pii III. Pronepotes cum Capistrano, & Amalphia, cæterisque locis dominantur....: Celanum magni æstimatur, & Viris clarissimis ac doctis, vel bellicosis, atque Baronibus, aliisque Nobilibus non caret, habetque imperium super aliis Marsorum Oppidis.... Indicus Dux, &* IV. *Comes, a Summo Pontifice Celanum in Episcopatum erigi deliberavit.... Lacus Fucini amœnitate, pluribusque deliciis fruitur.... Celebris est aqua Marsia olim Romam deducta, cujus vestigia in Marsis, ac Tiburtinis passim visuntur....* [de qua etiam cit. Regia Part.I.

Part.I. pag.98. & seq.] *Celani variæ exstant sacræ Ædes, ac illa Mater cum dignitate Præpositure, quam Præpositus regit, Mitra & baculo ornatus, cumque Episcopalibus aliquot Juribus ferendi Ecclesiasticas censuras, absolvendique a Casibus reservatis, atque nobili Canonicorum Collegio ....: Ecclesia vero pluribus Sanctorum Reliquiis locupletatur, quæ devote quotannis feria* II. *post Pascha Resurrectionis & in festivitate Nativitatis S. Joannis Baptistæ, ac S. Joannis Apostoli & Evangelistæ publicæ fidelium exhibentur venerationi. Insuper adorantur inibi gloriosa Corpora in ossibus trium Beatorum Martyrum sub Antonino Augusto Imp. Martyrio coronatorum, idest Simplicii Patris, Constantii, & Victoriani filiorum ejus, olim in vasibus terræ coctæ, nunc in ligneis deauratis Urnis adservata, tribusque occlusa tabulis crystallinis, sumptibus Illustrissimæ Constantiæ Piccolomineæ Celani Dominæ ornata .... Porro Celanensis populus in hos Sanctos ineffabili semper flagravit, maximaque flagrat devotione; nam ipsorum meritis assiduas a Domino obtinuit, modoque obtinet gratias .... Festum inibi celebratur die* XXVI. *mensis Augusti, quum Sacra Corpora solemni pompa omnium oculis exponuntur; atque circum Celani mænia fidelium concursu deferuntur ...: Exstant in præcipuo Altari manu dextera Aræ majoris cum capsa bene constructa, & opem dante Nicolao Celani Comite anno* M. CCCC. VI. *cum his versibus: Hic ego Simplicius jaceo sub rupe gemellis ....* [qui versus hoc loco omittuntur, quoniam in Nota II. §. XI. eos per extensum leges: Neque in dicto situ a M. S. designato sacra pignora nunc adorantur, quum illa ad Aram maximam ex supra narratis postmodum translata fuerint] *Et in veteri antiquissimo libro Sanctorum Martyrum Lectionum ad instar Missalis, litteris majusculis in pergamena charta scriptarum, vetustisque Tabulis cærulei coloris pro cooperculo innexarum, & apud Sacrarium ipsius Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ de Celano custodito,* [cujus jactura veterum Canonicorum culpa, vel temporum injuria sacris hisce monumentis inlata, semper deploranda erit] *eorundem Sanctorum legebantur orationes, ac sequens Hymnus descriptus visitur.*

To-

Totus Orbis gratuletur
Dies ista reformetur
In honorem Martyrum.
Dies quorum venerandus
Cunctis Marsis est amandus
Quibus fulgent Corpora:
Nam de Cælis Christus verus
Qui descendit nobis Deus
In Uterum Virginis.
Ipse Martyres amavit
Hosque beatificavit
Ut pugnando vincerent.
Genitor cum prole digna
Demonstravit nova signa
Simplicius inclytus.
Geminam produxit prolem
Quantum protulit decorem
Nemo posset prodere.
Est Constantius immensus
Et Victorianus celsus
Germanitas inclyta.
Felix Mater gloriosa,
Cujus est hæc generosa
Nobilis prosapia:
Quæ Gaudentia vocatur
In quo verbo demonstratur
Gaudium lætitia.
Summa Deitas immensa
Martyrum gloria celsa
Nobis præstet gaudium.
Ad honorem Martyrum dies celebratur,
Quo carnis ergastulo, quisque spoliatur
Et cæleste gaudium, quod non minoratur
Assignatur, digito Dei cunctis datur.
Jubilet Ecclesia Patronis ornata
Celanensium Domina tantis venustata.

Quæ

Quæ per hæc, & alia dicitur armata,
Creat, nutrit filios, quibus est beata:
Jure nempe dicitur Domina multorum.
Caput exstat merito omnium Marsorum
Normam cunctis tribuens bonitate Virorum
Honor est & gloria Mater Clericorum.
Gaude Castrum nobile, gaude jucundare
Celanum mirabile Comesque præclare
Refertum divitiis, plenum sicut mare.
In Natale Martyrum psalle convivare.
Generosi Martyres signum parant vitæ
Dant salutem omnibus poscentibus
Curant cunctos languidos venientes
Ad hæc beneficia populi venite:
Sunt ineffabilia merita Sanctorum
Quæ fiunt quotidie precibus ipsorum:
Tria nempe reputo narranda multorum,
Quæ de novo facta sunt visu plurimorum.
Gaude:
Quædam namque mulier nobilis, formosa
Mente sana Corpore moribusque famosa
De repente capitur, cernitur morbosa
Perdidit Officium linguæ gratiosa:
Ducitur ad Martyres hora matutina
Mente plusque labiis Deo fit vicina
Referantur labia voce columbina
Laudes Deo resonat, & cantant Divina.
Gaude:
Hinc in Festo Martyrum mulier vexata
Venit Mater languida, terris est prostrata
Obdormivit paululum & est excitata
Dæmonis angustia redditur sanata.
Gaude:
Oculos obtexerat tama puellæ
Instat morbus turgidus palpebræ tenellæ
Herba nec ros profuit, quum .... stellæ
Pro diris doloribus mortua esse velle.

In dolore permanens Mater recordatur,
Sanctos quoque Martyres precibus affatur,
Sanam reddant filiam, aut moriatur.
Ad has preces protinus puella sanatur.
Gaude:
His tribus Miraculis, quartum sociatur:
Lampa, quæ Martyribus illuminabatur
In rudente labitur, quo sustentabatur,
Et in terram cecidit, sana reservatur.
Plena sicut fuerat olei liquore
Gutta nec elabitur Martyrum amore:
Venerentur igitur cordis cum timore,
Laudes dantes jugiter vocis cum honore,
Gaude Celanus: Diu gaude.

Post ipsos versus, nunc primum in lucem editos, & saltem vetustate magni faciendos, perstat ibidem eorundem Sanctorum Vita hiulco sermone rudique stilo comparata, quæ iisdem Actis haud differens, consulto præteritur. Inserta est etiam in allato libro authographo antiquæ Celanensis Ecclesiæ fundatio per B. Joannem Fulginatensem expleta, Sanctorum Martyrum prima Inventio una cum Miraculis a Deo patratis, & in Nota I. §.x. satis superque memoratis: Alia quoque Vita in cit. M. S. habetur SS. Martyrum Joannis, Stephani, & Victoris, quos antea in Dissertatione jam laudavimus.

N o t a V.

Prædictis nunc addo sermonem in cit. Regia Marsicana Part.II. pag.22. typis datum, qui longe lateque fusus, nostro argumento congruit, & rem modo tractatam illustrat.

In Sanctos Simplicium, Constantium, & Victorianum Martyres Parergon ....: Ut Marsorum omnium devotio erga Orthodoxæ Legionis Antesignanos nostros, Simplicium, Constantium, & Victorianum magis fervida sit, Parergon hoc Latinorum more exaratum, deprecationis & gratiæ obla-

lationis Monimentum placuit inserere. Neque enim singula ipsorum insignium Heroum excelsæ claritatis, & virtutis per capita mox decora repetere opus diei est, vel fragili, rudique penniculo demandandum; nam multa nobis necessaria esset industria, multo plane tempore ac labore, novisque indigeremus calculis, ubi præcipua hæc singillatim vellemus exactius suppetere, vel hactenus italice insertis eorum Gestis, late adscribere. Vastissima nos occuparent, non quidem Scriptorum volumina de iisdem Sanctis pertractantia, quum vetustate ac temporum injuria deleta fuerint: verum graviora verba, & assidua eorum Miracula, ubi de nostris Sanctissimis Christi Athletis mentio incideret: Ideoque his omnibus omissis, sequentia, quæ relata comprobant, ac in laudatos Martyres Concivium amorem Marsorum, & obsequium excitant, paucis appositis verbis pandere, vel subnectere existimavimus. Simplicius enim, ait Ferrarius nobili genere natus ex Burgundionibus.... [sequuntur ipsorum Acta superius sæpe lata, & hìc prætermissa]. *Laudemus ergo Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua, qui ex laudata Gallorum Regione nobilibus orti natalibus, & pro Christo a tyrannis variis crudelitatis instrumentis, ut novimus, exagitati, apud Marsos Martyrium gloriose sustinendo, Jesu Redemptoris Fidem plantavere, aut certo auxerunt. Altissima porro fuit dictorum Sanctorum Martyrum vita, eorundem Christiana professio, quæ Cælos transivit, par Angelis Angelicæ similis puritati, ac Prothomartyrum constantiæ, quæ omnis Sanctitatis perfectionem, omnisque consummationis vidit finem; ita ut ipsi cum Paulo dicere possent, se Christi crucifixos Cruci fuisse. Et ne ipse genere Marsus, Dignitate licet immerito.... declamatorie loqui videar, hæc quibusvis exponere non prætermittam, quod omnes illi, qui Acta illustrarunt Simplicii, Constantii, & Victoriani ejusdem Marsorum Provinciæ insignium Patronorum, nudam prorsus veritatem de illis absque verborum splendore certissime retulerunt: itaut si aliquandiu tacuerint Marsi, vindices habemus exteros, Gallos nempe, Ravennates, ac Romanos, qui Magnalia Dei in iisdem Sanctis nobis a Numine datis, aut glo-*

gloriosam eorum ætate magnis vocibus loquuntur: sed quis modo poterit fragili prætexere calamo, quæ toto vitæ cursu Martyres nostri peregerunt insigniora? Quæ Deus Optimus Maximus per eorum merita est operatus ingentia, quæ mens capere potest, quæ recensere lingua, dum captum omne trascendunt humanum, linguæ omnino superant facultatem? Et quanam voce loqui potero de Simplicio in illius sancta simplicitate, & humilitate Fidem servante, ac sanguine Filiorum ejus generose fortiterque iterum generante ad Gloriam? De Constantio quid dicere in ejusdem admirabili fortitudine, & constantia, non metu neque tyrannorum spe dejecta, Orthodoxam firmitatem comprobante? Quid de Victoriano inferorum orcum superante, & inimicos elata victoria vincente, inque suis gloriosis gestis victore cursum consummante? Quid de hoc sacro ternario Sanctorum Martyrum eodem sanguine genitorum, eadem voluntate alitorum, compari Christianæ Fidei stabilitate angularem Ecclesiæ lapidem perlustrante? Quid de his tribus stellis Marsicanum Cælum, & Cliterninos illustrantibus? Quid de illorum amore erga Marsos, & Celanenses suos, quibus tot vetustas, & recentes grates iidem fuerunt semper elargiti? Quid denique de illorum prodigiis, quid de patrocinio, quid de aliis hujusmodi similibus? Reticeat ergo necesse est lingua, quod non valet effari, quodve comprehendi non potest, silentio committatur, oportet. Ad alia quidem hactenus relata, necnon ad assiduas eorum gratias, & vigilias obstupesco, stupeo etiam ad dirissimas carnis eorum afflictiones, ad orationes, jejunia, contemplationes, ad patientiam in dictis cruciatibus, ad relatum italico nostro sermone eorum immane cruentum Martyrium, vel ad cetera usque ad vitæ consummationem florenti ac immarcescibili palma exornata, ingenti stupore perfundor. Voluntariam paupertatem, prætermissa nobilitate generis ac multis divitiis in Burgundia posthabitis, obedientiam Redemptoris nomini, castitatem, charitatem, humilitatem, fidem, austeritatem, aliasque virtutes, quibus unice, non uni tantum Provinciæ, non uni Populo, non uni quidem & Regno, sed Mundi penitus toti sese exemplaria præbuere Christianæ perfectionis, ad-

mira-

mirari necesse est, ac silere. Ergo deprædicent Angeli, quos non valent homines quavis oratione dignis laudibus exaltare, deprædicent consocii Martyres in gaudio Domini nostri existentes, deprædicent Confessores, ac Virgines, omnesque condomestici Dei, quorum turbam magnam dinumerare non poterit. Cum enim Sancti, teste Bernardo, in terris visi sunt, ut essent exemplum, in Cælum levati, ut sint patrocinium, vel turris fortitudinis a facie inimicorum nostrorum, ad eos præcipue mentes dirigamus nostras, eorum imitemur gesta, imploremus apud Deum auxilium; nam, ut ait D. Hieronymus, portant Mundum, dum eum, ne ruat ac pereat, orationum, fortitudine sustinent; & ira Dei, subdit ille, precibus Sanctorum frangitur. Jure meritoque igitur ait S. Leo Primus Pontifex: sicut enim & nos experti sumus, & nostri probavere majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos peculiarium Patronorum orationibus adjuvandos; & nonnulli Sacri Antistites ad dictum Leonem hæc subnectere voluerunt: Dicimus tranquillitati vestræ .... decem Martyres Provincialibus ...., ut semper ab æstu eorum Provincia servetur. Quod ergo ipsorum memoriam percolamus, ut apud patientissimum Dominum, qui non irascitur per singulos dies gemitus nostri accepti sint, nostra interest, non ipsorum; quia Beati pleni sunt, & bonorum nostrorum non egent. Ac denique audiamus Ambrosium, ita speciali nota dicentem: Cum omnium Sanctorum Martyrum, Fratres, devotissime, Natalem celebrare debemus, tum præcipue eorum Solemnitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt: Nam licet universi apud Deum sint & omnibus prosint; specialiter tamen illi pro nobis interveniunt, qui & supplicia pertulere pro nobis: Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed & Civibus: sibi enim patitur ad requiem, Civibus ad salutem: exemplo ipsorum didicimus Christo credere, didicimus contumeliis vitam æternam quærere, mortem non timere. Cuncti igitur Martyres devotissime percolendi, sed specialiter ii venerandi sunt, quorum Reliquias possidemus. Deus, inquit

quit Arcudius, *nobiscum partitus Martyres est; accipiens enim ipse animas, largitus est nobis corpora, ut quasi virtutis eorum immortalis jugem memoriam habeamus. Veneremur itaque .... omnes Sanctos, præsertim vero laudatos Commilitones Christi nostros Simplicium, Constantium, & Victorianum, quorum Sacra Ossa Cliterniæ Marsorum, instar magni thesauri, vel Athenæi Græcorum & Latinorum habemus; eorumque semper patrocinio, sicuti a transactis, ita ab imminentibus, ac futuris malis, & a morte æterna confidimus liberari, Jesu omnium Reparatore præstante, qui de Cælis ad terram homo factus, & habitu inventus ut homo, utque nos peccatores faceret salvos, peccator dignatus est apparere. Salutem propterea non desperabimus, ejus redempti sanguine, qui cum Patre & Spiritu Sancto unus est Deus super omnia regnans, coram quo & Beatissima Virgine Maria, ac omni Cælesti Hierarchia adstant Martyres illi modo glorificati, pro nobis omnibus, ac præsertim Marsis oratores facundissimi interpellantes, ut ab iisdem Mundi periculis liberemur, & posthac Civibus immortalibus secum adscribamur in sempiterna gloria ....*

Orationes elegantissimæ in Ecclesia Celanensi a compluribus Oratoribus eloquentia, & doctrina præstantibus vario tempore in honorem nostrorum Martyrum habitæ, alia in rem ipsam suppeditant argumenta: quæ tamen brevitatis gratia libenter omittimus; quos inter, non ultimum locum obtinuit Servus Dei Lælius Serichius Civis & Canonicus Celanensis, die festo eorumdem Martyrum cum singularis probitatis opinione mortuus anno hujus seculi undevicesimo, quorum ille cultum, dum vixit, pie promovit, multasque in eorum laudem orationes habuit, ut discimus a Francisco Maria Galluccio S. J. in illius Vita, ubi edit. 2. pag. 77. hæc italice scripsit, quæ latine reddita sic sonant: *Discriminatores nonnulli existimarunt, Divinæ providentiæ nutu factum esse, ut ejusdem vita gravi oppressa morbo ad duos ultra dies cum assiduis læthalibus signis proveheretur, ut justa eidem impenderentur exterorum etiam honestate populorum, qui Sanctos Martyres Simplicium, Constantium, &*

Vi-

Victorianum Celani Protectores illuc, Festivitatis die ipsorum recurrente, devote accesserant. Tunc omnibus quidem videbatur, Sanctos illos voluisse grato animo aliquam dictarum gentium venerationem participem fieri Sepulchro, & Cadaveri pii Sacerdotis, qui dum vixerat, ipsorum Cultum sua eloquentia, & Panegyricis Orationibus assidue promoverat.... Idem vero Scriptor conspicuæ bonitatis opinione etiam defunctus, & a Memmio S. J. ipsius Vita postmodum edita illustratus, in dictis Lælii gestis pag.2., Martyres nostros etiam laude cumulavit.

NOTA VI.

LUculentissimo eorumdem Sanctorum Martyrum vetusto Cultui, ipsorumque patrocinio passim in Marsis, Celanique feliciter apud Deum comprobato, nunc addimus Dominici Antonii Britii hodierni Marsorum Episcopi Testimonium, ex illius Relatione ad Sacrorum Rituum Congregationem pro novo Officio obtinendo italice transmissa, depromptum: quod quidem a Tabulario Celanensis Ecclesiæ acceptum Latineque a nobis redditum, ita proferimus.

Eminentiss. & Reverendiss. DD. ac Patroni Colendiss. In Insigni Collegiata S. Joannis Baptistæ Celani clarioris Loci hujus Diœcesis, cum percolantur Corpora Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani ejusdem Protectorum, licet antiquitus eorundem recitaretur Officium cum Antiphonis & propriis Lectionibus, tribusque Missæ orationibus, ut refert Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ; temporis decursu, aut hominum incuria, vel alia ex caussa, fuit illud omissum, ac semper recitatum de Communi plurimorum Martyrum sub Ritu duplici primæ Classis cum Octava. Quoniam vero magis in dies augetur erga ipsos devotio propter assiduas gratias, quæ in omnibus necessitatibus admirabili Dei providentia eorum intercessione obtinentur; itaut vix publicæ Christifidelium venerationi exponantur ipsorum Reliquiæ decenter inclusæ tribus in pulcherrimis Urnis non parvi valoris, nuperrime Romæ extructis, quod humiliter

ter expetita obtinentur: Capitulum, quod revera tenerrime amo, veluti speculum Ecclesiasticæ probitatis, atque Celanensis Universitas a me postularunt, ut meas supplicationes ad EE. VV. dirigerem, quemadmodum humiliter dirigo, uti benigne illis annuere dignentur, augendi gratia ad majorem Domini gloriam his Sanctis Martyribus Cultum, recitari posse proprias Lectiones, ac Orationes die XXVI. *mensis Augusti in ipsorum Solemnitate, ad majorem formam priscarum redactas, illarumque extensionem in totam hanc Diœcesim permittere. Devotio, & fides Capituli, ac Civium, quæ explicari non potest, hanc meretur gratiam: populorum concursus viciniorum atque exterorum exposcit: Vestra Clementia spem in animum adducit, dum ego pari fiducia ductus, eidemque nixus, humili obsequio sum: EE. VV. Piscinæ* 28. *Aprilis* 1745. *Humill.* .... *D. A. Episcopus Marsorum.*

Hinc binas Celanensium leges Attestationes: quæ cum publicæ sint, editæque a Senibus, Virisque omni exceptione Majoribus, qui acceptam a Senioribus narratarum rerum notitiam afferunt, nihil gravius esse potest in rebus hujusmodi: talibus enim Testimoniis sæpissime, ut diximus, Cl. Bollandiani utuntur in suo Opere, ut videre licet in Vita S. Mansueti M. Tom. III. mensis Aprilis edit. 2. pag. 364. 365. aut in alia Vita S. Canionis Episcopi Acheruntini Tom. V. mensis Maii fol. 443., ac Tom. IV. ad diem XXI. Junii fol. 917. in Gestis S. Aloysii Gonzagæ, & alibi: nostrum vero, quod sequitur in Tabulario Episcopalis Curiæ Sulmonensis adservatur; ejusque Formulam tempus immemorabile comprobare docent Jurisconsulti insignes, nempe Covarruvias in Reg. Possessor. Part. II. §. III. n. 7., Marescottus var. resolut. libr. II. cap. c. n. 10., Sperellus decis. LXXIX. n. 26., Pignatellus Consult. Canonic. Tom. I. consult. 242., & Tom. IV. consult. 42. n. 33., Matta de Canonizat. Sanctor. Part. IV. cap. XXIII. n. 3. 4. & 5., & Sacra Rota decis. CCCC. XLIV. n. 6. Part. XIV. Recent. penes Ursajam discept. Eccles. Tom. II. Part. II. disceptat. XX. n. 15.

J. M. J.: Nos infrascripti Canonici, & Sacerdotes hujus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Celani Marsorum

ſorum Diœceſis, Civeſque Celanenſes infrapoſita longæva noſtra ætate reſpectа, more Sacerdotali tactis .... ad perpetuam rei memoriam, & devotorum hominum requiſitionem, cunctis ubique ſponte .... veram, indubiamque fidem facimus, atque teſtamur, Glorioſos Martyres Simplicium Patrem, Conſtantium, & Victorianum ejus Filios, quorum Sancta Corpora in eadem Eccleſia magna populorum frequentia, veneratione, & devotione aſſervantur, ab antiquiſſimo tempore, ut firma fides eſt, fuiſſe ac eſſe Celanenſium Patronos, & Protectores, Deumque Optimum Maximum, auctorem beneficiorum, iiſdem Celanenſibus ad illorum intercesſionem aſſiduas gratias in quacunque neceſſitate fuiſſe impertitum, atque impertiri, quoties ad eorundem Divorum Martyrum protectionem Celanenſes devotos oculos, mentemque ſupplices recurrerunt, vel æque recurrunt, unde aſſidua miracula, necnon ſpeciales gratias ſemper ſunt experti, ac experiuntur in dictis neceſſitatibus, præſertim in ſiccitate terræ, vel pluviarum inundatione, aut terræmotus flagello, aliiſque calamitatibus, a quibus Sanctorum Martyrum Protectione, ac Interceſſione iidem liberati fuere atque conſolati; quæ quidem cæteraque eorundem Sanctorum mirabilia, notoria fuere ac ſunt, & nos ab uſu rationis uſque adhuc, & per quadraginta & quinquaginta ac etiam ultra reſpective annos vidimus, expertique ſumus, & a majoribus noſtris pariter Canonicis Sacerdotibus, & Doctoribus ſemper audivimus, eoſmet ſimilia quoque prodigia, & miracula in dictorum Martyrum interceſſione continuo vidiſſe, expertoſque fuiſſe, & ab aliis Concivibus ſuperioris eorum ætatis ſimilia pariter facta audiviſſe; nec unquam memoriam exſtitiſſe in contrarium; præſertim graſſante peſte in hac Diœceſi circa medium præteriti ſæculi, quando viciniora Oppida fere deſolata fuiſſe dicebant, præter Celanum ejuſque Cives, ob dictorum Martyrum Patrocinium, & ſic in aliis adverſis, in quibus aſſidua miracula ſemper facta fuiſſe narrabant; quæ omnia ab illis, ut ſupra audivimus, & quo ad noſtram ætatem nos relato teſtimonio de facto proprio deponimus, & uti Cives Celanenſes, Canonici, & Sacerdotes præfatæ Eccleſiæ

de certa scientia praedictam veritatem fatemur, nec contrarium vidimus, vel audivimus, ac ut supra testamur; In quorum ... Celani hac die 1. *Novembris* M. DCC. XLV.: *Ego J.U.D. Lucas Antonius Corsignani Abbas S. Angeli Bonariae in Marsis, Canonicus Decanus hujus Insignis Collegiatae Ecclesiae, aetatis annorum octoginta quinque, Canonicatus sexaginta sex, Sacerdotii sexaginta, testor ut supra. Ego D. Petrus Canonicus Baliva Celanensis aetatis meae annorum sexaginta septem, Canonicatus quadraginta duo, & Sacerdotii quadraginta trium, testor ut supra. Ego D. Victorius Serichius Canonicus Celanensis U.J. D., aetatis meae annorum sexaginta, Canonicatus triginta septem, & Sacerdotii triginta sex testor ut supra. Ego D. Venantius Marotius Canonicus Celanensis aetatis meae annorum quinquaginta octo, Canonicatus viginti quinque Sacerdotii triginta, testor ut supra. Ego D. Joseph Rosatus Canonicus Celanensis U. J. D. aetatis meae annorum quinquaginta quinque, Canonicatus viginti quinque, Sacerdotii triginta, testor ut supra. Ego Petrus Coletta Canonicus Celanensis Sacrae Theologiae Doctor, aetatis meae annorum quinquaginta duorum, Canonicatus viginti quinque, Sacerdotii viginti octo, testor ut supra. Ego D. Franciscus Ciccarelli Celanensis, Beneficiatus Insignis Collegiatae Ecclesiae S. Joannis Baptistae aetatis meae annorum quinquaginta quinque, Sacerdotii & Beneficii triginta, testor ut supra. Ego D. Josephus Cajonus Beneficiatus Insignis Collegiatae Ecclesiae S. Joannis Baptistae Celani, aetatis meae annorum quinquaginta septem, Beneficii viginti septem, Sacerdotii triginta duo, testor ut supra. Ego D. Franciscus Torsittus Beneficiatus Insignis Collegiatae Ecclesiae S. Joannis Baptistae Celani, aetatis meae annorum quinquaginta, Beneficii annorum quatuor Sacerdotii annorum viginti, testor ut supra. Ego D. Cajetanus Marinucci Celanensis Sacerdos annorum quinquaginta unius, Sacerdotii viginti, testor, ut supra. Ego D. Benedictus de Innocentiis Celanensis Sacerdos annorum quindecim, aetatis meae annorum quadraginta quatuor, testor ut supra. Ego D. Venantius Colantonii Celanensis, aetatis meae annorum quadraginta octo, Sacerdotii annorum novemdecim*

decim, testor ut supra. Ego D. Franciscus Ranalletta Sacerdos Celanensis, ætatis meæ annorum quadraginta quinque, testor ut supra. Testor ego infrascriptus Apostolica auctoritate Notarius, suprascriptam Fidem scriptam per manum mei infrascripti, esse subscriptam propriæ manus & characteris retroscriptorum RR.DD. Sacerdotum, Doctorum, Canonicorum, necnon Beneficiatorum, & Sacerdotum Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ de Celano, & esse tales, quales se faciunt, mihique bene cognitos; & ideo pro veritate me subscripsi, meoque solito signo signavi, atque munivi in fidem .... Loco ✠ Signi .... cum subscriptione Notarii Apostolici Simplicii Rosati.

Alia publica Testificatio in eodem Tabulario Sulmonensis Curiæ pariter custodita, sic se habet: *Celanum Marsorum Caput: Nos infrascripti de Regimine Celani apud Marsos tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis sponte .... indubiam fidem facimus, ubique ..., qualiter Sancti gloriosi Martyres Simplicius Pater, Constantius, & Victorianus ejus Filii, quorum Corpora in hac insigni Celanensi Collegiata Ecclesia a sæculis devote custodiuntur, atque devotissime adorantur, & quorum Festivitas magna solemnitate, ac populi concursu die 26. Augusti hic agitur, in omni nostra necessitate, tam siccitatis tempore pro pluvia, quam pro nimio imbre pro aeris serenitate obtinenda, vel pro alio quovis Dei ob peccata nostra flagitio, assiduis miraculis coruscant: nam vix omnes ipsorum intercessionem pie imploramus, quod ab Omnipotenti Deo benigne exaudimur, & continuas gratias licet indigni, quovis tempore, quavis necessitate expetitas misericorditer recipimus; & ita pari clementia in terræmotus flagello, inque aliis similibus Iræ Divinæ signis recepimus; quæ omnia ætate nostra sæpissime accidisse ac semper a Majoribus nostris factum fuisse, & per tempus immemorabile contigisse, nec unquam contrarium, publica etiam, & notoria nostrorum Civium, Seniorumque fama, veritate testamur: Et in fidem .... Celani die 2. Februarii 1747.: Ego Hector Terralaboris Syndicus. Ego Jacobus de Rosato Syndicus: N. Philippi Antoniani Canc.* Loco ✠ Sigilli cum his circum verbis

bis : *Universitas Celani Marsorum Caput ....* : *Testor ego Simplicius Rosatus Celan. publicus Regia, & Apostolica authoritate Notarius .... retroscriptos DD. esse tales, quales se faciunt .... cum sigillo dictæ Communitatis ....* Cætera vero Illustrissimorum Præsulum exterorum Testimonia, aliorumque documenta, quæ non uno nomine Sanctorum Martyrum res illustrant, & Viris doctis, ac devotis non ingrata fore arbitramur, unoque tempore objecta novis momentis evertimus, vel novis difficultatibus obstruitur aditus, in prima sequenti Appendice; ne plus Lectorem hoc loco moremur, fusius relata conspicies: Exemplo etiam ipse ductus Viri doctissimi Dominici Georgii, qui in fine Dissertatio. historicæ Cathedræ Episcopalis Setinæ pag.169. seq. simillimam Appendicem late vulgavit.

§. XXI.

SEd jam tempus est, atque res ipsa poscit, ut resumto de Martyribus nostris Bollandianorum ordine Tomi V. Sanctorum Orbis sub die xxvi. Mensis Augusti, sicuti apud d. §.1I. Dissertationis habetur, alia ipsorum verba audiamus: Sic enim pergunt in citato loco de illorum Actis scribere: *Duo eorumdem apographa habemus .... unum ex his desumptum judicatur ex M. S. D. Joannis Baptistæ Mari Romani, ac dispescitur in novem Lectiones proprias pro Ecclesia, ut suspicari licet, Celanensi, propter ea, quæ superius de hoc loco dicta sunt*: Postmodum vero sic: *Acta auctore anonymo ex M. S. D. Joannis Baptistæ Mari Romani ad aliud apographum collata ....*

Nota I.

JOannes Baptista Mari eruditione varia, & judicii acrimonia præstans, Romæ floruit in sacris profanisque antiquitatibus apprime versatus, ab anno scilicet m. dc. xx. ad m. dc. lxx. virtutum fama clarissimus. Urbanus VIII., & Successores, illum magni fecerunt, a quibus S. Angeli in Foro Pi-

Piscium Canonicatum obtinuit, suamque Ecclesiam laboribus, probæ vitæ exemplo, & beneficentia illustravit: Ac propterea in Collegiario cubiculo ad hæc usque tempora ipsius picta visitur effigies cum epigraphe: *Joannes Baptista Mari Romanus Canonicus hujus Ecclesiæ de ea benemeritus*. Multa composuit opera, haud omnia evulgata, nam teste laudato Petro Pollidoro in erudita Epistola elapsis annis mihi transmissa, varia Manuscripta hæredibus adservanda reliquit: quæ vero doctissimorum hominum plausu recepta edidit, hæc sunt: De Mystica rerum oblatarum Summo Pontifici ad Missarum solemnia in Canonizatione Sanctorum significatione: Notas ad Acta SS. Martyrum Patermuthii, Copretis, & Alexandri; quorum in Institutis Oratorii Vallicellanæ Urbis Cap.II. pag.10. mentio est. Notas in libros tres Dialogorum Victoris III. Papæ: Notas ad librum Petri Diaconi de Viris Illustribus Cassinensibus: Proindeque memoratur a Mabillonio Annal. Tom.v. pag.*139*., a Gattula in Cassinensi historia secul.vi. Tom.I. pag.*186*. *187*., & alibi. Plures Scriptores Mari nomen celebrarunt in suis Operibus, ut Præsul Giovardus in Actis SS. Mercurii & xii. Fratrum pag.87. 88., ipse in Reg. Marsican. Part.II. pag.*374*. L.Camarra de Teat. antiq. libr.I. Cap.iv. pag.70., qui eum de Sacris antiquitatibus optime meritum appellat & in Notis M. S. ad Acta SS. Valentini & Damiani. Obitum omnes tunc temporis Viri docti, ut e relatis domesticis patet documentis Romæ servatis, magno cum animi sensu deplorarunt. Quod autem ad rem nostram attinet, en Mari conspicua argumenta, quæ anonymo nostro M. S. fidem & honorem conciliant: Ipsique Bollandiani Continuatores ad diem ix. Mensis Julii in Vita dd. Martyrum Patermutii, Copretis, & Alexandri Tom.II. edit.2. Ven. pag.*699*. n.*6*. eundem Marum, ejusque opus de his Sanctis laudarunt, ac vide d. pag.*699*. §.II. pag.700. 701. 702. & Tom.I. in Vita Joan. Bollandi d. edit.2. pag.24. ibi.... *Horum præcipui fuere Joannes Mari S. Angeli in Piscina Canonicus, copiosam Domi collectam habens sacrorum Monumentorum farraginem....*

Per-

Perstant sane nostrorum Martyrum Lectiones in cit. Tom.v. diei xxvi. Mensis Augusti a Bollandianis comparatæ, quas in §.iI. nostræ Dissertationis transcriptas dedimus, ubi late.

Nota II.

Verumtamen hic pauca de illis dicam, etsi hujusmodi Lectiones genuinas esse, Censores doctrina præstantes fere dubitarint: Nam plura de his videnda sunt cum hac de re notionibus supra in Nota iI. iiI. iv. §.iv. & Nota I. §.v., vel Nota I. §.vi.: Quibus in locis notabiliora quædam pro eisdem Lectionibus adduximus; una cum Ferrarii verbis, sparsim tempestivitate relatis, eo videlicet tenore: *Ex eorum Lectionibus in Officio recitari solitis ...: Ex Tabulis Ecclesiæ Marsicanæ .....*: Nomini autem illius magni Scriptoris ab aliis quoque laudati, qui olim Lectiones nostras illustravit, probavitque, sententiam tempestive necto Fortunati Scacchi in libro de Notis & signis Sanctitatis sect.iI. cap.iv. ita scribentis: *Philippus Ferrarius collectis nominibus quorumcumque Servorum Dei, qui quoquo modo aliquam habent in aliqua Ecclesia, vel Monasterio venerationem, sive Sedis Apostolicæ authoritate, sive absque tali authoritate colantur, suum implevit Martyrologium, additis etiam Notis, in quibus unde illos acceperit, aperit....*

Barbaris vero temporibus pluries notatis, nunc adde Mabillonium de re diplomat. libr.iI. Cap.I. §.vi. monentem, ad corruptam ætatem, Notariorum vitiosam orthographiam & Scriptorum imperitiam multum etiam contulisse: Nec ideo mirum esse debet, si in eas vere antiquas Lectiones error aliquis, vel minus scite dictum, sæpedicto amanuensium, vel posteriorum descriptorum vitio, sive turpi licentia, ac temporum infelici conditione, irrepserit. His de caussis antiquos Manu scriptos Codices, mendis quandoque fædatos, vetustosque auctores pluries in Martyrum gestis ab historica sinceritate deflexisse, nemini profecto est novum. Late probato SS. Martyrum nostrorum Cultui ac splendidæ venerationi,

tioni, specialis titulus adjicitur, concessionis nimirum pristini ipsorum Officii cum propriis lectionibus, determinatæ Celanensi Ecclesiæ olim factæ, ex præcipua, ut alibi diximus & credendum est, facultate priscis temporibus Apostolicæ Sedis, quæ, ut omnes norunt Viri docti, non sine prævio historiæ examine, e qua Lectiones ipsæ sumuntur, solebat, & solet procedere, atque id permittere: Vel ex Marsorum Præsulum approbatione, sive ejusdem Ecclesiæ Præpositorum, ut vocant Ordinariorum, jam ex supra dictis, Nullius Diæceseos: Nam jure communi Divinorum Officiorum ratio tum ad Episcopos pertinuit, id ipsum fieri olim potuisse, testatur Guyetus in Heortolog. sive de Fest. propr. Locor., & Eccles. libr.III. cap.I. quæst.VI. vers. *secundo requiritur* & vers. sequenti, ubi de usu a tempore immemorabili servato etiam loquitur.

NOTA III.

IN Martyrum nostrorum Lectione II. habetur: *Præfectus vero Pontius constituto die sedit pro Tribunali, jussitque Sanctos Simplicium, Constantium, & Victorianum accersiri: quibus dum in præsentia ejus assisterent locutus est, dicens: video vos juvenes præclaros, & splendidos, sed genus vestrum ignoro, cujus professionis estis requiro, ad hoc S.Simplicius respondit: Genus quidem ex illustri prosapia Burgundiorum traximus....*: Quæ sane interrogatio aliis quoque Martyribus olim facta, ex Ruinartio in Acta Martyrum Sincera selecta pag.46. n.5., ipsarum Lectionum veritati clarissimè nititur. Pro hac enim sententia, perinde ac pro responso, ita ait: *Hæc enim est juris formula, ut Judex accusatum, quamvis sibi alias notissimus de nomine, Patria, conditione, ac Religione interroget; Unde ipsi etiam, qui sæpius confessionem Christi nominis ediderant, rursus oblati Judicibus, de nomine ac Religione interrogabantur...; nec mirum id cuiquam debet videri, cum tot eorum hominum Sectæ tunc temporis, quo Marcus Aurelius Philosophus imperabat Romæ fuerint....*: Immo ab aliis eorundem Lectionum verbis etiam

etiam discimus, Martyres nostros Tyrannum objurgasse, & Catholicam Religionem constanter fuisse confessos, sic postea, ut inibi legitur subjicientes: *Hic est Christus, Dei & hominum Mediator, & hic est ille Agnus, qui tollit peccata Mundi: quem tu miser ignoras* .... Hinc Minut. Felix in Octav. cap.LXXIII. pag.371. præclare inquit: *Quam pulchrum spectaculum Deo! Christianus libertatem suam adversus Reges, & Principes erigit, soli Deo, cui est, cedit, cum triumphator, & victor, ipsi, qui adversus se sententiam dixit, insultat!* Quot igitur prioribus seculis habuerit Christiana Religio fortes athletas, & quantum in Marsis ob sequanorum Martyrum constantiam, Fides ipsa susceperit incrementi, ex dictis Actis, & Lectionibus quivis commode agnoscet: Quoniam illi ad consummationem usque Catholicæ veritatis testes atque assertores fuerunt: Imperatoris namque solio sese, ut muri fortes in accepto Martyrio sisterunt. Quod quidem ipsis ad gloriam sempiternam, Celanensibus autem, cæterisque Marsis ad salutis exemplum feliciter cessit.

NOTA IV.

PErgit porro idem vetustus Lectionum Codex: *Præterea Pontius* ...., *unde iniquissimus Præses manus post terga ligari a Ministris præcepit, & Romam bene custoditos ante conspectum Imperatoris eos velociter adduci* ...: deinde sic: .... *Ingressu vero Urbis, volentes Sancti ad Basilicam S. Petri pergere* ...., *voluntate Dei & Apostolorum Petri & Pauli factum est, ut ligamenta, quibus ligati fuerant, solverentur* .... Ministri paullo ante designati quales fuerint, ita Gallonius explicat in libro de Cruciatibus Martyrum cap.IV.: *Ministri, qui reos Magistratuum jussu cædere solebant, Lictores vocabantur: erant hi Consulis Proconsulis, & similium Ministri, præibant singuli Magistratus portantes virgarum fasciculos cum securibus ligatos, ut quoties jussi essent, eos solventes virgis, damnatum cæderent*: At quinam Scribones? Vide Magrum in Vocab. Eccl.pag.469.: Ipsi tortores etiam dicebantur, teste Ferrario ad diem XXVI. Augusti

in

in Catalog. Sanctor. pag.545.: sive Lictores juxta d. Gallonium, ac proinde cit. Ferrarius de iisdem Celani Martyribus ait: *Unus ex Lictoribus Cæsareo nomine, viso ingenti terræmotu ad Fidem converso* ... In Lect.vi. nostrorum Actorum sunt quoque vocati Interfectores: Erant enim illi horrendi homines, & publici Consulum servi aliorumque Magistratuum, quibus præcedebant, & ita appellati a ligo, idest a ligandis reis. Festus censet; sic vocitatos ab virgarum fascibus ligandis; nam quicumque ex Magistratibus apparebant in Urbe, hoc apparitionis genere hi erant, teste Livio libr.II. e plebe Romana: Immo ante bellum Punicum ea plebs, Lictores e suo corpore tribuebant, ut Magistratibus in Provinciis apparerent: Sed Punico bello confecto, qui Magistratibus in Provincia quavis apparitione apparebant, ii secundum auctores aliquot, pene e Bruttiis Bruttiani dicebantur: Cum autem ad Annibalem defecissent, pulsis, victisque Pænis, Romani Bruttios ignominiæ causa, nec milites scripsere, neque habuere pro sociis, sed ex Aul. Gellio libr.x. cap.III. Magistratibus in Provincias euntibus parere & præministrare, servorum vice jusserunt. Hic Lictoribus Consules usi sunt, atque Prætores, Interreges, Dictatores, & alii Magistratus, qui non potestatem solum habuere, sed etiam imperium. Horum præcipuum munus fuit iisdem Magistratibus administrandi, ante illos gestandi memoratos virgarum fasciculos, in quibus securis inclusa erat, sontes virgis cædendi, securique feriendi; ideoque a Livio libr.XLV. summotores quoque appellati fuerunt. De his tamen Bruttiis a calumnia de inlatis Jesu Christo tormentis & morte vindicatis, eruditam habemus Dissertationem laudati Petri Pollidori, Romæ Literatorum cum plausu evulgatam, ubi Auli Gellii assertum, cui multi subinde auctores imprudenter adhæserunt, validis argumentis refellit. Quo ad alia demum nostri Lectionarii verba superius allata, Phæbonium leges, ea in ipsorum Martyrum Vita confirmantem, qui ab hinc centum & ultra scripsit annis, nec non Regiam Marsicanam in Part.I. pag.11. Acerba vero in Martyres ligamina a Tyrannis olim adhibita, Ruinartius generatim illustrat in cit. Act. sincer.

 select.

select. pag.36. num.14., ita de S. Polycarpo Smyrnensi Antistite, quasi pro re nostra scribens: *Hic vero manibus post tergum positis, ac revinctus tanquam aries insignis ex magno grege ad oblationem, holocaustum acceptabile Deo præparatum, Cælum contuitus dixit....* Atque non disparibus sævitiæ exemplis in alios etiam Martyres fuisse sævitum, illorum Acta, gravissimique Scriptores memorant.

Nota V.

Cum in cit. Lectionario ita pariter legamus: *Non enim eodem tempore Romæ Imperator fuerat æstivum forte tempus in Partibus Marsiæ celebrabat....*, pauca nobis Commentarii loco dicenda sunt, ut Bollandianorum ordo, vel studendi ratio aut Pastoralis cura sinit. Ultra vero a nobis delibata in Notis I. II. III. IV. V. §.IV. & I. §.V., Marcum Antoninum etiam appellatum, & in Imperio socium, in Marsis per id tempus moram traxisse, Acta nostra produnt cum Jacobillo de Sanctis Umbriæ Tom.II. pag.240. 241., Bzovio hist. Eccles. Tom.I. libr.I. pag.249., & ex Notis I. & II. §.VI., vel I. & III. §.X., & Ferrario in cit. Catalogo Sanct. Ital. ad diem XXVI. Augusti pag.545. satis superque liquet: Eumque præterea Romanorum Imperatorem, agri nostri felicitate allectum, & recuperandi gratia oculorum lumen, in Montis Tini: vel Piscini jugo tunc præsertim degisse, allegati Scriptores, & Marsorum documenta ferunt; adeo ut priscis temporibus Montis cacumen, Rus Imperiale diceretur: quod postea S. Petiti nomine Oppidulum, teste Phæbonio in Marsor. hist. edit. 1. pag.241. vocitatum est, atque id legitur in dictorum Martyrum Vita ab ipso evulgata pag.151. 156., in Reg. Marsic. Part.I. pag.361. 533. 637. Part.II. pag.10. 14., & in libro Vir. Illustr. Mars. pag.8.: Interim vero noscamus oportet, ad hæc usque tempora juxta S. Petiti Pagum, antiquam exstare cavernam, quam olim nostrorum Sanctorum carcerem fuisse, piorum hominum assertio testatur: Nam in Colle, vulgo Petraræ eadem adspicitur crypta, ubi magnum quandoque lumen, haud

haud somniando, sed externis bonisque visionibus, vel sacris visis refulsisse, ab incolarum ore pluries audivimus. Id ipsum Loci Parocho, seu Abbati, & quibusdam aliis Presbyteris, q. Paullus de S. Petito nuper vita functus, ceterique narraverunt indigenæ: Nobisque IX. Martii M.DCC. XLVII. Fr. Constantius a Celano septuagenarius Capucinorum Sacerdos, vir gravis & Aprutii Provinciæ Conventuum sæpe superior sincera Epistola, proprioque postmodum ore nunciavit.

Quod si quispiam critico sale refectus, aut algido rore consperfus, ea Imperatoris ad Marsos accessio, unde paulisper discessi, inficiari conetur, intelligat, velim, Romanis Imperatoribus facilem ad Marsos accessum, tum regionis conditio, tum etiam Urbi suadebat propinquitas. Marsorum siquidem gentem antiquo Latio jam pridem finitimam fuisse, modoque esse Romanis Oppidis, Tiburtinis nempe Sabinis, aliisque illius tractus, satis superque liquet ex Regia Marsicana Part.I. a pag.23.: quam ob rem sæpe magni Principes montana insederunt Castella Marsorum, quod alii præstiterunt soli fertilitate, vel præcipua Cæli benignitate suaviter allecti: cujus aura felix juxta cit. Phæbonium pag.25. oblectamina sanitatis perpetuo spirans cum grata Fucini Lacus amplitudine, exteras quoque gentes allexit. Hæc sane firmatur historia ab alia ejusdem Antonini rerum gestarum in Marsis recensione: Is enim aliquando Albam Marsorum, & Romanorum Coloniam, a dicto Pificino Monte non procul positam, sua præsentia illustravit, ubi Amphitheatrum Dianæ Jovis creditæ filiæ construi fecit: Hinc proinde, ea vel alia occasione, M. Aurelio Antonino Imp., & eidem Antonino Successori in marmore erecta fuit Inscriptio, quæ apud vetustam Ecclesiam S. Anatholiæ in antiqua Civitate Tora prope Marsos exstitit, ipsis Clarissimis Bollandianis testibus in Actis dictæ Sanctæ ad diem IX. Julii Tom.II.pag.674. Diocletianus etiam aliis temporibus ibidem Terminalia celebravit, quemadmodum e nummis eo in loco repertis, & in Regia Marsicana Part.I. pag.156. designatis, evidenter patet. De Alba Strabo libr.V., Silius VIII., & alii loc. cit. relati auctores tractant: Marsicam vero Legionem, quæ olim

Albæ constiterat in Municipio fidelissimo & fortissimo, Cicero Philipp. libr.III. laudavit. Superiori etiam ævo Claudius Imp. ad Marsos, teste Svetonio, migravit, ut Lacu in ipso emissarium faceret, cujus memorator est Tacitus Annal. libr.XII. cap.XXXVI. his verbis. *Sub idem tempus inter Lacum Fucinum, amnemque Lirim perrupto Monte, quo magnificentia operis pluribus viseretur, Lacu in ipso navale prælium adornatur.... Claudius triremes, quadriremesque, & undeviginti hominum millia armavit .... reliqua Lacus classiarii tectis navibus obtinebant ripas, & colles, ac Montium edita in modum theatri multitudo innumera complevit, proximis e municipiis, & alii Urbe ex ipsa visendi cupidine, aut officio in Principem. Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata præsedere pugnatum ....*: Ac ideo Lipsius in Commentariis pag.205. subdit: *Claudius .... circa hæc tempora Facinum Lacum exiccavit, undecim annos triginta hominum millibus sine intermissione operantibus ....* Leo Ostiensis in Chron.Cassinens. libr.II. cap.IV., Imp. Othonis mansionem in Monte Cedico late descripsit, & Phæboniana historia pag.242. sic iteravit: *Montem istum ad Marsorum Provinciam pertinuisse, Leo Ostiensis asserit .... cum Othonem Imperatorem in Monte Cedico, qui apud Marsos est, moratum fuisse testetur.*

Quibus sane perpensis, moneo insuper, relatam Antonini, vel Collegæ in Marsis commorationem magis magisque probari ex nummis aureis, & argenteis ipsius imagine ornatis, & in Agro S. Petiti sæpe effosis: Propterea sequens Documentum nuper Episcopali nostræ Curiæ exhibitum, narratis fidem auget & pondus: *Ego infrascriptus Præpositus Terræ Sanctæ Eugeniæ Marsorum Diœcesis, verbo veritatis, ac tacto pectore more sacerdotali, indubiam fidem facio, qualiter anno* M. DCC. XXXVII. *præ manibus habui quoddam numisma orichalci vetustum circumferentiæ monetæ hujus Regni decem carolenorum vulgo* di una piastra, *quod numisma in viciniori Sancti Petiti Castro repertum fuit, emptumque a quodam extero homine Status Pontificii, qui mihi illud communicavit & ostendit, sed vendere noluit; in eoque apud unam*

unam frontem insculpta erat imago Antonini Imperatoris in throno sedentis, & ante ipsum pariter insculpti erant tres homines manibus ligati: In alia fronte numismatis insculpti erant duo boves & colligata erat quædam funis in pedibus dictorum hominum in terra distensorum, qui a bobus prædictis solo raptabantur; quod denique numisma per dictum exterum Viatorem secum translatum est: In quorum fidem .... Datum in Oppido Sanctæ Eugeniæ Idus Octobris M.DCC.XLV.: *Ita est D. Joannes Antonius Valerii Præpositus, qui supra: Jacobus Cardarelli Scriba: Testor & fidem facio ego Simplicius Rosatus a Celano ....publicus per totum Regnum, & Apostolicus per totum Orbem authoritate Notarius, retroscriptam attestationem esse scriptam proprio charactere retroscripti Rev. D. Jacobi Cardarelli Scribæ, necnon subscriptam pariter propria manu retroscripti R. D. Joannis Antonii Valerii Præpositi Terræ S. Eugeniæ Marsorum Diœcesis, mihique cogniti; eumque esse talem, qualem se facit. In quorum fidem .... signavi....* Quæ omnia quam bene expositis congruant, facile quisque videbit. Hic tamen alienam potius, quam meam sententiam propono: Nam scio quantis difficultatibus id assertum esse possit apud Criticos Viros obnoxium: Verumtamen ex hoc probi Sacerdotis monumento, Martyrium in nostris Actis descriptum relato nummo clarissime respondet: Cui quemadmodum lectitasti, in fronte variæ cælato opere visebantur figuræ, in altera vero ejusdem effigies exhibebatur Antonini, præcipientis veluti, eos Sanctos in plaustro funibus circumligatos, ab indomitis juvencis raptari: Quæ quidem figura, dictorum Martyrum supplicio clare consonat, cum nempe Martyres illi per Montem Tiiium, vel Pisicinum [sic olim communiter appellatum ex Reg. Marf. Part.I. pag.17.] veloci cursu deorsum fuerint tracti, ut sævam mortem oppeterent: Etsi præcipuo Dei auxilio in Sanctis suis admirabilis, ad aureum Fontem sub dicti Montis radice, sicuti Acta notant, pervenerint incolumes. Feritate pari alios fere innumeros Christi Martyres ab indomitis equis in loca tribulis consita, acutisque carduis abjectos fuisse, Ecclesiastica probat historia: Et Martyr Venan-

nantius, ceterique pro Fide ex altis rupibus dejecti sunt, ut lacerato Corpore spiritum emitterent, ex Gallonio de Sanctorum Martyrum Cruciat. pag. 192. Idem ad Urbis Montem Tarpejum pluribus Martyribus in loco, qui *saxum Martyrum* dicebatur, ita impie factum refert. Neque Sancti ejusdem Venantii, in hac Diæcesi præsentiam, qua olim nobilior evasit prætereo: Is enim in celebri Tugurio apud Radiani Valvensis Sacerdotis Oppidum, atque aternum amnem aliquandiu angelicam moram traxit, miraculorum gratia insignis, ubi angustum Templum crebro populorum concursu frequentatum, Deoque in illius honorem dicatum visitur, quod Mattheus Pascucius in illius Vita libr. I. pag. 15. 16., aut libr. II. pag. 218. illustravit. Ipsique testantur Bollandiani Socii ad diem XVIII. Maii in Actis Sanctorum Orbis edit. 2. Ven. Tom. IV. dicti Mensis a pag. 136. ad 869. ac ejusdem Radiani vel Rajani monumentum juxta Petiniam, ut ajunt, pro Pentima Urbe commemorant. Sed perperam ibidem nobile Augustianorum Conventum extare dicunt: Immo ipsius Ecclesia parva est, cui unus tantum Eremita præest. Christi autem Miles ad Patriam suam deinde reversus, & de excelsa rupe dejectus, Cælesti ope servatur illæsus, donec iterum fune ligatus, per vepres, saxaque tractus, ut e cit. libr. I. cap. XVIII. & ult. liquet, Martyrio coronari meruerit. Acta notissima exstant Sancti Hippolyti, a S. Laurentio baptizati, qui sub Valeriano Imperatore cruciatu simili affectus est, cujus festum XIII. Augusti ubique celebratur. Die XIII. dicti Mensis ad Forum Syllæ Martyr Cassianus fero supplicio vexatus, vinctisque post terga manibus, puerorum, quos erudiebat ferreis stylis configendus traditur ex IX. Lectione Breviarii Romani: Et passim de aliis in Sacra legitur historia.

§. XXII.

PErgunt Lectiones Martyrum nostrorum his verbis: *Tunc Imperator ira commotus, fecit eos in arcta custodia in loco, qui Passularis dicitur, induci, serpentibus, & scorpionibus*

nibus pleno ...; unde illius voluntate, qui creavit omnia factum est, quod illæ animalia mansuescere cæperunt: quod nec venenum, nec aliud per quod Sanctis nocere possit, ab illa die secum portaverunt. Tu autem Domine....

NOTA I.

PAssularis hic locus mihi plane ignotus est, nisi proprio ipsius nomine sic appellatum, vel a patenti loco vocitatum facile crediderim, aut dicere malimus, ita prædicatum fuisse a patiendo: quod ibi rei homines ad pœnas & supplicia traherentur. Quæ porro loci significatio Lectionibus nostris magis videtur congruere, si eorum verba mox adducenda, potissime expendantur. Arctam sane custodiam, quam dictæ Lectiones in §.I. hujus Opusculi legendæ indicant, & a sanguinariis Tyrannis iisdem Martyribus olim attributam Cassiodorus in Vita S. Venantii pag.56. ita describit: *Cellam gemituum, tristitiæ domum.... Plutonis hospitium, locum perpetua nocte cæcatum:* Ea autem horrida detrusio, Sanctis quadraginta Martyribus, ex Brev. Rom. ad diem x. Maii, aliisque Sanctis contigit: cunctisque pariter notum est, ea tempestate Christianos variis pœnis afflictos fuisse; multos quidem sanguineis cædibus ad interitum usque vapulatos, plures hiemis frigidissimo tempore nudos sub aperto aere supra stagnum rigens pernoctare jussos, ut frigore congelati necarentur; alios acutis in testulis, & candentibus carbonibus ipsis subjectis volutatos esse, vel feris objectos, plerosque bestiis ferocibus datos, qui apud Baronium Tom.II. Annal. sub anno cc. xc. col.724. n.18. & 31., Surium, aliosque legi poterunt. At Simplicii, Constantii, & Victoriani Martyrum nostrorum cruciatos: allegati Scriptores, præsertim Bzovius, Jacobillus, & Ferrarius vestigarunt: Relata autem monumenta, mox opportune iteranda, ipsorum Actis, e quibus dictæ Lectiones erutæ sunt, de loco *serpentibus, & scorpionibus pleno*, optime consonant: Nostros enim Marsos jam pridem serpentarios audivisse, Pitiscus refert in Lexic. Rom. antiq. Tom.II. pag.116. & Lampri-

pridius in Heliog. testatur; gentiles Marsicæ nationis Sacerdotes frequenter serpentes collegisse; ideoque veneniferos angues in eorum vestitis frugibus agris, copiosos fuisse dixit Plinius hist. Natur. libr.VII. cap.II. pag.141., & pariter constat ex Nota I. & II. §.X. Dissertationis: Ac propterea iisdem Sanctis bene aptari potest S. Pauli dictum ad Hebræos XI., quod scilicet pro *Fide, ludibria, & verbera experti, insuper, & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt ...., egentes, angustiati afflicti: .... in solitudinibus errantes, in Montibus, & speluncis, & in cavernis terræ: & hi omnes testimonio Fidei probati*. Nam ex dicto Lectionario constat, eos tot sævis tormentis affectos, & pro Christi nomine decollatos, coronam gloriæ in Pisicini, seu Tini radicibus apud Celani aureum fontem gloriose accepisse.

In ipsis Lectionibus, sic etiam habetur: *Factum est, quod illa animalia .... nec venenum .... quod Sanctis nocere possit ab illa die secum portaverunt ....* Tradit Aul. Gellius libr.XVI. cap.II. ad rem ipsam historicam illustrandam, & hic pauca commentabimur, nostros videlicet Marsos serpentum virulentorum domitores exstitisse, ac herbarum succis medelarum perinde miracula fecisse, & teste Solino in cit. Reg. Marsic. Part.I. pag.35. 36, gentem illam a serpentibus illæsam fuisse: quam ob rem S. Augustinus in libr. XI. Gen. cap.XXVIII. col.669. ait: *Nam, & quomodo putantur audire, & intelligere, serpentes verba Marsorum ...*: atque in Psalm. LVII., ipsorum quoque meminit. Cornelius a Lapide S. J. egregius Scriptor Tom.XIII. Comment. ad Acta Apostolor. cap.XXVIII. col.358. vers.5. rem ipsam late comprobat: Licet autem Martinus de Rio libr.I. Disquisit. Magicar. libr.II. quæst.XIII., & Cap.II. quæst.IV. hujusmodi historiæ parum arrideat; Surius tamen in Actis Sanctorum Julii Tom.IV. pag.167. Marsum quemdam nomine Audacem, serpentarium memorat. De aliis vide Reg. Marf. Part.I. pag.41. 42. Pantominos peritiores in arte incantandi, Cassiodorus nominat in libr.I. Epist.XX., necnon libr.IV. Epist. ult., & de ipsis Mimis S. Cyprianus lib.II. Epist.II., aliique agunt apud C.M.

Card.

Card. Calcagninum in Opere noviſſimo de variat. ult. volunt Tom.I. art.x. n.46. pag.145.

Lectiones autem noſtræ ſic etiam deſcribuntur: *Eadem hora terræ motus magnus per totam Marſiam factus eſt, ita quod Sanctorum interfectores per totum diem, & noctem nec loqui, nec diurno ſurgere potuerunt...*: Quod quidem ſub agone plurimorum Martyrum ſæpe contigiſſe, in Eccleſiaſticis Annalibus, Sanctorum geſtis, ac Breviario Romano fit manifeſtum; ubi etiam in S. Bonifacii Martyris ad diem xiv. Maii paſſione idem legitur. De S. Agatha ad diem v. Februarii habetur, quod ea dum horrendis vexaretur tormentis, ingenti terræ motu Urbs tota contremuit, ac duo parietes corruentes, prætoris familiares oppreſſerunt; quemadmodum piis doctiſque Viris de aliis Martyribus ſatis etiam ſuperque liquet.

NOTA II.

PRæterea, quum in ejuſdem Lectionarii ſerie, Martyres noſtros Dei præſidio potiſſime nixos fuiſſe pateat, non ab re in hiſtoricæ veritatis notam pauca mox delibanda mihi videntur, ut ex his quoque innoteſcat, non eſſe de facili vetuſta Martyrialia impugnanda. Enimvero cunctis manifeſtum eſt, Divinam opem ubique Martyribus adfuiſſe, eoſque in cruentato corpore tormenta non propria virtute toleraviſſe, cum naturæ vires ad ea perferenda impares eſſent; ſed vere auxilio Domini, qui perpes corona Militum, his tam ſemper aderat præſens, ut ſæpiſſime in mediis ſuppliciis nullus, aut exiguus eis eſſet dolorum ſenſus: proindeque inter varios magni nominis auctores, Ruinartium habemus, qui in præfat. Gen. ad Acta Martyr. ſincer. ſelect. §.iv. fol.64. n.68. recte adnotavit, quod ipſorum animos internis frequenter auxiliis, nonnunquam & externis viſibilibus ſignis Deus confortabat: Hinc S. Petrus Apoſtolorum Princeps dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, ab Angelo liberatus eſt: Bartholomæus Galilæus, cui propter Evangelii prædicationem pellis crudeliter detracta

 fuit,

fuit, caputque abscissum, dirum Martyrium cælesti gratia meruit sustinere; ac Stephanus primus Martyr, quum esset plenus Spiritu Sancto, intendens in Cælum, vidit gloriam, & Jesum stantem a dextris Dei: & ejicientes eum extra Civitatem, lapidabant: Sic de aliis atrociter, ac varie afflictis: ideo Catholica Ecclesia, cum in honorem & memoriam Sanctorum Missas celebrat, Sacrificium offert soli Deo, qui illos coronavit, de illorum victoriis gratias agens, tametsi eorum patrocinium imploret: ut pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam agimus in terris, ex Conc. Trid. de Sacrif. Missæ sess. XXII. cap. III.

Contra vero divinæ indignationis pænæ, quibus immanes Tyranni, scelestique tortores sæpenumero plexi sunt, nec uno quidem malorum genere affecti, satis aperte elucent in aliorum Actis, & antiquis Scriptoribus Christianæ Ecclesiæ. Hos inter potissime est legendus Lactantius, cujus hac de re totus est liber, in quo de pessimo Tyrannorum fine, ac persecutorum morte turpissima egit: quæ omnia gentilium conversioni ad Christi Fidem sæpe occasionem præbuisse, neminem latet in Ecclesiastica historia versatum: sed qua ratione, quibusve gradibus ea contingerent, citatus auctor pandit libr. V. Instit. Cap. XXXIII. [si idem utriusque est Scriptor operis, de qua re Viri docti dubitant]: Sane his mirificis ac supernis beneficiis quandoque ipsi Martyres sanati fuerunt, voces divinitus emissæ auditæ sunt, bestiæ mansuefactæ, aliaque hujusmodi prodigia visa & palam gesta, quorum memorator est Irenæus libr. II. adversus hæreses apud Ruinartium loc. cit. pag. 65. n. 69., qui n. 70. honores aliquos viventibus Martyribus tributos, longeque Majores consummatis, cum veneratione etiam factos, memorat..

§. XXIII.

POsthac citatæ Lectiones extremam recitant Martyrum historiam: *Altera vero die cum ad se redirent unus illorum nomine Cæsareus, qui Passionibus Sanctorum ab ipso principio interfuerat, pristinæ Sanctorum proditionis recordatus,*

datus, eorum corpora colligendo Domino credidit, ac Sacri baptismatis unda a quodam Presbytero nomine Crescentio renatus, cum eodem in scriniis Sanctorum Corpora ad praedictam Montis radicem collocavit. Collocatis Sanctis Martyribus, praefatus Caesareus una cum Presbytero Crescentio Florentium visitaverunt, exorantes, ut Sanctorum Martyrum Passiones & mortem eo stylo conscriberet. Ego [sic] *autem, licet ad tantum opus inidoneus, tamen devotione devinctus, visus fui*, [vel ut Bollandiani corrigunt] *ausus fui, ea quae ab eisdem de Sanctis Martyribus concepi pro mentione dictare. Passi enim fuere septimo Kalendas Septembris adjuvante Domino, cui est honor & gloria in secula seculorum Amen. Tu autem Domine....*

NOTA I.

NEque vero post Martyrum nostrorum agonem relatam Cæsarei conversionem mirari debemus: Quoniam Fidei persecutores, ut præsertim Sanctis Dimæ ac Paulo feliciter contigit, superna gratia ad Jesum conversos, Sanctorum gesta produnt: De primo enim, cujus materia e Goffrido Abbate serm.x. fidelis est, caussaque salubris, a Ludolpho Saxone Monacho Cartusiano agitur in Vita Christi cap.LXIII. pag.646., & vir præstantissimus Joannes Merangonus illius in Domino mutationem Romæ nuper typis consignavit: Secundi autem ex Act. Apost. cap.IX. innotescit, quod Christianorum insecutor, factus est annuntiator Veritatis, ut ait S. August. serm.XIV. de Sanctis: Alios fere innumeros sileo: Vide Natalem Alexandrum histor. Eccl. Tom.V. saecul.I. cap.VII. edit.2. pag.21. 332.; ideoque S. Hieronymus in Marc., Cap.XVI. monuit, quod peccata præterita non nocent, quando non placent, & pænitentia expiantur.

In allatis Lectionibus hæc alia verba sunt perpendenda:... *In scriniis Sanctorum, Corpora ad praedictam Montis radicem collocavit*: Quæ siquidem opportune repetita, Lectiones ipsas magis magisque clarificant; nam primigeniæ Actorum nostrorum antiquitati & integritati vox *scrinii* ma-

Bb 2 gno-

gnopere cohæret . Enimvero prioribus seculis in Romana Ecclesia quidam procul dubio fuerunt *Scrinarii* Archiva sacra custodientes , ubi Ecclesiastica documenta servabant : eorumque caput Prothoscrinarius dicebatur , ex Magro in Vocab. Eccles. pap.470.; quibus deinde Prothonotarii Apostolici successere , qui Martyrum Acta , ut in Nota I. & II. §.IV. dictum est , conscribere debebant ; ac propterea Joannes Baptista Sacchettus in libr. de Privileg. Prothonot. pag.5. ait : *Quoniam primis Ecclesiæ initiis in Urbe Roma pro Christi Fide inter crudeles Imperatorum persecutiones , Fidelium ac piarum personarum numerus quotidie augebatur , & quo magis illa sævitia debaccabatur , eo plures in dies varia tormentorum genera subire non pertimescebant : Neve igitur tot tantorumque virorum ac mulierum eorumque virtutum , quibus hodie Christiana Religio resplendet , ullo unquam tempore memoria hominum mentibus excideret , neve in posterum neminem quandoque lateret , quonam pacto illorum pia gesta ubique gentium propagata fuissent , Clemens Primus Romanus , septem Notariis Regiones Urbis totidem distribuit , ut Martyrum res gestas literis mandarent æternis , quod postea Antherius Papa Primus stabilius reddidisse legimus* . . . Nemo itaque jure dubitavit , quin antiquis Ecclesiæ temporibus Acta eorum , qui pro Catholica Fide purpurati sanguine obierant , descripta fuerint atque in Scriniis reposita , ut ex Romanæ Synodi Actionibus sub S. Silvestro Papa I. habitæ satis liquet , ac probant Ruinartius in Præfat. Gen. ad Acta Martyr. sincer. select. n.5. & Bencinius Dissert.II. de Litt. Encyclyc. Cap.III. §.I. n.6. , qui etiam addit , honorem hunc Martyribus in primitiva Ecclesia tributum , partem quamdam Religionis fuisse , ac proinde Antistites summo studio in his semper vigilavisse , ut e certis notitiis Martyrii caussæ , Martyrum gesta & cruciatus describerentur , teste Eusebio histor. libr.IV. cap.XIV. vel libr.V. cap.II. III. & Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum cap.X. : Quinam vero in hujusmodi collectione præcipuam curam habuerint , tradit Ruinartius §.I. n.7. pag.7. : Vide pariter congesta in Nota I. & II. §.IV. ubi egimus de Sacerdote Crescentio & Florentio Diacono ,

no, qui cum dicto Cæsareo Martyrum nostrorum Corpora in Piscini Montis radice primi posuerunt ipsorumque Acta conscripsere, ac etiam in Nota I. §.XII. in fine. Hinc fateri necesse est, magnum Divinæ Providentiæ miraculum esse, veneranda eorum Capita, & in ossibus Corpora secundo Ecclesiæ seculo in dicta infima Montis parte locata, tanto temporis decursu ad hanc usque diem post tot incendia & bella rerumque discrimina apud Marsos ex Majorum historia notissima, in antiquo prius, & recentiori deinde prope dictum Montem Celani Templo crebra Fidelium veneratione custodita fuisse: Maximumque infinitæ bonitatis prodigium ac insigne erga Celanenses beneficium in sæcula, ut prædicemus oportet.

Sed quoniam de ipsorum Martyrum Tumulo actum est, lubet hic inserere Davidis Romæi librum a Bollandianis in Actis Sanctorum Orbis memoratum, de quinque nimirum Divis Custodibus ac Præsidibus Surrentinæ Urbis differentem annoque M. D. LXXVII. cum Indice Sanctorum, qui in hoc Regno, sepulchro conditi fuerunt editum: Quandoquidem Opusculi verus Titulus ita habetur: *Davidis Romæi septem Sancti Custodes, ac Præsides Urbis Neapolis*: Neap. apud Josephum Cacchium M. D. LXXI., ubi postea legitur: *Index Sanctorum Virorum, qui nati vel humati sunt in Regno Neapolis....* Miramur tamen, Sanctos ibidem relatos, vix quinquaginta numerum attingere, ac Martyres nostros aliosque majoris calculi eodem in Regno sepultos & pie cultos, negligenter fuisse omissos; ipsumque Indicem hac ratione mancum esse atque incostantem: Nisi dicere velimus, auctorem illum morte præventum, Viris devotis promissa non reddidisse, nec in fronte Indiculi exhibita unquam prompsisse: Quod quidem ideo adnotavimus, ut Opusculum id nos haud legisse, aliquis criminetur.

§.XXIV.

§. XXIV.

Verum quia in memoratis Sanctorum nostrorum antiquis Lectionibus, & præsertim in Nota II. §.IV. ea frequens conclusio habetur: *Tu autem Domine miserere nobis*; idcirco aliquid, etsi non satis, ad illius vetustatis notionem, ac Operis ornatum mihi delibare videtur.

Nota I.

Morem hunc ipsarum precum sane antiquum, Dom. Magrus in Vocab. Eccles. pag.307. illustrat: Nam cum Officium Divinum sit oratio communis, nomine totius Ecclesiæ ad Deum fusa, ex S. Thoma 2. 2. quæst.83. art.12., & Guyeto Heortolog. de Fest. propriis Locor. & Eccles. lib.I. quæst.VII. cap.XII. pag.63., hinc defectus in Lectionibus perlegendis ob humanam fragilitatem contractos, ut Rupertus libr.I. cap.XIII. docet, a Domino hujusmodi precibus misericorditer nobis dimitti postulamus: Cujus veteris disciplinæ exemplo factum est, ut orationem illam: Sacrosanctæ, & individuæ Trinitati, Crucifixi D. N. J. C. humanitati, beatissimæ & gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ fecundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati .... post Officium flexis genibus devotæ recitantibus, Leo X. Pontifex Maximus contractæ culpæ veniam benigne indulserit. Hæ autem preces tribus majoris hebdomadæ diebus in signum mæroris, teste cit. Magro ibidem, omittuntur: S. Augustinus de Civit. Dei libr.XII. cap.VIII. ait, quod Lectiones illæ, ut absque defectu attente legerentur, Diaconus facto silentio, Scripturarum dicta divina recitabat: Quam sacram cæremoniam ab Isidoro libr.I. de Eccles. Offic. cap.X. ita discimus: *Ideo & Diaconus clara voce silentium admonet*; unde Magrus pag.307. subdit, quod in Ecclesia Ambrosiana, priusquam Lectiones legantur, præcipitur: *Silentium jubeto, habete silentium*. Qui olim divinas audiebant Lectiones, vivifico Crucis signo se quoque signabant, teste Isidoro ibid.: *Cum Lectio legitur* [inquit ille] *facto silentio æque audiatur*

a cun-

a cunctis; *nam etsi tunc superveniat quisque, cum Lectio celebratur, adoret Deum, & præsignata fronte, aurem sollicite accomodet*. Lectiones etiam, ut Amalarius ait de Eccles. Off. libr.III. cap.X. sedentes, ut & nunc moris est, audiebant: Dum vero legitur Evangelium, omnes in illius obsequium stare debent, ut ex Decreto Anastasii Papæ, testatur Microlog. de Eccles. observ. cap.IX., cujus verba sic refert cit. Magrus pag.222.: *Juxta decretum Anastasii Papæ, non sedetur dum Evangelium legitur, quæ reverentia, ut ajunt, & Apostolicæ lectioni exhibetur apud Græcos*. S. Hieron. contra Vigil. similiter docuit: *quando legendum est Evangelium; accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, unde ei Virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades*. Innocentius III. libr. I. de Myst. Miss. cap.III. decrevit: *Acolythi cereos ferunt accensos, dum legitur Evangelium, non ut tenebras aeris illuminent, sed ut proximis opera lucis ostendant*: Idemque Pontifex loc. cit. libr.I. cap.XLIII.de Diacono scribit: *Signare se debet in fronte, signare se debet in ore, in pectore, ac si dicat: Ego Crucem Domini non erubesco, sed corde credo, quod ore prædico*: Aitque osculari Evangelium recipiendi gratia pacem a Christo Crucifixo, per quem reconciliationem recepimus vel, ut per Evangelica dicta deleantur nostra delicta: Compluraque de his leges apud Hugonem a S. Victore in Specul. Eccles. cap. VII.

Finiunt Lectiones Martyrum nostrorum Simplicii, Constantii, & Victoriani, quas antea ex allato vetustissimo Codice M. S. accurate descriptas pro viribus digestas dedimus, & clarificatas.

§. XXV.

NUnc superest, ut prosequentes Bollandianorum ordinem, quæ de nostris Sanctis Martyribus observare pergunt, expendamus: sic enim in dicto Opere Sanctorum Orbis ad diem XXVI. Augusti post ipsas Lectiones in cit. Tomo V.

mo v. pag. 783. eruditi Censores subdunt: *Annotata: Imperator Antoninus .... Pius nullam concitavit contra Christianos persecutionem ....*

N o t a I.

HUjusmodi non vulgaris ingenii difficultati, in præviis Notis II. §. XIII., aut I. & II. §. XIV., alibique respondimus, ubi confutatis objectis, Acta nostra illustrata, vel satis explanata credidimus. Et si forte aliqua ibidem sint, quæ doctissimis Viris non arrideant, studium saltem, quo haud levi negotio tot antiquis rebus explicandis fuit opus, ipsorum testimonio probabitur, qui clarissimis editis operibus, & confirmata in rebus hujusmodi exercitatione conspicui, præcipuam in republica literaria sibi laudem vindicantes, satis superque edocti sunt, quantum temporis, quantum sollicitudinis, ac diligentiæ, pro Pastorali etiam, quo fungimur officio, in hisce lucubrationibus sit insumendum: propterea cum in citatis Notis latas Censuras in saniorem sensum ubique redditas, exprömptasque opinemur, in eas moratum remittendo Lectorem, paucis vërbis nos expeditos esse voluimus.

§. XXVI.

IN iisdem Actis Martyrum nostrorum apud dictum Volumen v. diei XXVI. mensis Augusti Bollandiani Operis, ita quoque legitur: *Imperante .... Augusto ..., eadem die Pontius Præfectus ab Antonino Imperatore missus est in Franciam, Imperiales deferens Literas, in quibus hujusmodi præcepta continebantur: ut quicumque Christum confiteretur, mortis judicio condemnaretur ...*: In novissimis vero Cl. Censorum Notis pag. 783. hæc objiciuntur: *Franciam hic intelligit auctor, vel antiquiorem, quæ videlicet in Germania e variis ejusdem Regionis populis coaluit sub Francorum nomine, vel posteriorem, idest eam Galliæ partem, in quam Franci antiqui sedes suas, ac nomen postea invexere; sed neutra*

cohæ-

cohæret cum tempore, quod idem auctor in hisce Actis designat. Non antiquior: quia sicut Baurandus memorat inter alia ad vocem Franci, etsi sub hoc nomine acerbissima bella adversus Romanos gessere; primum tamen innotescere cœperunt, Valeriano, & Gallieno Imperatoribus circa annum Christi cc. xxiii. [*forte voluit scribere* 254. *vide Tillemontium Tom.*3. *Imperatorum in Valeriano art.* 3.]: *Non etiam posterior; nam cis Rhenum gens illa migravit primum post initia sæculi* v., *de qua re consuli possunt Annales Ecclesiastici Francorum Cointii Tom.*1. *ad annum* cccc. vi., *& sequentibus: Forte, Franciam pro antiqua Gallia posuit rerum ignarus Martyriographus, hanc cum illa confundens ....*

NOTA I.

Differamus ergo de afferta Scriptoris nostri, vel anonymi confusione, ut veritas magis magisque elucescat: Franciæ siquidem vocabulum pro antiqua Gallia, olim fortasse acceptum, anonymo nostro Manuscripto ab ipsis Bollandianis loc. cit. relato, propter Tillemontii, & Cointii opinionem, haudquaquam obesse videtur: quoniam certum est, Galliam antiquiorem talem ab eruditissimo Censore vocitatam, quam sub Francorum nomine in Germaniam coaluisse fatetur, longe prius a sæculo secundo, quo Martyres nostri floruere, ideft ante dictos annos cc.xxiii.vel cc.liv. extitisse: Immo peculiare, quod initio Gallia habuerit nomen, Cluverio teste in Geograph. libr.I. cap.viii. n.4. haud facile dispectus est: cunctisque planum fit, tempore Julii Cæsaris, qui ad proferendos Romani Imperii fines profectus est in antiquiorem Galliam juxta Mezerem apud Vallemontem in elementis historiæ italice editis Tom.III. libr.viii. cap.I. pag. 334., anno octavo supra quadragesimum ipsam Galliam absolute ademptam fuisse. Eidem porro Franciæ vocabulo, & præmisso Francorum dubio, promptum est quoque Eutropii Sidonii, aliorumque Scriptorum veteris geographiæ responsum: nam Franci fuerunt etiam Germaniæ populi, qui olim in Galliam trajicientes, illi nomen

Franciæ indiderunt; quoniam conspirantes inter se; a Romanorum servitute, in libertatem vindicarunt, atque Francos vocavere, ita ut Franci eorum lingua, homines significet liberos, ex Isaaco Pont. de origin. Francor. libr.I. & II. Proinde Francia orientalis pars fuit Germanica, quam jure Ausonius Franconiam appellavit; ejusque populos Francones, ut nonnulli voluerunt, Cicero memoravit Epist.x. Attic. libr.xiv. Quid ergo mirum, si Anonymus noster, Franciam & Galliam absque discrimine promiscue appellavit? Tametsi sub memoratis Valeriano, & Gallieno Impp.Francorum nomen, potentia, fortuna & opibus fere in immensum efferri visum sit, cujusmodi rei in historia Ecclesiæ italice versa a Sylvagio Canturano Tom.III. pag.309. testimonium habemus. De Gallia vero posteriori, ejusque divisione videndus Cluverius, qui in Geogr. libr.II. cap.xiii. & cap.viii. n.4. refert, Gallos a Celtica voce *gallen*, significante iter facere, peregrinos esse vocatos, quum scilicet exundans eorum domi multitudo, Patria relicta, ad exteras migrare Regiones cæpissent, parte eorum in Italiam, parte in Illyricum, aliasque Mundi plagas delata: quæ omnia eximius auctor a Joanne Bunone auctus, editione Brunsvigæ m.dc.lxxxviii. d. libr.II. cap.xiii. n.1.& 2. pag.107. comprobat, describitque, Gallorum nationem adeo populosam fuisse, ut hi cum Domi haud sterile Solum tenerent, ob multitudinem hominum necessum habuerint in varias longinquas Mundi regiones deducere Colonias. Licet enim ex cit. libr.II. cap.xiii. n.3. & 4., Gallia sub Præfectis ad Honorii Imperatoris tempora Romæ paruerit, Gothique circa annos Christi cccc. ibidem Regnum fixerint, eaque tempestate Burgundiones ab ultima Germania cum dictis Vandalis, Svevisque profecti, alias Galliæ partes occuparint, Regnoque constituto, Burgundiæ nomen suum ipsis imposuerint, ex hactenus tamen memoratis clare colligitur, universam Galliam, longe ante sæculum iv. eo nomine floruisse; quando Burgundiones apud ipsam antiquiorem Galliam jampridem exstiterunt, præsertim ea in parte, quæ & Gallia dicebatur, ubi sicuti ex d.cap.xiii. n.2. patet, universa gens vixit tot

nomi-

nominibus, quot Civitatibus, Imperiis & magistratibus discreta. Ideoque ab Anonymo nostro, non ab re vocitati sunt *Burgundiones in Gallia*, quemadmodum in utroque Sanctorum Catalogo celebris Ferrarius eos rite appellavit, in veteri fol.555., & in novo Part.I. fol.337. Tillemontium vero a doctis Bollandianis eorum verbis paullo ante insertum, alia occasione Viri doctissimi serio impugnarunt in ipsis Actis Sanctorum Orbis ad diem IX. Julii, ubi Cardinalem Baronium ab ejusdem Tillemontii Tom.V. pag.124. criminationibus tuentur: quod & refert V.C.Dominicus Georgius in Annot.ad Martyrologium Adonis Part.I.ad d.diem IX. Julii Romanæ editionis novissimæ pag.325. col.1.

§. XXVII.

SIc etiam pergit Scriptor Actorum Martyrum nostrorum: *Dum vero Legatus Pontius ubique per Franciam imperiale exerceret præceptum, venit ad portum Illyris....* & in Lect.III. n.7.: *Ipsisque de Civitate egredientibus, tantum luctum Illyricus populus præ amore Sanctorum agere cæpit, quod multi eorum vestigia sequentes, cum eis, Romam pariter venerunt*. In adversis autem Notis docti Censores, ita objiciunt: *Portus Illyris.... Illyricus populus, quomodo cohæreat cum Sanctorum historia, non satis concipitur: videri possunt quæ scribit de hac regione Cellarius libr.2. Geographiæ antiquæ cap.8., & quæ ibidem exhibet in Mappa ad pag.346.*

NOTA I.

POrtus Illyris, ut e dicta narratione liquet, locus etiam in Francia erat, quo Imperialis Legatus accesserat, & unde nostri Martyres discessuri, populum mœrore affecerant. Abditus hic locus posteritati mansit, sicuti tot alia manserunt ignota in cæteris Sanctorum Actis memorata, quæ ab ipsis Cl. Bollandianis recensentur, nec tamen eo nomine improbantur, aut refelluntur: profecto diligentiores

quique Geographi in investigandis antiquis populis, qui hanc potissimum Germaniæ partem incoluerunt, aut enunciandis illorum sedibus, magna difficultate laborant, & obscuritate. Nec mirum; quia Romanæ expeditiones, a quibus fere hæc pars historiæ lumen accipit, in Albi, vel Albis flumine limitem, ac finem habuerunt, ut ipse Cellarius monte in Notit. Orb. antiq. libr.II. cap.v., Albisque amnis Hermanus Torrentinus etiam meminit in speculo Poesis a Hieronymo Brusone aucto, & italice edito Part.I. pag.21. his verbis in latinum versis: *Albis flumen est Germaniæ nobilissimum apud antiquos Scriptores celebre, Romanoque Imperio finitimum: in Montibus oritur, qui Bohemiam a Moravia dividunt ....* Ptolemæus de his populis agens, inaudita vocabula nationum affert cum Cellario loco citato: quæ autem super his in Martyrum nostrorum Actis relata sunt, quia præcipue illarum gentium traditione nituntur, lumen etiam peculiare ab ipsa eorundem Martyrum ætate sibi vindicant. Frustra igitur V. C. Joannes Pinius ac literati Socii in dictis Notationibus adversa censura scribunt: *Portus Illyris*; ac n. 7.: *Illyricus populus, quomodo cohæreat cum hac Sanctorum historia, non satis concipitur*: Nulla enim subest, vel ab ipsis cæteroquin doctissimis Viris indicatur ratio, cur memoratus locus, & populus neutiquam cum hac historia cohæreat; nisi arbitrario fingere malimus, Portum aliquem e Dalmatia, sive Illyrico translatum ad Vindelicos, Francosque in Germania, quod plane ridiculum esset, atque absurdum.

Qualecumque id Francorum Germaniæ Oppidum fuerit, nec absonum ideo putandum erit; ab Illyricis fortasse nomen tantummodo sumsisse; si cum Viris æque doctis ac veteris Geographiæ peritis animadvertamus, Illyricorum appellationem ad Germanos etiam Francos olim fuisse protractam, quod unam ipsi haberent originem, una etiam uterentur lingua, diversa tantum dialecto distincta: quod erudite solidisque momentis ostendit Philippus Cluverius in libr.I. Germaniæ antiquæ cap.II., & sequenti: Pagina autem 26. in citato Capite altero, ex libro Appiani de rebus

bus Illyricis satis superque colligi, ait: *Gallos, & Germanos, Illyricosque ab antiquissimis mortalibus pro unius, ejusdemque generis, seu Gentis nationibus fuisse habitos*. Auctores vero gravissimi vetustique, dictis, ac rei nostræ robur addunt: Plinius libr.IV. histor. Natural. cap.XIV. scribit: *Genera Germanorum quinque: Vindelici; quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones*: Et S. Hieronymus Ecclesiæ Doctor in Vita S. Hilarionis Monachi paullo ante medium refert: *Canditatus Constantii Imperatoris, rutilus Comes, & candore corporis indicans provinciam, inter Saxos quippe, & Alemannos gens ejus, non tam lata, quam valida apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur*: In eandem sententiam complures alios Scriptores consulto prætereo: quibus adstipulantur etiam Galli.

Non me latet, Adrianum Turnebum in Adversariorum libro XXIV. cap.XXXVII. de Francorum inquirentem origine, contra sensisse: *Non desunt* [dicit ipse] *argumenta, quibus nec nostros Francos, nec qui in Germania eodem nomine hodieque sunt, alienigenas probemus. Velim enim mihi dicant, cur Ptolemæus, & Tacitus, qui tam diligenter populos, & nationes Germaniæ descripserunt, Francorum non meminerint? Anglos, Longobardos, Burgundiones nominant, Francos nunquam appellant*. At clarissimi Galli opinationem, & argumentum, quod alias rem nostram minime evertit, docte refellit vir acri ingenio ac multiplici eruditione præditus Gaspar Barthius Germanus in libr.XLVI. Adversariorum Commentariorum cap.I., ubi plurium antiquorum Scriptorum testimoniis evincit, Francos revera Germanos esse origine: ipsamque Franciam quondam præcipuam Germaniæ fuisse partem. Ex his etiam perspicuum fit, nostros Martyres, ut infra opportune dicemus, Burgundiones ad Francos Vindelicos Germaniæ pertinere: quorum aperte meminere Plinius, & Ptolemæus, qui longe ante illam ætatem floruerunt, qua Burgundionum nomen & dominatum minus scite vereque ortum fuisse recentiores Scriptores censent: quamobrem hac item ex caussa prolatæ a Joan. Pinio, sociisque in Acta Sanctorum Martyrum censuræ, vanæ prorsus

ſus ac nullius momenti eſſe deprehenduntur. Ut autem res ipſa magis fiat clarior, lubet hic aſſertum deſcribere cit. Cluverii in libr. III. German. antiq. Cap. XXXII., ubi hæc habet: *Jam autem ducentis ante Probi Imperatoris annis Plinius Burgundiones nominavit in Vindelicorum Gente... prope Viſtulam Germaniæ, & poſt Plinium, longe item ante Probi Imperium Ptolemæus. Imo ante Plinium ſexaginta circiter annis Strabo: nam nec ipſe quidem Lipſius dubitavit legendum apud hunc auctorem eſſe* Βυργυντίονας *pro* Μυγίλωνας. Falſum igitur omnino eſt, quod Oroſius libr. VII. cap. XXXII., ac Iſidorus libr. IX. cap. II. & IV. de ipſorum origine tradiderunt, nam ad Albim, & Viſtulam, Vindelicos ſive Vindelinos Burgundiones habitaſſe, auctores memorant; ac de his pari ſententia inter Viſtulam, & Albim Cellarius agit citato capite: Ubi flumen ipſum Albim Romanarum expeditionum terminum in Germania fuiſſe ſcribit. Quæ præcipue loca eorundem populorum ſedes occuparint; & quo uſque ſe ſe extenderint, in tanta literarum, & Regionum obſcuritate nos præterit. Nihil proinde de Sanctis Martyribus noſtris prodit hiſtoria, quod veritati exploratæ non congruat, atque etiam Cellario cohæreat: quem potiſſime Cl. Pinius, ſive Bollandiani ſocii contra ſe ipſos Judicem, vel teſtem evocant. Fruſtra denique illi ad viſendam Germanorum populorum Tabulam apud eundem Cellarium expreſſam nos invitant: Enimvero, ut tantus admonet Geographus libr. II. cap. V. pag. 470. edit. Lipſiæ: *Meræ conjecturæ ſunt, quas ſequuntur, qui in Tabulis ſedes hiſce Gentibus aſſignarunt*: Unde Celſus in Præfat. libr. I. ſcribit, quod conjecturæ vocantur ſomniorum interpretationes; firmantque Plautus Curcul. I. 2. fin., & Cicero in Oratione pro Roſcio Amerino, Dictis addo Brietii ſententiam in Parallelis veteris, & novæ Geographiæ aſſerentis, ſumtam lato ſenſu Illyriam cum Galliis confinia habuiſſe: Cui Cellarius ipſe ſupra memoratus in Notit. Orbis antiqui Vol. I. libr. II. cap. VIII. ſect. V. §. 103. his verbis conſentire videtur: *Liburnia*; *& Hiſtria*, [quæ ſunt Illyriæ Provinciæ] *fere conjunctæ cum Traſpadana erant*. Sicut Julius quoque Cæſar: *Illyricum, quantum tum temporis Ro-*

Romanis [en ante IV. feculum geographia] *parebat, conjunctum cum Cisalpina Gallia tenuit*. Hinc Conyers Middleton in historia Vitæ M. T. Ciceronis, ex Anglorum lingua in Italicam versa, edit. Neap. 1745. Tom. II. pag. 76. lit. b. in adnot. latin. ad ann. V. C. DC. XCIV. sic etiam refert: *Initio quidem Galliam Cisalpinam adjuncto Illyrico lege Vatinia accepit* [idest Cæsar] *mox per Senatum comatam quoque, veritis Patribus: ne si ipsi negassent, Populus & hanc daret. Sveton. 22.*

§. XXVIII.

IN citatis adnotatiobus post verba, quæ paullo ante retulimus, hæc etiam obiiciuntur: *Monasterium hoc nobis est suspectæ fidei ob dicta in nostro Commentario prævio num......*

NOTA I.

DE hujusmodi autem difficultate ab insigni Censore hic repetita in Nota I. & II. §. XVI. fuse egimus, eaque protulimus, quæ eidem depellendæ, ac historicæ illorum temporum veritati enunciandæ opportuna visa sunt, & congruentia.

§. XXIX.

EJusdem Censoris objectio, ita sequitur: *Burgundiones in Gallia nondum erant seculo secundo. In Philippi Cluverii introductione ad Geographiam a Labbeo auctam, & Parisiis editam ann. 1661. libr. 2. cap. 13. sunt ista in rem nostram: eadem tempestate* [*nimirum circa annum Christi* CCCC. *ut paullo ante præmiserant*] *Burgundiones ab ultima Germania* [*pars Cassubiorum parsque Brandeburgentium nunc ea loca tenent*] *cum Vandalis, Svevisque profecti, alias Galliæ partes occuparunt, Regnoque constituto, Burgundiæ nomen de suo imposuerunt, perperam itaque in Compendio Acto-*

Actorum etiam dicitur apud Ferrarium: Simplicius nobili genere natus, ex Burgundionibus ortum ducens in Gallia....

NOTA I.

NUllo merito Ferrarius hic carpitur, qui a pluribus doctis Scriptoribus non uno commendatur, præsertim ab ipsis Bollandianis Sociis in egregio de Sanctorum Christiani Orbis Opere, a Fortunato Scacco in libro de Notis, & Signis Sanctitatis sect.II. cap.IV., & ab aliis. Quamquam vero prima facie non modicam præseferat difficultatem ab dicto Censore objectum de ortu nostrorum Martyrum ex Burgundionibus, ea ratione quod hi, teste Cluverio in cit. Geogr. lib.II. cap.XIII. anno Christi CCCC. ab ultima Germaniæ parte cum Svevis, Vandalisque in Galliam profecti, Galliam ipsam ante id tempus, nimirum seculo secundo, in quo nostri Sancti floruere, nunquam cohabitassent; quapropter, ut arguunt, non potuerunt Christi pugiles ex illorum oriri progenie: nihilominus si Burgundionum originem diligenter perscrutemur, non unam Priscorum, & Juniorum inveniemus sententiam: Nam antiquiores Scriptores, qui forsitan Plinium sequuntur, eos inter quinque principales Germaniæ populos reponunt. Alii e Scytia perinde ac Ghoti, Alani, Longobardique egressos, eam Germaniæ partem occupasse, quam nunc Magdeburgenses incolunt, non inepte tuentur. At nemo, inficias ibit, quam varie de iis recentes historici diversis fulti momentis loquantur. Vir multiplici eruditione præditus Joannes Jacobus Hofmannus in Lexic. univers. histor geograph. Chron., Burgundiones illustrans prodiit: *Hi quondam subjecta inferiori Germania a Druso, & Tiberio per castra dispositi in magnam coaluerunt gentem, ut sub Valentiniano Imperatore octoginta millia ripam Rheni fluminis insederunt*. Vide Paullum Orosium libr.VII. cap.XXXII. Ex Baudrando fuerunt populi Germaniæ sub Vindilis comprehensi, qui agros Ghottorum, & Alemannorum occupantes, postea in Gallias transmigrarunt: Jacobus Spegel in Scholiis ad librum V. Guntheri Poetæ de ge-

gestis Friderici Primi Imperatoris pag.352. tradit: *Burgundiones origine Germanos, idem fere tempus, quo Franci Germani, trajecto Rheno, nomen suum victores Galliis intulere, relictis Burgis, quos incolebant, loca, quae citato libro a Gunthero, & Ottone Frisingensi cap.*XXIX. *memorantur, Gallis ejectis occupasse.* Antonius Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi CCCC. XIII. n.12. scribit: *Burgundiones, qui antea in Germania ad Maenum fluvium erant, sub finem anni Christi* CCCC. VI. *cum Vandalis, Alanis, aliisque barbaris, Gallias fuisse ingressos, suumque in illis constituisse Regnum*; additque contra aliorum sententiam n.14.: *Burgundiones, qui ex Germania prodiere, diversos fuisse a Burgundionibus, qui anno Domini* CCCC. LI. *Attilam Hunnorum Regem in Galliam accedentem sequuti sunt*, de quibus Sydonius Apollinaris in Panegyrico Aviti vers.320.

Getita trux sequitur Scytum Burgundio cogit.

Hi enim, ut cit. Pagius optime animadvertit, Scytae erant, & ultra Danubium habitabant, a Ptolemaeo in Geographia *Frugundiones* appellati: Profecto Burgundiones illi, qui ab Germania prodierunt, & profecti sunt in Gallias, a priscis temporibus sobolem se Romanorum dicebant, teste Amm. Marcellino libr.XXVIII. histor. cap.V.: Nihil proinde cum Scytis commune habuerunt nostri Martyres, neque Burgundiones Germani, Gallisque finitimi, qui, vel ante Burgundiorum apud Gallos constitutum Regnum, commercii militiae, belli, Regionis propinquitate, translatis singularium familiarum domiciliis, vel alia de caussa in vicina Gallia consistere poterant, prolemque habere, & alere, cum Scytis Burgundionibus confundendi.

Alii, ut refert Morerius in Dictionario magno, Basileae gallico idiomate edito anno hujus seculi trigesimo tertio verb. *Burgogne* pag.361. autumant, primam Burgondionum Patriam Galliam fuisse; e Gallia deinde in Germaniam profectos, Vindilis, seu Vandalis se se stricto faedere sociasse, eo quidem tempore, quo pace inita Augustodunenses inter ac Senonenses, nulla de eis mentione facta, Burgundiones ipsi Senonensium metu perculsi, Patria, & domiciliis pro-

priis relictis, Germaniam petiere: Ubi tandiu moram traxerunt, quo usque vel tedio novi incolatus affecti, vel commoti timore aliarum nationum, propriam patriam occupantium, simul cum Erulis, Cavinionibus, aliisque Germaniæ barbaris populis primævum domicilium antiquam versusGalliam perrexerunt: E qua ipsorum exercitu fame ac lue consumto, qui reliqui fuerunt profligati, & a Maximino Augusto Diocletiani socio ejecti, iterum in Germanorum regionem se receperunt, ut ex Claudii Mamertini Oratione Panegyrica in laudem ejusdem Maximini pag.357. aperte evincitur. Tandem prospero favente fato, tertio Galliam invadunt, ac peremptis advenis, Urbes, Terras, atque primæva jura recuperarunt, proprioque Regno constituto, nomen de suo imposuerunt: Quod utique quarto labente Jesu Christi seculo contigisse ultro cum dicto Cluverio fatemur. Profecto e tam funesta clade Burgundionibus sub finem seculi tertii a Maximino in Galliis inlata, facili negotio quisque judicare poterit, quam perperam ipsi Censores, etsi doctrina insignes, arguant, nostros Martyres nequaquam originem suam ex nobilissima Burgundionum Gente traxisse, ea ratione, quod ipsi tantum quarto seculo Galliam tenuerunt; satis enim contrarium patet, tum ex cæde a dicto Mamertino enarrata, [cujus historiam mihi vir doctus Jeremias Zinni Clarissimi Ordinis Prædicatorum Magister communicavit] quæque strages eis inlata fuit in Gallia circa finem seculi tertii, tum etiam quia ante dictum seculum tertium, ipsi Galliam tanquam propriam sedem, domicilium, primigeniamque Patriam habuerunt, quemadmodum ex indicata aliorum Scriptorum sententia apud Morerium præmonuimus. Id ipsum ex Petro a S. Juliano, qui libros duos de Burgundionum origine, Parisiis anno M. D. LXXXI. gallico idiomate vulgavit, licet addiscere, in quibus auctor iste diserte agit de eorum antiquitate ab exitu usque ad regressum in Galliam primævam ipsorum Patriam. Neque nos fugit, quam diversæ epochæ idem Cluverius eorumdem accessum in Galliam affigat; si a citato Morerio discimus, eo tempore, quo Sidonius Appollinaris vixit, nempe anno post Christi ortum

tum cccc. LX. cum cæteris fæderatis populis Galliam Burgundiones insedisse. Quæ quum ita sint, nos pro more longissime absumus, ut quemquam illorum sugillemus, vel quod abhorret a Christiana prudentia, ut initio Dissertationis diximus, quoquo modo traducamus; sed in historicæ veritatis obsequium contendimus, non debuisse eruditos Censores latere, quam imbecille sit argumentum ex uno Cluverio eo in loco nuper allato, non tempus constituti Regni Burgundionum, quod accidit quarto seculo, sed eorum originem, stirpem primævam Patriam, quæ fuit Gallia ante seculum quartum, arguere, indeque nostrorum Martyrum Genealogiam texere: doctissimorum Virorum, quod propugnamus, assero, alia etiam ex parte pondus accedit. De vocabuli siquidem origine non una est auctorum opinio: Glossarium enim ad Scriptores mediæ, & infimæ latinitatis, auctore Carolo Dufresne Domino Du Cange editionis novæ locupletioris Curatæ, opere & studio Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri Galliarum Venet. anno M. DCC. XXXVI. Tom.I. pag.1286. verbo *Burgus*, Causabonus ad Strabonem, cui concinit Sirmundus ad Sidonium, existimant voces Burgundiones, ipsarumque originem petendam esse a Græcis, immo a Macedonibus, & Thracibus *Birgon*, & *Pirchen*, unde dictus est Burgus, quamvis sententiam hanc improbet sæpecit. Cluverius, contendatque vocem esse veram puramque Gallorum, ac Theutonum, penes quos Burgus semper fuit domorum complurium congregatio: Nam etsi apud Latinos, pro turre, vel turrito propugnaculo in limitibus constituto accipiatur; ex locis tamen sumpsit vocem, quia pro limitibus crebra habitacula constituta, Burgos vulgo vocant, unde sunt Burgundiones dicti, facto nomine a nomine Burgi, ut ait auctor Vitæ S. Faronis cap.VIII., & Luitprandus Ticinensis libr.III.cap.XII. *Burgundiones ideo dictos*, putat, *quoniam dum Romani Orbe devicto ex gente hac captivos ducerent multos, constituerint eis, ut extra Urbem domos extollerent: a quibus & paulo post a Romanis per superbiam expulsi, & quoniam ipsi domorum congregationem, quæ muro non clauditur Burgum*

vocant, Burgundiones, quod a Burgo expulsi a Romanis, appellati sunt: Gerard. Joan. Vossius in Etymol. ling. Latin. verb. *Burgi* pag.92., a Burgis quoque Burgundiones nomen accepisse scribit: quod præter Paulum Diaconum, Luitprandum, & alios tradit etiam Isidorus libr.IX. cap.II. & IV.: Jacobus Hofman in Opere paullo ante allegato verb. *Burgundiones*, gentem ipsam a Germanis nomen sumpsisse firmat, quia crebra per limitem habitacula constituta, Burgos vulgo vocant. Si itaque de Burgundionum ipsorum origine, nominis etymologia, mutatis sedibus, tempore primi accessus in Gallias, & de ipso quoque anno, quo præcipuum eorundem apud Gallos constitutum est Regnum, non una est omnium Scriptorum sententia, videant eruditi Censores, quo jure, quaque æquitate soli adhærentes Cluverio de constituto ipsorum Regno seculo quarto, nostrorum Martyrum Acta, omnium primi post hominum memorias, apocrypha censeant, eaque gratis temerare conentur, asserantque ex Burgundionum gente progenitos non fuisse; cum potius ex vocis origine a Græcis, vel Macedonibus, sive a Thracibus existimare æquius fortasse poterant, eorum stirpem, sicut & nomen ab ipsis descendere, illosque domicilium in Gallia ab antiquis temporibus fixisse: quinimmo cum recentioribus exactiori calculo rerum, gentiumque originem perscrutantibus, Burgundionum Patriam, ipsam Galliam agnoscere debebant, neque absurdum putare ex ipsis seculo secundo Martyres nostros in Galliis ortum duxisse; sic sarta tecta, quæ veneranda antiquitas ad nos transmisit monimenta pro viribus tueri potuissent, & quæ de Sanctis nostris per tot vetusta secula, ut sæpe dictum est, tradidit, & prædicavit Celanensis Ecclesia, potiori jure hac in parte intacta relinquere; eodemque nomine de historia sacra peritiori antiquitate præclari generis Burgundionum, Marsis nostratibus, ac literaria republica benemereri. Utilis magnopere, & necessaria est ars critica, sed cum æquitate, & temperamento adhibenda, ne dum plus æquo rigori, & argutiis indulgemus, veritati officiamus. Quæ una impetita via, alia ab eruditis Censoribus prætermissa, vel negle-

neglecta, opportunum præsidium sibi adsciscit, atque tutelam.

§. XXX.

DE *hac Epistola* [addit Censor] *egimus in Commentario num.... Locum hunc incolis indagandum....*

NOTA I.

DE ipsa Pontii Epistola sub trutina posita, in anteactis Notis I. II.& III. §.XVII. fuse pertractavi, quo benignum mitto lectorem: eundem vero locum in relata Notatione lit. H. pro aureo Fonte, ac Piscino, seu Tino Monte designatum, & incolis explanandum relictum, nos alibi etiam, ut vires suppeditarunt, investigavimus, eumque aureum Fontem esse Marsis & Celanensibus notum, sufficienter ostendimus.

§. XXXI.

CEnsor ibidem lit. I: *M. SS. Aversanum Petricini*: *Ferrarius, Pescini*; *In inscriptione metrica, de qua Commentarius prævius num.... Mons Tinus vocatur. Cum vero territorium Celanense Montibus sit frequentissimis, quasi obsitum, in Monte videlicet Apennino jacens*; *ulteriorem ejusdem loci notitiam incolis explanandam relinquimus*: *nisi forte scribendum sit*; *Pescininus, conformiter ad Oppidum Piscinæ....*: Atque postremis hisce verbis critica explicit annotatio: *Personatum hunc esse auctorem indicavimus in Commentario prævio num.....*

NOTA I.

PErperam id Manuscriptum Aversanum prædicari docuimus in Nota I. §.XII., ac de territorio Celanensi, plura etiam antea illustrata dedimus, atque digesta. Neutiquam vero

vero Pisicinus Mons, passim alibi, & in antecedenti paragrapho nominatus, a Pisicinæ Marsorum Oppido, *Pescininus*, ut Censores autumant, appellari debet: Quoniam ejusdem novæ Civitatis fines Marsis liquido patentes, Celani territorio minime hærent: Unde Mons ille non Piscininus, cujus nomen populi nostrates, qui fabellam hanc amplecti nolunt, haudquaquam somniarunt, sed revera Pisicinus aut vulgo & communiter Tinus ex sæpe dictis, appellatus est. Piscina equidem Celano recentior, ac in Phæbonio de Marsor. histor. pag.271. & Reg. Marsic. Part.I. pag.262. 369. 476. 679. memorata, Oppidumque a Baudrante dicta in Geograph. Tom.II. pag.113., tribus milliariis ab ipso Celano ad Fucini Lacum distat; ideoque Aug. Lubin natione Gallus de Abbat. Ital. pag.229., eam Celanensi Comitatui parere, ut impræsentiarum quoque paret, scribit: Celanum autem in Pisicino Monte, Fonteque aureo, ex nostrorum Martyrum Passionali libro superius allatum, consìdet: Nec in re satis aperta, & Marsis perspicua diutius immoramur.

§. XXXII. ac ULTIMUS.

OPeri ad Dei gloriam, & Sanctorum Martyrum honorem in finem perducto; novissime totius Dissertationis Corollarium adjicio, ut res universe excepta, compendio facilius Lectori pateat. Quum autem laudata nostrorum Martyrum Acta, veluti genuina, & fide digna propugnaverim, quod ad fundum, ut vocant, & principem partem spectat historiæ, ideo etiamsi antiquorum forte amanuensium erroribus, vel temporum injuria, ut sæpe dictum est, alicubi labefactata viderentur, amplectenda tueor. Quæ in ea dubiæ fidei, quæ sincera, quæ denique opportuna, & congruenti explicatione indigent, paucis pro re nata aperui, meamque de singulis, ut objecta refellerem, patefeci sententiam. Huic enim nixa fundamento Celanensis Ecclesia prudenter Acta illa in Lectiones divisit, Præsulibusque sacris comprobantibus, multorum seculorum spatio inter Divina Officia recitavit, annuo tantorum Martyrum recurrente

te Festo. Hinc complures Viri docti ex antiquo Codice M. S. ejusdem Ecclesiæ ea inscribenda curarunt, & cum aliis libenter communicarunt, ut sacro hujusmodi Monumento ad Dei gloriam, ipsorumque Sanctorum perpetuum decus opportune utentur.

Quod autem de hujusmodi exemplaribus a mendis purgandis Scriptores dicunt, & quæ non solum historicos, & Sanctos Patres, verum etiam hagiographos humana ignavia seu hominum malitia invexit, hic meus sermo non est, cum omnibus exploratum sit, quantum præcipue hisce ævis nobiliora ingenia in hoc negotio insudent: Verum tantummodo de aliquibus verba facere autumavi: Quoniam & ipsa Concilia, Actaque Sanctorum, etsi in aliquibus mendosa visa fuerint, non inde in totum ab omnibus rejecta, sed a quibusdam apocrypha habita, ab aliis ut genuina sunt agnita. Profecto Summus Pontifex Nicolaus Primus, nonne Epistola ad Michaelem Græcorum Imperatorem & Cardinalis Baronius ad annum ccc. III., Concilium Sinvessanum [nunc Campaniæ Oppidum] ejusque Acta ut vera & germana, licet aliquot erroribus vitiata, admittunt? Conciliumque Eliberinum, de quo Battaglinus in historia Conciliorum pag.29., nonne verum est habitum, & habetur, etsi Canon contra sacras Imagines eidem falso ab hæreticis attributus, confictus, & suppositus sit juxta cit. Baronium, ceterosque Scriptores, licet alii aliter sentiant? Quis, amabo, unquam dixit, Concilium Œcumenicum Nicænum in Bythynia sub annum ccc. xxxv. celebratum, assistentibus in eo Legatis S. Silvestri Papæ, apocryphum esse, eo quod pro certo non habeamus inibi Præsidentem fuisse Osium Cordubæ Antistitem, vel quia nec Patres Africani neque Atticus Constantinopolis & Cyrillus Alexandriæ Episcopus recognoverint eidem Concilio adtributum Canonem de Appellatione ad Romanum Pontificem, ut censebat Zosimus in suo ad Carthaginense Concilium commonitorio?

Æquum hoc judicium jure potissimo Acta nostra sibi vindicant objectorum ab adversis Criticis conditione perpensa: Hujusmodi siquidem, ut late hactenus vidimus, ut non

non una via facile refellantur: neque historiæ obsint, sed potius prosint. Amamus & suspicimus artem criticam: Sed abusum improbamus & refellimus. Excutiamus vetera monumenta; errores detegamus & improbemus, recentis ævi additamenta detegantur, dubia & obscura enodentur: At vera cum falsis, certa cum dubiis, nullo rerum facto discrimine, ne condemnemus. Non careant justa censura fallaciæ, sed suum stet pretium veritati.

Si enim licuit Jacobo Gretsero S. J. Vitam S. Chunegundis ex membranis Monasterii Rebdorffensis descriptam augere, corrigere & notationibus illustrare; Surio S. Archadii Martyris per Sanctum Zenonem Episcopum Veronensem conscriptam ad Mensem Januarii pag. 173. locis non paucis emendare, sicut & Baronio in Annalibus Tom. IV. ad annum CC. LXX. Acta S. Valentini Præsbyteri & Asterii corrigere, necnon ad ann. CCC. XI. & CCC. XVI. Martyrium S. Blasii Episcopi ex Metaphraste haud in singulis circumstantiis & capitibus sincerum agnoscere; non inde laudati Scriptores Acta illa absolute rejecerunt, omniaque promiscue veluti falsa, conficta, spuria nullaque fide digna contempserunt. Eccur doctissimi Censores, demptis iis, quæ absona ipsis visa sunt & congrua, cætera præcipue essentialia [ut vocant] publicæ luci absque hæsitatione non mandarunt. Si hoc tot Viris doctissimis gravissimisque licuit, cur jure pari gaudere non debet Marsorum Ecclesia in caussa non dispari? Ne sic saltem vetustissimus Celanensium & Marsorum erga Sanctos cultus, firma fides atque devotio tepesceret. Certo mihi semper grata fuit ea scribendi ratio de Sanctis, quorum præcipue immemorabilis est observantia, ut e medio ablatis antalogiis & fabellis, quas in ipsorum Acta obrepere potuerunt vel minus scite addere amanuenses barbarique viventes ætate homines, alia cæteroquin præcipua veritati consona, nec non pietati, religioni, ac sanctitati non uno faventia nomine, ubi de gloriosis agitur Sanctis pro Christo passis in Ecclesiæ primordiis, quorum adamussim notitiam nunc habere non possumus, prælo committere, ab injustis vindicare objectis notisque illustrare. At non ideo tam excors sum, ut omnes

omnes difficultates ab erudito Censore in Acta nostra propositas, flocci faciam & contemnam, quin etiam suam illis tribuo laudem eximioque auctori honore servato, ita illas refellendas suscepi, ut unice veritati eo animo; & quo Christiano homini licet modo sim obsequutus. Cæterum quæ in hac qualicumque Dissertatione cum Episcopali ministerio inter assiduas Gregis curas gravesque vigilias, ingravescente etiam ætate pro viribus, nec sine labore collegi; ea profecto insignium doctrina hominum censuræ libenter submitto: Eosque deprecor, ut si quid contra exciderit, emendatum & indictum me faciant vel docere non prætermittant; quia malo ab ipsis discendo proficere, quam inutili pervicacacia tumescere aut falsam propugnare sententiam: Alto enim infixa sunt animo Apostoli verba ad Corinthios I. Cap.x.: *Prudentibus loquor: vos ipsi judicate, quod dico*: Et II. ad Timotheum II.: *Quæ audistis a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus ...: Noli contendere verbis ...: Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita: sciens, quia generant lites*. Faxit Deus Optimus Maximus, cujus nutu Cælum, Terra, & Maria, hominesque reguntur, ut quæ de suis Sanctis conscripsimus, ad majorem ipsius gloriam, & Christifidelium, præsertim Marsorum utilitatem cedant. Nos autem, qui in Martyribus nostris tam præclara virtutum exempla spectamus, & illustrare cum historia conati sumus, veræ Fidei constantiam & flagrantissimæ charitatis ardorem imitemur: Ut quorum gesta celebramus in Terris, præsidium quoque mereamur in Cælis. Opusculum porro licet exiguum, Summo Numini, e quo bona cuncta procedunt; iisdemque Sanctis, Celanensium apud ipsum Patronis, loco auri, & argenti demisse offerimus, memores præclaræ sententiæ S. Hieronymi in Prolog. Galeat. Sacror. Biblior.: *In Templo Dei offert unusquisque quod potest: alii aurum & argentum & lapides pretiosos ... nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos, & tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat....*: Quid quid in Opusculo dictum est, eo modo accipiatur, quo Urbanus VIII. Pontifex Ma-

 ximus

ximus ab iis, qui de sanctis hominibus scribunt, pronunciari jussit peculiaribus decretis editis anno Domini M.DC.XXIV. M. DC. XXX. & M. DC. XXXIV. Universaque supremo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio subjecta esto: Quam jure meritoque Apostolus in Epist.I. ad Timotheum Cap.III.: *Columnam & firmamentum veritatis* appellat: Et Cæl. Lactantius Firmianus in libr.IV. Divin. Institut. Cap. ult. Fontem Veritatis, domicilium Fidei pronunciat & prædicat. Itaque

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit.



AP-

APPENDIX I.

ERUDITIONUM ALIQUOT, ET MONUMENTORUM.



IC autem ne ambigas, quin etiam in præcipua Martyrum nostrorum pluries memorata solemnitate, lampades & cerei multi accendantur, & Sacri de more in signum lætitiæ canantur Hymni, nam ait S. Joan. Chrysostomus homil. IV. ad Hebræos: *Dic mihi, quid sibi volunt istæ lampades tam splendidæ? ... Quid etiam Hymni? Nonne ut Deum glorificemus & ei gratias agamus, quod jam coronavit discedentem, quod a laboribus liberavit? Quod a timore liberatum apud se habet? ... Nonne propter hoc psalmodia? Omnia hæc gaudentium sunt*. Quæ semper acta habemus ad fugandas tenebras optimosque Decessores illustrandos, quibus ab antiquis Fidelibus hujusmodi cerei accensi sunt eorumque monumentis inlatæ lucernæ; præstaruntque vetusti Christiani cunctis quoque Martyribus ex S. Hieronymo adversus Vigilantium & S. Athanasio in Orat. de Fidel. defun. apud Sanctorellium in Postpraxi Med. Cap. XLVII. pag. 157., ac longe ante id mandatum legimus in Levit. Cap. VI. vers. 12. ad Exod. XXVII. „ Unde is auctor „ pag. 159. ait. Quamobrem cum Viri virtutibus clari sint „ tales, de quibus dixit vera illa lux, quæ omnem homi- „ nem illuminat: Vos estis lux Mundi .... Sic luceat lux „ vestra coram hominibus, ut videant opera vestra & Pa- „ trem vestrum glorificent; horum sepulchro lampades suf- „ pendendi, cereive accendendi, nempe face præ cæteris „ digni sunt, qui facem prætulere virtutis. „ Et quia defunctorum omnium corpora debent in sepulchro quiescere, olim pariter factum est ut Requietorium fuerit a veteribus dictum, teste Ant. Sanctorellio loc. cit. Cap. XXVI. pag. 81. col. 1. Cultum autem religiosum beatis hominibus tantum adhibitum fuisse, contra Phereponum defendit Lud. Ant. Mu-

Muratorius sub nomine Lamindi Pritanii de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio libr.III. Cap.XII. Et quod Sanctorum Martyrum Corpora antiquitus in Christianæ Religionis primordiis solummodo in sacris Ædibus condita fuerint, aliorum vero Fidelium prope sacras Ædes vel in Cæmeteriis tumulata refert Bernard. Ramazzinus in Tract. de Morbis artificium inter ejus oper. omn. Med. Tom.I. cap.XVII. pag.37.

His itaque insertis, ad Martyrum nostrorum nonnulla Monumenta devenio; nam sicut antea in Nota VI. §.XX. circa finem polliciti sumus, Præsulum etiam exterorum Testimonia ad scopum pertinentia hic damus: quæ inter, optimum locum obtineat Epistola Viri doctissimi Ferdinandi Guiccioli ex Monacho Camaldulensi Ravennatis Archiepiscopi, qui a nobis consultus in hæc verba respondit, ex italico sermone latine reddita: *Illustrifs.ac Rev.D....: Quantum honoris recipio ex D.V.Illustrifs. mandatis, tantum afflictionis habeo, me haud posse illis annuere: Cum enim pluries perquirere fecerim hujus Civitatis Historicos & Archiva de negotio in tuis Literis contento, spem omnem diligentia abjecit; quoniam post illam nullum prorsus documentum ex petitis inventum est, nec itidem aliqua memoria comperta de antiquo transitu, & Miraculis a Sanctis Martyribus Simplicio, Constantio, & Victoriano in hac Urbe olim patratis. Quæ omnia deperdita fuisse existimo ob vetustas rerum Urbanarum turbationes, aliaque gravissima infortunia, sive incendiorum sive inundationum, vel depopulationum calamitates, quibus hæc Civitas, notum est, pluries obnoxia fuit. Utcumque sit mihi valde displicet, parere D. V. Illustrifs. mandatis non posse totoque animo in spem adducor, haud me deinceps aliis inutilem esse; nam ipsa dum effiagito, tuas devote exosculor manus: D.V. Illustrifs. & Reverendifs.: Ravennæ 13. Martii* M. DCC. XLVI. *Præsuli P. A. Episcopo Sulmonensi: Addictifs. & obligatifs. Ser. D. F. R. Archiepiscopus Ravennæ.* Ab amici tamen responso caussam didicimus, cur Hieronymus Rubeus ejusdem Civitatis Historicus ab Ughello Ital. Sacr. edit.2. Tom.II. col.326. nominatus, dictorum Martyrum Ravennæ operata pro-

prodigia, & in Actis nostris recensita omiserit; nempe ut idem Præsul in relata Epistola scite suspicatur, ob iniquorum temporum barbariem & alias turbationes, quæ omnia fere monumenta delerunt partamque illius gloriam expunxere.

Quod insuper annuo Monimentum, nobiscum communicavit Cl. & doctissimis Præsul Ludovicus de Valentibus Prothonotarius Apostolicus & Fidei Promotor morumque probitate conspicuus, e Congregationis Sacrorum Rituum Tabulario promptum: Auctorem vero habuit Petrum Franciscum de Rubeis I. C. præstantissimum, qui medio fere elapso Jesu Christi seculo id munus laudabiliter gessit. Laudatur itaque in Vita Innocentii X. a Continuatoribus Vitarum Romanor. Pontif. Barth. Platinæ Part.II. edit. Ven. 1730. pag.756. & ab aliis: Sed quoniam ævo tale Scriptum emanarit, cum in exemplari dies & annus deficiant, tempus latet præcipuum: Hæc tamen verba Martyres nostros inibi tangentia leges: *Marsorum. Promotor Fidei non potest assentiri, ut auctoritate Congregationis Sacrorum Rituum Typis Impressoris in lucem sub Sanctorum Martyrum & Confessorum nomine edantur Vitæ non descriptorum in Martyrologio Romano, quum ab ea non debeat quicquam decerni, quod non sit authenticum per se seu prævia juridica discussione Causæ legitime auctoratum: Nec ideo potest pro solida veritate statuenda tuto pedes figere in additis prædicto Martyrologio ...: Quare ne Congregatio dicatur approbasse ea, quæ non fuerunt coram ipsa juridice probata & discussa, quoad non descriptos in Martyrologio Romano, Postulatoribus respondendum videtur, ut si velint ejus approbationem obtinere, legitime doceant, se quoad Cultum versari in aliquo ex casibus exceptis, vel per Indulta Summorum Pontificum vel Decreta ipsius Congregationis vel ex immemorabili ...; quapropter Promotor, non obstantibus replicatis adversus primas ejus animadversiones, perstitit in jamdictis, quod scilicet in Martyrologio Romano sint tantum descripti: Rufinus Episcopus Marsorum 3. Idus Augusti pag.393., Cæsidius Presbyter pridie Kalendas Septembris pag.431., Simplicius Pater, Constantius & Victoria-*

Ctorianus ejus Filii ſeptimo Kalendas Septembris pag.421.: Et Bonifacius Papa IV. octavo Kalendas Junii pag.257., aſſerendo de Reliquis, uti non deſcriptis in eo; nil ab ipſa Congregatione approbandum eſſe. Petrus Franciſcus de Rubeis Promotor Fidei.

Alia mox ſequuntur doctiſſimorum Præſulum in rem noſtram Veritatis Teſtimonia, & Virorum aliquot dignitate vel doctrina inſignium documenta, quæ in Sulmonenſi Epiſcopali Tabulario cuſtodiri voluimus: Eorumque primum hodierni Marſorum Antiſtitis in Nota VI. §.XX. opportune latum, hic non cenſeo iterandum: Quod autem leges olim Aquilani, nunc Stabienſis Epiſcopi, latine redditum hoc eſt: *Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domine ....: Summopere gaudeo, pium ac eruditum calamum D. V. Illuſtr. velociter intendere ad Glorioſorum Martyrum geſta clarificanda, quorum Simplicii, Conſtantii, & Victoriani Corpora recolendi & venerandi cauſſa, paucis ab hinc annis ad Inſignem Collegiatam Eccleſiam Celani apud Marſos me contuli Veritatem fateor: pietas illius gentis exemplum mihi admirabile præbuit: ſiquidem attente perſpexi, quod Reliquiæ dictorum Sanctorum magna Veneratione & proprietate habeantur: Nam tribus illæ in Thecis argenteis pulchre & maximo ſumptu locatæ quieſcunt. Sed illud mihi magis placuit & mirum fuit inſpiciendo, quod omnes illi Cives pari devotione ac fiducia eoſdem Martyres proſequebantur; ut merito eorum interceſſione ſe ſe a terræmotus excidio incolumes evaſerint, qui tunc temporis plurium Menſium intervallo ſæpius illis in locis terribiliter audiebatur. Imo cum obſervaſſem quotidie, pulſata quadam campana, omnes humi genua flectentes preces fundere, talis rei cauſſam quæſivi mihique reſponſum fuit, quod eo ſigno omnes Celanenſes qualibet die ter Dominicales Orationes totidemque Angelicas Salutationes in honorem trium ipſorum Sanctorum Simplicii, Conſtantii, & Victoriani ſingulis diebus recitare ſolebant ... D. V. Illuſt. & Rever. Aquilæ* IV. *Februarii* M.DCC.XLVI.: *Addictiſ. .... Joſeph Epiſcopus Aquilanus.*

Joſeph Coppola ex Congregatione Oratorii, Dei & Apoſtolicæ

ſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Aquilanus; eidem Sanctæ Sedi immediate Subjectus Regiuſque Conſiliarius: Univerſis & ſingulis has noſtras literas inſpecturis, veram indubiamque fidem facimus atque teſtamur, qualiter nos elapſis annis M.DCC.XLIII. *Celanum Marſorum Diœceſis, noſtræ huic ditioni vicinioris, acceſſimus ibique ſacra Oſſa SS. Martyrum Simplicii, Conſtantii, & Victoriani, quæ in tribus Thecis argenteis ſpectabili ornamentorum genere decoratis cryſtalliſque contectis apud Inſignem Collegiatam Eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ ſub Ara majori præcipua veneratione ſervantur humiliter coluimus, quo quidem tempore a Cleri ſenioribus cæteriſque probis Viris ætate gravibus audivimus, priſcis etiam ſæculis illorum Martyrum Cultum tam in Eccleſia veteri S. Joannis Evangeliſtæ nunc fere collapſa, quam in d. Collegiata Celani magni habitum fuiſſe, ac Deum Optimum Maximum eorundem interceſſione devotis fidelibus, præcipue Celanenſibus gratias elargitum eſſe, atque vera Fide interceſſoribus aſſiduo elargiri. Ab iiſdem quoque Celanenſibus erga hos Divos ſumma devotione flagrantibus in diem ad ſonitum magni illius Eccleſiæ tintinnabuli ter Dominicalem orationem, totidem Salutationes Angelicas in dictorum Martyrum honorem flexis genibus pie recitari obſervavimus: Eorumque Feſtum quotannis die* XXVI. *Auguſti inibi Civium, & aliorum concurſu, magna devotaque pompa celebrari: In quorum.... Datum Aquilæ die* XIV. *menſis Februarii anno* M. DCC. XLVI.: *Joſeph Epiſcopus Aquilanus. Nicolaus Gianſante a Secretis.*

Michael de Palma U. J. D., Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus & Comes Teatinus, Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI XIV. *Prælatus Domeſticus ac Pontificio Solio Aſſiſtens. Univerſis & ſingulis præſentes has noſtras Literas inſpecturis, ex certis nobis datis notitiis teſtamur, Celani apud Marſos ſub Ara Majori Inſignis illius Collegiatæ Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Sacra Oſſa adſervari SS. Martyrum Simplicii, Conſtantii, & Victoriani in tribus diſtinctis ornatiſſimis argenteis Thecis repoſita, ibique magna Fidelium veneratione quotidie coli, maxime vero in eorum Feſto die* XXVI. *Auguſti, ſub quo de his meminit Martyrologium Romanum;*

manum; ac demum quamplurimas in dies Deum Optimum Maximum eorum intercessione, ut fama est, devotis gratias impertiri. In quorum fidem .... Datum Teate ex nostro Palatio Archiepiscopali hac die IV. *Martii* M. DCC. XLVI.: *Michael Archiepiscopus & Comes Teatinus: D. Ignatius Tull. Pro-Secret.* Nostro ævo Vincentius e clarissima Gente Capycia Archiepiscopus Comes Teatinus, & candidis moribus ornatus, memoratum Servum Dei Lælium Serichium ad Sanctum Evangelium gregi suo nunciandum, teste Galluccio in cit. Vita edit. 2. pag. 52. 135. 136. sibi adjutorem adscivit, eosdemque Martyres demissa prosecutus est observantia. Verum enimvero, an ille Urbem quandoque petendo ac per Marsos transeundo, Sanctos illos inviserit, mihi certo non liquet. Attamen Philippus Valignanus Patritius Teatinus, generis nobilitate item conspicuus, ex Clarissimo Prædicatorum Ordine Capycio datus Successor Archiepiscopus, & S. M. Innocentii XIII. Consobrinus, præteritis annis occasione pari quum Celanum esset profectus, sacra Martyrum Lipsana fuit veneratus.

Nos Cajus Asterius Toppi J. U. D. ex Marchionibus Turris gentilis, Teatinus Patritius ejusdemque Metropolitanæ Ecclesiæ prima & unica post Pontificalem Archidiaconali Dignitate insignitus, necnon Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Milevitanus Capitalis Provinciæ Numidiæ: Universis & singulis nostras Testimoniales inspecturis ex auctoritate Romani Martyrologii, aliorumque spectabilium Scriptorum, fidem facimus ac libenter in Domino testamur, Celani Marsorum Diœcesis in Ecclesia perinsigni Collegiata Divi Joannis Baptistæ, sacras Reliquias SS. Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani diu in tribus distinctis Ostensoriis ex argento compactis inclusas piissimo Cultu semper venerari, dum miris a Divina pietate meruerint decorari prodigiis & in eorum peculiari solemnitate die XXVI. *mensis Augusti, prout satis compertum est, quotannis ad Majorem Omnipotentis Dei & Christianæ Religionis decus Fideique Catholicæ incrementum ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltationem Sanctorumque suorum venerationem atque cunctis demiran-*

mirantibus, Tutelares esse mirabilibus beneficiis.... Datum ex Episcopali Palatio nostræ solitæ Residentiæ Teatinæ die V. *mensis Martii* M. DCC. XLVI. *Cajus Asterius Episcopus Milevitanus: I. Broise a Secretis.*

Sequens vero Epistola Præsulis quoque doctissimi Antonii Antinori Aquilani, & Archiepiscopi Anxanensis, ex italico sermone latine reddita, hæc est:

Illustriss. ac Reverendiss. Domine ....: Quid ipse sentiam de SS. Martyrum veneratione, Celani in eos tanquam Protectores habita, omnes sciant, quod anno M. DCC. XXVII. *eò me contuli, ut breviter mense Augusti inibi degerem: ideoque contigit mihi illorum Festum videre, quod septimo Kalendas Septembris fuit celebratum: Ipsorumque nomina cum tali occasione quæsivissem, illos a Clero audivi, SS. Simplicium, Constantium, & Victorianum vocari. Perspexi etiam id solemniter fuisse celebratum populi nedum Celanensis, sed exterorum concursu: & variorum generum oblationes plurimas, quæ ad solemnitatem illam spectant, vidi & miratus sum. Fuitque pariter mihi relatum, quidquid tunc agebatur, quotannis ea die fieri assuetum esse omnesque una voce magnam devotionem erga ipsos narrabant. Hac siquidem opportunitate eas Reliquias, quæ venerationi ostenduntur illoque tempore per vias solemniter deferuntur, unice sum veneratus: Ut autem melius certior fuissem, illorum Acta expetivi, sed responsum accepi, quod videnda erant in Mutio Phæbonio Marsorum historico, qui eorundem vitam scripserat. Hoc mihi evenit relato mense & anno: sed ignotum minime nunc est, tantam Solemnitatem celebratam fuisse modoque ut supra celebrari, & Locorum varias gentes Celanum ad dictorum Sanctorum adire venerationem. De ipso igitur enunciato Cultu, quemadmodum omnes testes sunt, sic ego, qui tunc adfui signaque maximæ devotionis aspexi, impræsentiarum testis quoque esse possum ac æque sum....: D. V Illustriss. & Reverendiss.: Anxani* XVI. *Martii* M. DCC. XLV. *Devotiss. obligatiss. Servus & Frater. Antonius Archiepiscopus Anxanensis.*

Augustinus Giannini, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia

 Epi-

Episcopus Litteren.: Universis & singulis has præsentes nostras Attestationis Literas inspecturis visuris atque lecturis notum facimus testatumque volumus, Nos per transitum a Præpositura Celani ad Episcopatum Venusinum Illustriss. & Reverendiss. DD. Petri Antonii Corsignani Patritii ejusdem, Viri doctissimi & Prædecessoris nostri in Præpositura prædicta, fuisse a S. M. Benedicto XIII. Pontifice Opt. Max. decoratum dicta Præpositura, prima & unica Dignitate Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Celani prædicti Marsorum Diœceseos, cujus meminit Ughellus in sua Italia Sacra, Caput, dicens, Celanum septuaginta Oppidorum præfatam Marsorum constituentium Diœcesim, cujus causa Corpora SS. Christi Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani Filiorum ejus in Insigni antedicta Collegiata Ecclesia existentia, quam sæpissime debitis obsequiis venerati sumus, imo etiam notum sit, Festis diebus vulgo dictis Sanctorum Martyrum Celani, nedum a finitimis Regionibus & Diœcesibus, verumetiam a longinquis & dissitis populis multitudinem accurrisse ad pias dictis Sanctis Martyribus maxima devotione fundendas preces ac vota persolvenda, & innumera a Deo præfatorum SS. Martyrum intercessione diversis temporibus patrata fuisse Miracula, non semel evenit; proinde ad majorem Dei gloriam & prædictorum Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii, Victoriani venerationem & devotionem augendam, has præsentes fieri mandavimus, nostris subscriptione & sigillo munitas. In quorum fidem .... Datum Graniani die XXXI. *mensis Martii* M. DCC. XLVII. *Augustinus Episcopus Litteren. Petrus Jacobus Canonicus Scafato a Secretis.*

Agnellus Fraggianni Sacræ Theologiæ Doctor, Patricius Lucerinus, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Calvensis, Abbas perpetuus Sancti Vitaliani, Baro Castri Rocchettæ Sancti Mauritii ac Regius Consiliarius. Cunctis ubique has Literas perspecturis indubie testamur, qualiter nos occasione Regiminis sanctæ Venafranæ Ecclesiæ prope Samnium & Aprutium, ex qua ad hanc Sedem translati fuimus atque alias nostri præteritis annis accessus ad dictum Apru-

Aprutium & Valvense Sacerdotium in finibus Marsorum, necnon ex certis Scriptorum notitiis, perspicuum semper fuisse audivimus, apud Marsos in eodem Aprutio vetustos populos ab antiquissimis sane temporibus Sacra Corpora, seu Ossa Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani pie venerari; ipsorumque Martyrologium Romanum ad diem XXVI. *mensis Augusti meminisse non ignoramus; eaque præsertim coli in Insigni Collegiata Ecclesia S. Joannis Baptistæ Celani Marsorum principis ac olim Nullius cum nobili Collegio Præpositoque Mitrato, ut ait Phœbonius in Marsorum historia pag.*234. *cum Ughello Ital. Sacr. Tom.*1. *edit.*2. *col.*883., *magnaque ibidem tales Reliquias, Civium & exterorum devotione custodiri, tribus nempe distinctis in thecis argenteis: Festum solemniter dicta die* XXVI. *Augusti quotannis celebrari notum est: Celanenses vero cæterosque fideles devotos præcipuas & assiduas gratias ab Omnipotenti Deo, ipsorum Martyrum intercessione, quavis in egestate crebro ac semper obtinuisse modoque passim, ut longe quoque fama est, obtinere nos non latet. In quorum fidem has præsentes testificationis literas fieri jussimus, nostra manu subscripsimus nostroque solito sigillo signavimus .... Datum Calven. in nostro Episcopali Palatio hac die* XIII. *mensis Aprilis* M. DCC. XLVII. *Agnellus Episcopus Calven. D. Nicol. Schiuma Secr.: Reg. fol.* 79.

Fabricius Borgia, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Sanctæ Ferentinæ Ecclesiæ Episcopus SS. D. N. PP. Prælatus Domesticus ac Solii Pontificii Assistens. Universis & singulis .... fidem facimus & testamur, quod cum superioribus annis ad invisendos Marsos pergeremus & in Avezzani Oppido essemus, multa audivimus de Miraculis SS. Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani, quorum Corpora quiescunt in Insigni Collegiata S. Joannis Baptistæ Celani, quod Marsorum est Caput; ideoque nos contulimus, & in eadem Collegiata dd. SS. Martyrum Sacra Corpora venerati sumus magno animi nostri solatio; indeque obtentis eruditis libris ab Illustriss. & Rev. D.P.A. C. editis, olim Venusino Episcopo, & ad præsens Valvæ ac Sulmonis dignissimo Præsule, plu-

pluries perlegimus historiam, & Vitas dd. Sanctorum, tam apprime exaratas veritatique consonas, ut nec minimum quidem de narratorum identitate, & prælaudatis Martyribus, eorumque Corporibus dubium nostram venerit in mentem. In quorum .... Datum Ferentini ex Episcopio .... decimo octavo Kalend. Martii M. DCC. XLVII.: *F. Episcopus Ferentinus. Jac. Rastelli Secr. Episc.*

Illustriss. & Reverendiss. D....: Ob quam grata, quamque fuit mihi Epistola tua, Præsul Illustriss., in qua consulis vetulum octoginta septem annorum antiquum famulum tuum ....: Sed plus de calamo tuo benemeritum. In qua a me testimonium oculatum requiris circa Miracula imo prodigia patrata a Sanctis Martyribus Simplicio Patre Constantio, ac Victoriano ejusdem Simplicii Filiis, Patronis ac Tutelaribus ab immemorabili Celani nobilissimi in Diœcesi Marsicana Provinciæ Aprutinæ siti; Testificor imo veraciter confiteor coram Deo ac omnibus Fidelibus & Sanctis ejus credentibus & coram Te, Illustriss. Domine; quod non solum perlegi in Actibus seu Tabulis Ecclesiasticis & in antiquissimis traditionibus Acta & Martyrium supradictorum Martyrum; & hoc in occasione prædicandi eorum laudes in eorum Festivitate die XXVI. *Augusti eorum Gesta mirabilia rudi stylo pro mea imbecillitate, concurrentibus finitimis populis & Civibus omnibus patefeci; sed quod majus testimonium, quam visio propriorum luminum? Ego enim cum exercuerim in Monasterio S. Angeli de Celano per quinque annos officium Vicarii ac per annos tres Dignitatem Abbatis, in omnibus angustiis hisce temporibus occurrentibus tam horribilium terræ motuum, morbis epidemicis, fructuum terræ sterilitatibus, bellorum incursionibus, vix ad sepulchrum dictorum Sanctorum Martyrum recursus factus fuit a populis dicti Loci ac ejus propinquis, statim eorum preces a Deo exauditæ fuere & nullum patiere detrimentum. Merito igitur a gratissimis Civibus eorum Reliquiæ tam decenter asservantur, tam nobile Templum excitatum cernitur, tam assiduo ac devoto servitio a Canonicis exemplariter viventibus honorantur. Quapropter sat dignum fuerit, ut dictum Locum ob majus dictorum Martyrum*

tyrum

tyrum decus, in Civitatem antiquo splendore iterum fuerit conversum: Ita sentio ita attestor ita confiteor in hac pagina coram Te, Præsule Illustriss., ac omnibus hominibus eam legentibus, quam proprio caracthere scripsi & subscripsi ac peculiari sigillo obsignavi. Datum Neapoli XXV. *Martii* M.DCC.XLVII.: *Illustriss. ac Reverendiss. Domin. Tuæ: Humill.....: D. Maurus Zaccagna Mitratus Abbas Cælestinus.*

D. Cælestinus de Letto Abbas Mitratus S. Angeli de Celano in Marsis Congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti....: Universis..., has Literas inspecturis sive lecturis attestamur veramque fidem facimus, in antiqua Insigni Collegiata Ecclesia S. Joannis Baptistæ Celani, quæ etiam Paræcia est, ac proprie sub Ara majori pie custodiri & percoli mirificas Reliquias vel ut communiter dicunt Corpora Sancta Divorum Simplicii Constantii & Victoriani Christi Martyrum, reposita in tribus divitibus Urnis argenteis inter se distinctis, optimis ornatibus crystallisque munitis: ac eorum Festum die XXVI. *Mensis Augusti magno populi concursu maximaque devotione quotannis celebrari cum publica supplicatione RR. DD. Præpositi & Canonicorum dictæ Ecclesiæ, ut in solemnioribus paratorum aliorumque Sacerdotum ac etiam exterorum sacra pignora supra dorsum tunc portantium atque Religiosorum omnium quinque Cænobiorum hic exsistentium, nec non Magistratus & Celani nobilium totiusque Urbanæ militiæ cum pluribus Celanensis Arcis ea die explosionibus: Testamur insuper dictorum SS. Martyrum Cultum ibidem, ut a senioribus unanimiter nostra septuaginta trium annorum ætate audivimus & e nota vetusta fama, antiquissimum & publicum esse, ac proinde omni tempore annorum viginti unius incolatus hic nostri & Abbatiali Officio, quo immerito fungimur, hactenus narrata & perantiqua miracula, quæ una voce constanter audivimus & recentia, quæ vidimus, ab Omnipotenti Deo ipsorum Martyrum intercessione Celanensibus cunctisque devotis in quavis egestate fuisse patrata: namque siccitatis tempore aut ex imbrido Cælo pluvia nimis cadente & agros frugibus copiosos inundante, in novissimo ter-*

terræ motu, in morbis aliisque iræ Divinæ flagellis, vix gloriosorum Divorum Martyrum sacra Lipsana publicæ Fidelium venerationi eadem in Celanensi Ecclesia exponuntur, quod omnibus pænitentia expiatis, misericors Deus dictis Martyribus intercedentibus benigne largitur; & quemadmodum pie speramus, eorum meritis per secula concedet: In quorum fidem has met expediri & assueto sigillo mandavimus obsignari. Datum Celani ex Monasterio S. Angeli de Celano hac die xx. *Mensis Februarii anno* M. DCC. XLVII. *D. Cælestinus de Letto Abbas Mitratus S. Angeli de Celano: D. Justinns de Judice Secr.*

D. Placidus Matthei, Congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti Abbas Cænobii SS. Trinitatis S. Severi in Apulia. Universis & singulis præsentes has nostras Literas visuris atque lecturis fidem facimus atque testamur, Gloriosos Dei Martyres SS. Simplicium Constantium & Victorianum in Insigni Collegiata Ecclesia Celani ab immemorabili tempore magna fidelium veneratione percoli eorumque sacra Ossa in tribus argenteis Urnis distincte adservari; ac Festum quotannis maximo gentium concursu ibidem celebrari die vigesima sexta Mensis Augusti, quorum ad hanc diem Martyrologium Romanum meminit, a Deo Optimo Maximo ipsorum intercessione devotis assiduas gratias concedi, ita ut Celanenses aliique Marsi & viciniores populi ad ipsos assidue recurrentes, beneficia in omnibus necessitatibus, prædictorum SS. Martyrum præsidio, a Domino jugiter recipiant; prout nos ipsi eodem genere Marso res certas testamur. In quorum fidem has subscripsimus nostroque signo muniri mandavimus. Datum in eodem Cænobio SS. Trinitatis S. Severi die I. *Aprilis* M. DCC. XLVII. *D. Placidus Matthei Congregationis Cælestin. Ord. S. Benedicti Ab. Cænobii SS. Trinitatis S. Severi: D. Hyacinthus Cotinelli Monachus Cælest. Act. Reg. fol. 69.*

Abbatis Angeli Maccafani S. T. J. U. D. & Oratoris Marsi de Pereto ex antiqua familia, quæ plures Marsorum Ecclesiæ, aliisque dedit Antistites, & ex Ughello Anxanensibus primum.

Ora-

Oratio in laudem SS. Martyrum Simplicii, Constantii, & Victoriani:

Etsi omnes bellica praestantes laude Viros admirabunda semper suspexit antiquitas, tamen si quis aliquando extitit, qui solus ingentes hostium copias debilitarit ac fregerit, eum enimvero non caeteris hominibus adscribendum, sed suis adnumerandum Diis existimavit: hinc in omnibus Romanorum annalibus, principem sibi locum Horatius, Scaevola, Macedoque jure merito vindicarunt. De primo enim inimicis Urbem invadere conantibus, eo dimicasse in Sublicio ponte ac alacriter solus restitisse traditur, quousque a suis praerupto ac devastato ponte, spem ulterioris aditus abstulisset; Scaevola vero cum se se furtim inter hostium copias immiscuisset, ut Porsenam interficeret, deceptus a dextera militem interfecit, & statim errore comperto, coram Rege deductus, audacter hanc flammis perurendam tradidit, unde Rex non minori metu, quam stupore correptus, aequo animo pacem Romae donavit; de Macedone tandem totum pene terrarum Orbem exigua cum phalange subjugasse, unicuique compertum habetur: quae quidem omnia virtutis monimenta amplissima esse & singularia, nemo est, qui inficietur; majori tamen admiratione, mihi sunt illa non tam hominum, quam fortitudinis nomina, Simplicius, Constantius, & Victorianus, qui nec barbarorum hominum impietate perterriti, nec Regum tyrannide victi, pro Christi nomine ampliando ac defendendo, feliciter triumpharunt, & tam virtutibus tum aliis operibus strenue gestis atque prodigiis, non solum Burgundios, Gallos, Dalmatas, Ravennatum populos, Romanos, nostrosque Marsos, verumetiam totam Dei Ecclesiam mirabiliter illustrarunt. Verum, ob Ecclesiae Heroes celeberrimi, quis tam rudi & agresti ingenio est, qui si vestram evolvet vitam, virtutes in vos non miretur maximas? Voluntariam egestatem non praedicet admirabilem, cum vos non solum perspicuis natalibus in Burgundionibus orti, sed etiam omnibus fortunae bonis affluentes ad abjectissimam vitae rationem descendere non dubitastis? Humanitatem non efferat singularem, qua omnium devinciebatis animos? Modestiam non amplectatur, quam

quam castissimis moribus comprobastis? Humilitatem non extollat, de qua pluries praeclarum specimen exhibuistis? Prudentiam non admiretur, dum vestrum consilium requirebatur? Pietatem non veneretur, cui tot praeconia tribuistis? Perseverantiam non imitetur, quam toties verbis factisque consecrastis? Quis? at quid plura? In horum animo virtutes omnes optimae ita sedem fixisse videbantur, ut non sine divinae providentiae dono factum putem, ut vires suas ad certamen usque experirentur ac ostentarent. Intuemini ergo Heroes nostros invictissimos, ut relicto paterno lare spretisque Mundi illecebris seculique pompis sese viarum asperitatibus & anfractibus committere non verentur, ut jucundum ac suave Christi nomen, quod in Patria aliisque Regionibus invexerant, alio invehant & inermes se minui soli [si tamen soli dicendi sunt, qui superos omnes haberent commilitones] nec aerumnas nec carceres nec vincula nec cruciatus neque diram acerbamque mortem, quae Orthodoxae religionis defensoribus, eoque fortius propugnatoribus imminebat, nec quaevis pericula metuentes, institutum non dicam humanitus sed divinitus cursum prosequuntur; & posteaquam divini Verbi semen per plurima loca diffuderant pluresque in veritate verae Fidei solidaverant, in Dalmatia consistunt: cum ecce ibi dum sanctam & Orthodoxam religionem promulgare ac inibi tueri caeperunt, tanquam seditiosi facinorosique homines ac novorum dogmatum propagatores apud Pontium Praefectum virum perditissimum culpantur & criminantur: comprehensique ante ipsius Tribunal in judicio deducti, inanium Deorum simulacra contemnunt execrantur improperant detestantur, & uni Trinoque Deo ac Christo totius humani generis Reparatori sacrificium & Cultum tantummodo deberi, omni posthabita dubitatione, ita constanter professi sunt, ut nec blanditiis illecti nec pollicitationibus acquiescentes nec atrocium tormentorum minis deterriti a proposito dimoveri potuerint: Oh fortitudinem omni laude literis decorandam, oh constantiam, ne dicam constantiam, sed potentiam singularem! Huc accedit, quod iracundia barbarus Praefectus exagitatus fortissimos atheletas nostros fortiter caedi, ac ferreis

reis virgis imperat excarnificari: sed oh spectaculum oh prodigium! Tortores immanissimi immanissime desævientes, illico febrili ardore correpti, miserabiliter interierunt; & hic oh quot voces Christi gloriam circumsonantes, verumque Deum prædicantes audivissetis! oh quot Catholicam Religionem amplecti nostrosque Heroes venerari vidissetis! oh quot! quoniam vero non tam præ lætitia qua rapior, quam præ stupore quo opprimor, id mihi facile recensendum non permittitur, silentio prætermittere operæ pretium duxi: illud tamen silentio prætereundum non est, quod Præfectus magis magisve in rabiem actus, paulo post plerosque, qui tum ex prædicatione, tum ex visa constantia ac nostrorum Heroum Miraculis Christo inhæserat, ferro interimere curavit, ut sic ex metu concepto, forsitan Heroes nostri a religione Catholica resilirent; sed impie inhumane conscelerate deciperis; ecce præstantior & gratior victima Cælo transmitti non potuit; ecce a te interempti, in proprii sanguinis unda lavati quam feliciter in Cælo conregnant; & Simplicius Constantius Victorianus majora expectant pro Christi Fide certamina, quia majora illos expectant præmia. Cum vero in tenebricoso jam obducti sint carcere, adeamus & nos, Auditores; nam tenebræ illæ non tantum veræ Fidei radiis, verum etiam Cælestium favorum lumine collucescunt: cernite, ut ipsi cælesti candore renitent, divinæ flamma charitatis exardent jugi pietate delectantur: cernite quæso, ut infirmi ad eorum patrocinium recurrentes, pristinæ saluti restituuntur, obsessi a Dæmonibus liberantur, audite, quæ vota Deo O. M. supplices mittunt & assiduis precibus ejus implorant auxilium & ad Martyrii palmam suspirant anhelant; sed oh mirum! humanam linguam conticescere modo fas est; nam ecce cælestis orator e superum sedibus delapsus, nostros alloquitur Heroes & divinæ opis auxilium pollicetur, ad vigilias, inquit, perferendas, ad labores subeundos, ad certamina facienda, ad tormenta toleranda, ad mortem oppetendam vos acuo atque inflammo. Agite igitur & hanc injectam divinitus mentem certissime putate; nam brevi temporis intervallo vigiliæ in saturitatem, labor in requiem,

 cer-

certamina in coronas, tormenta in gaudium, mors in vitam immortalem commutabuntur, quive tot humanæ fortitudinis exempla ad hanc diem edidistis, hoc etiam divinæ constantiæ specimen debetis.

Quantum autem solaminis, quantum gaudii, qualem fortitudinem ex Angelici Oratoris colloquio susceperint, vos judices appello atque statuo, auditores: insolens interea Præfectus quia nostros Viros sanctissimos adhuc in suam se posse ferre sententiam arbitrabatur, rursus ad examen revocat; sed intelligens tandem, ne dicam admiratus eorum constantiam destitutusque omni spe, cum in eos tanquam ingenitæ nobilitatis viros sanguinis sententiam ferre non posset, urgente imperiali prohibitione, qua sibi nobilium Virorum causas reservaverat, vinctos Romam ad Imperatorem armata custodia mittit. Quot autem labores, quot vigilias, quot inedias in via pertulerint, quot convicia, quot contumelias ex impiorum custodum proterva tolerarint, retexere prætermittam. Unum aut aliud ex pulcherrimis illorum prodigiis ob oculos ponam: ecce puellula filia Cornelii nobilis Ravvennatis, trium annorum curriculo oculorum cæcitatem perpessa; vix una cum parente nostros est deprecata Heroes statim ad lucem restituitur; attamen quod mihi mirabilius est quamplurimos hoc spectato prodigio, tenebras intellectus abjecisse & ad veræ Fidei lumen certo rediisse probat historia. Romam denique adducti, cum ob summam, qua erga Petrum Apostolorum Principem devotionem detinebantur, ipsius Urnam invisere ac revereri quam maxime peroptarent, nec a militum pertinacia, qua custodiebantur, id ipsis fieri permitteretur, ex improviso solutis ab angelica manu compedibus militibusque stupiditate confectis, pium desiderium celeriter exequi non desierunt: diffusa per Urbem miraculi fama, plurimi Christifideles se se pandere, quamplurimi se se socios nostris Heroibus addere, quamplurimi sanguinem pro Christo effundere non detrectarunt. Heroes interim nostri Martyrii cupiditate succensi, libenter ad vincula redeunt æquo animo in manus militum revertuntur & ad Imperatorem, qui tunc temporis in Marsis prope Tinum montem, ut Cæ-

Cœli illius mitissimi salubritate frueretur, degebat, festinato pede rapiuntur. Quid expectatis hoc loco, auditores? audistis gravia, audistis graviora? Conjicite enimvero facinus singulare, inauditum, incredibile; unicam tamen expectationem vestram: Simplicius Constantius & Victorianus fortitudine pari inania Deorum simulacra detestantes, in obscurissimum carcerem serpentibus aliisque noxiis animalibus refertum obtruduntur; verum illa naturali deposita feritate nullatenus eos attingere ausa sunt. Triduo post educuntur e carcere, non ut fortasse autumatis, quia Imperator miraculi novitate commotus, eos libertati donare vellet, sed funibus arctissime mancipati duorumque ferocientium juvencorum discretioni commissi, per Piscinum præruptissimum montem raptarentur, ut per saxorum eminentiam evulsi & per cunctorum inhærentium scissuras effracti atque contriti, mortem oppeterent: Veruntamen animalia illa, quasi oneris pretiositatem novissent, tam sensim incessere, ut Heroes nostros ad montis Piscini radices sine ulla offensione detulerint; ubi tandem ab impio decollantur Carnifice: & sic apud fortunatissimos Marsos laborum metam triumphique peregerunt. Quid modo laudum suarum buccinatrix Græcia Codrum mihi commemorat, qui personam abscondi regiam pectusque hostium telis aperuit? Quid Attilium Roma pleno ore circumsonat, qui ad exquisita profectus est supplicia? Quid Curtium, qui in horrendum terræ hiatum desiliit? Quandoquidem hi non tam amore Patriæ capti, quam inanis gloriæ cupidi, vitam prodegerunt; Simplicius vero Constantius & Victorianus inanis gloriæ contemptores eximii, Sanctissimam Christi religionem & verarum virtutum exercitio & sanguine testati sunt; & ideo [ut utar Augustini verbis in personam parvulorum innocentium alloquentis] cum summa exultatione gaudeat terra Cælestium militum & tantarum parens fœcunda virtutum, ecce profanus hostis nunquam beatis parvulis, nos dicemus, beatis Viris tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio.

Quibus igitur laudibus vos exornem, Heroes invictissimi, & plusquam humanæ indolis Viri, vos satis nemo digne lau-

laudat; vos laudem respuistis, aspernati estis, effugistis, sed vos effugientes vera sequuta est laus, detexit & Orbi patefecit universo. Sileant ergo invidi, contremiscant improbi, infrement haeretici, viget sane nostra Heroum fama multis testata, expressaque recte factorum monumentis, eosque voce ab omnibus exaudienda depraedicat virtutum cultores eximios, haeresum profligatores acerrimos, idolorum contemptores constantissimos, & quos a Christianae Reparationis secundo seculo suspexit aetas, venturaque etiam porro cum admiratione suspiciet. Nulla igitur erit tam surda aut muta posteritas, quae de ipsis non audiat & eloquatur, nullae tam ingratae invidaeque Literae, quae de ipsorum virtutibus conticescant; hos sapientes celebrant, reverenter populi mirantur Optimates. At quid diutius immoror? Nonne etiam loquuntur prodigia, nonne beneficia loquuntur, quae Summus rerum Opifex atque arbiter Deus nostrorum Heroum auxilium implorantibus, ad haec usque secula elargitur? Quot caeci ad visum, quot claudi adgressum; quot aridi ad vigorem, quot aegri ad salutem redditi sunt? Quoties Celanenses [inter quos inaestimabilis Corporum thesaurus asservatur] a praesenti discrimine liberati? Quoties? Sed calamus torpet mihique dicendi facultas non suppetit. Eja igitur Heroes inclyti ac invictissimi, qui tanta animi magnitudine tantave animi constantia pro Christi nomine ampliando de tyrannis improbissimis & crudelissimis triumphastis, & virtutibus & plurimis praeclare factis ac prodigiis non unum populum, non unam Provinciam, non unum Regnum, sed universam Dei Ecclesiam quammaxime condecorastis, adesto nostris in adversitatibus fortitudo, nostris in angustiis levamen, nostris in conflictibus propugnaculum, ut tandem infernali tyranno devicto ac profligato, feliciter pervenire possimus ad Vitam nulla temporis diuturnitate circumscribendam, ad illam dico Vitam, quam Deus diligentibus se repromisit, ut vestro Patrocinio freti, & D.O.M. annuente, eam saepe & tuto sperare non desistamus.

Simplicius Pater, Constantius & Victorianus Filii carceribus noxiis animalibus refertis ab Imperatore occluduntur. Ejusdem Epigramma:

Car-

Carceribus claudit Cæsar cum Prole Parentem
In quibus & colubros clauserat atque tigres,
Ut cum prole Parens morsu lacerentur, & inde
Prolixæ subeant ultima fata necis.
Immemores morsusque Feræ sævique furoris
Haud ausæ tantos contemerare Viros.
Moribus humanis pietatem perfide Cæsar,
Quam tu debueras discere, disce feris.

Cl. Viri Ignatii Mariæ Comi Neapolitani Patritii, generis nobilitate ac doctrina perspicui, Academici Apatistæ, poeticum scriptum immerito nobis ad honorem Sanctorum Martyrum oblatum, ita se habet:

Ad Illustriss. & Reverendiss. D.D. P. A. C. olim Venusinum, nunc Valvensem & Sulmonensem Episcopum....: pro Sanctis Martyribus Simplicio Constantio & Victoriano Epigramma:

Cerne alacris Divum sublimia facta tuorum
Petre, decus Mitræ. Pallados unus honor.
Vixit ubi in terris Deus, Æthere missus ab alto,
Splenduit assiduis dextera prodigiis.
Cum vixere solo, miracla per ampla refulsit,
Simplicii, & prolis dextera dia suæ.
Ut tremuit Domini tellus exterrita letho;
Sic cæsis tremuit concita Martyribus.
Prodigiis iniit Fidei tunc lumina miles;
Post iniit Fidei lumina Cæsareus.
Edere nec cessat miracla Redemptor ab ævo,
Edere nec Divum desinit alta manus.
Unde fit, ut rerum similis videatur imago?
Sic docuit Dominus: sic didicere Duces.

Ejusdem de Sanctis nostris Elegia, qua doctis versibus eorum Vitam illustrat & eleganter exponit:

Si dedit illustres Animas Burgundia vitæ
Illustres studiis quam nituere suis!
Gallia sub Fidei splendoribus excita crevit,
Crevit, & ob quales vidit habere dies,
Dogmata Simplicius cum protulit ætheris aurea

Ur-

Urbibus, & tanto de Genitore sati!
Vocibus acta sonant ferventibus extera circum
Regna; statimque Deo seque animasque sacrant.
Dalmatici attonito stant climatis agmina vultu,
Agmina Apostolico ducta ministerio.
Est [clamant] Deus hisce Deo sat agente calescunt.
Vertice de supero spiritus iste venit.
Talia non patitur praeconia Pontius aestu;
Verbera sint Divis ingeminata, jubet.
Stulte, quid ira juvat? Quid inepta superbia? Febris
En pereunt rapti turbine carnifices.
Fit via prodigiis: Fidei documenta sequuntur
Qui spectant studiis grandia monstra oculis.
Obsessus, caecusque animum dat rebus, ut ille
Solvitur, ad Caeli lumen, & iste redit.
Qualiter armatis solet addere pugna catervis
Robora militiae fors, ubi amica venit.
Ergo quid facias? tetro si carcere cludas,
Angelus invictis mentibus addet opes,
Mitte alacres Fidei procul, impie Praeses, amicos
Mitte, sit ut Marsis poena soluta jugis.
Quam male deciperis! Qui vulnera pectore toto
Dia fovent, terrae vulnera nulla timent.
Terrificos ventos tempestatesque sonoras
Credis in ingenuos funera ferre Duces.
Non ita: blandicula famulatur euntibus aura
Aeolus & placidas nereus aequat aquas:
Quocunque aspicias, miracla frequentia surgunt,
Quantaque sit triplici pectore flamma notant:
Scilicet illa tuos, fervens vesevè caminos
Exuperatque ignes, fertilis Aetna tuos.
Fortibus unanimes cedunt ardoribus Urbes,
Et Fide extollunt sanguinis imbre decus.
Arma Ravennates nec barbara Principis horrent.
Dulce sapit tanta religione mori,
Lumina Simplicius cum reddit adempta Puellae
Veridicamque canit Gnatus uterque Fidem.

Nec

Nec mira: ducuntur manibus post terga revinctis,
Tibridis effuso qua strepit unda sono.
Heroas coquit intus amor, spectare colentes
Reliquias, Cæli claviger alme, tuas.
Militiæ fera turba negat; contraque Tonantem
Conjurata hominum quid valet impietas?
Carcere lux oritur, solvitque repente catenas
Angelus evinctis; viscere & ossa finit.
Tunc Pater & cultu proles studiosa liquescit;
Mollis ut accensis cera perusta focis.
Crescit amor certoque volunt occumbere letho.
Hinc repetunt avido vincla relicta pede.
Fulgida ubi spectant acies portenta Quiritum,
Se socios addunt; astraque morte legunt.
Carnificum tamen ira, Patrem, fratresque gemellos,
Ardua qua Marsis eminet aula, trahit.
Lucius Heroas variis assultibus urget,
Possit ut e solido corde fugare fidem.
Ast veluti rupes Celique, salique furorem
Ridet, ubi immoto stat bene fixa jugo;
Millia despiciunt molimina Principis. Ergo
Nec prece nec ferro nec movet ille nece.
Infremit & furiis agitatur ut alter Orestes;
Pectore nec verso pax habet ulla locum.
Non sic, aggeribus rupiis cum turbidus exit
Amnis & evincit gurgite quidquid obest,
Impete in arva furens resonantum fertur aquarum,
Ultima & attonitis fata minatur agris,
Lucius ut rabiem Divos expromit in ipsos.
Ultio sub tantis casibus una placet.
Ergo jubet, pleno serpentibus occludantur
In barathro, ut laceri morsibus intereant.
Sed mores posuere suos genus omne ferarum,
Blanditum innocuis, ceu potuere; animis.
Non aliter Daniel projectus ad ora leonum
Exiit e tetro sospes, ut ante lacu.
Angelus incolumem dedit ire per horrida vatem;

An-

Angelus his pandit dulce salutis iter.
Talia cum novit scelerata mente tyrannus,
Multiplicata sinu non habet ira modum,
Imperat, indomitis ex culmine ad ima juvencis
Raptentur, Tinum qua ferit astra jugum.
Monstrum altum, divinum ingens! Animalia sensim
Per prærupta regunt, per salebrosa sedem.
Dedicere rotæ, currusque ex aere lapsum;
Aureus ac tutos Fons bene vidit aquis.
Nunc celerem huc animum tortor, nunc dividit illuc.
Noscere quid faciat, non sinit ergo furor.
Nec dubio tandem potior sententia visa est.
Simplicio & Gnatis dissecat ense caput.
Marsica terra tremit, gladii cum fulmine Divi
Victima cæsa cadunt, Marsica terra tremit.
An Domini redeunt portenta reclusa sub ipso
Funere, cum tremuit pondere terra suo?
Conversus Fidei tunc lumina miles inivit,
Nec celebrare suum desiit ore Deum.
Nunc sacra Cæsareus sequitur monumenta fidelis.
Fit cito professor qui prius hostis erat.
Felices Animæ, virtute per æthera notæ,
Diffluit e vestro gratia tanta sinu.
Quin vos unanimes modo Marsica regna beatis,
Regna, levaturà tam bene ducta manu.
Fallor, an Æthereo tria currere sidera tractu,
Celanum, pluviam dum rogat aspicio?
Fertilibus siccos en Juppiter irrigat agros
Imbribus & vitam terra obitura bibit.
Tu vero quo sæva Cohors, quo tendis Juli?
Celanum nec inhias perdere in interitum?
Falleris: ecce triplex albis per mœnia miles
Vectus equis, castri libera tecta regit.
Non juvat huc stygiis pervadere pestis, ab antris
Pergent in celeres irrita damna notos.
Quoslibet hac morbos Superi procul arce repellent,
Arida ut instanti turbine arena solet.

Ad

Ad motum telluris, Equus male tuticus olim,
Sulmo, Amiterna Domus, Nursia & acta ruet.
Stabit at excelso Celanum vertice sospes
Hæc venit ex tantis gloria Martyribus.
Marsorum suis Rectoribus integra vivent
Regna nec astrorum facta sinistra trement.
Mirer, si cultis properare colonus ab arvis
Gestit, & impensi pignora ferre operis:
Munus & Artifices & fruges Rusticus horti,
Et Vigil ex prato millia poma suo:
Vinitor auratas uvas, spicasque bubulculus,
Martyribusque humili dona sacrare animo?
Quid mirum, triplici si Mitra ornatus & ostro
Huc venit, & lacrymis fervidus ossa colit:
Et nitido Domini sceptroque auroque decori,
Quotque vetat nimius me numerare timor?
Fulgurat hæc Divum longo rata gloria ab ævo.
Obsequio virtus sic decorata suo est.
Versiculos cum laude probas, Sulmonis in oris
Qui regis ob tanto, Petre, labore gregem.
Sed tenuis mea vena fluit: Tu grandia solus
Scis parili Heroum gesta referre stylo.
Tu Dea, cui dotes sapientia præstitit aureas,
Et fovit molli tempus in omne sinu;
Scribere digna cedro potes, & memorabile ad ortum
Solis ab Hesperio nomen habere toro.
Hoc mentis præclara tuæ monumenta recludunt;
Hoc & honorato carmine Fama sonat.
Pennatà virtute volas super ardua rerum,
Et socià causas noscere luce soles.
Felix o nimium, reliquos qui maximus inter
Pontifices studiis, Phæbus ut ipse nites!
Vive diu & cunctis juturna Nepotibus olim
Da precor, ingenii pignora, vive diu.

Lubet his anonymi auctoris addere carmina,
Aquilæ Urbis olim vulgata:

D. Benedictus de Virgiliis D. Ph. de Villa Barrèa prope Marsos in Anacephaleosi Poetica, aut Elegia, quæ exstat in Part. II. Commentar. M. S. ad pag. 542. Partis I. nostræ Reg. Marf., inter alios pro ipsis Martyribus, hos cecinit versus.

. . . .

An nunc sciremus Pisicini culmina montis
  Aut Rus, quod Cives Imperiale vocant;
An fontem auratum [magnum], quem Marsica dicit,
  Quique olim sacro murice tinxit aquas.
Temporis certe hæc tot mira laterent
  Exstarent totidem jam sine luce faces
Talia, sed vester calamus vix fulgura sparsit,
  Hæc nitido Cælo splendidiora micant.
Nam Lucius Verus Rus cum venisset ad illud,
  Ut sanos oculos redderet aura suos
Aeris ob nitrum, quod non reperitur in Orbe
  Purius, aut statio nobiliore situ:
Dum manet his auris, Divos vocat atque Supernos
  Auxilio, ut fiant lumina clara suo;
Junonem & Venerem falsissima Numina quæris
  Cum Faunis Driades Ruri colasque Deas.
Tres Divi ante ipsum veniunt post terga revincti
  Sic duci Prætor jussit ab Illyrico
Gallorum proceres Burgundo ex climate nati,
  Quod Christum colerent ipsius atque fidem:
Hi primum ferro, flammis, variisquæ flagellis
  Extorti, & quotquot contulit ulta manus
Cum ferus obstantes nulla & formidine fractos
  Cerneret atque fides cresceret inde magis,
Decrevit tandem colubrino in carcere claudi
  Ut sic a colubris ossa vorata forent.
Accidit econtra, nam vipera cuncta recessit,
  Nec morsus ullos prompsit & illa suos:
Simplicius Genitor, natus Constantius, atque
  Victorianus eo Carcere dumque manent,

Vox

Vox audita fuit Cælo, quæ missa sereno
  Carceris in medio talia dicta dedit:
Athletæ fortes per tot discrimina passi
  Semper constantes intrepidique Duces,
Tempus adest pugnæ, quam crastina deferet hora,
  Et redimet vestras inclyta palma manus.
Vocis ad hos sonitus est tanta secuta voluptas,
  Ut non plus possent gaudia ferre sinu;
Non plus vipeream dixisses esse cavernam,
  Cum tam festivum redderet illa melos:
Mane suos vix Phæbus equos promorat ab axe
  Expectata etiam fulsit & orta dies:
Indomitos Tini Tauros ad culmina montis
  Adferri jussit, constituique jugo
Pregrandis rhedæ, quæ vix dimota fuisset
  Precipites illos seque repente daret:
O' stupor in toto non visus grandior orbe
  Et quo non fulsit dextera celsa prius:
Indomiti Tauri moti de vertice montis,
  Cæperunt lentis passibus ire suis,
Ac per declivum, preruptaque saxa per imas
  Appensas partes, deciduasque vias,
Sic pressis pedibus, tardis sic passibus ibant,
  Ac si per planum jam foret illud iter,
Donec ad aurati venissent limina fontis,
  Expleretque sitim Taurus uterque suam:
Tunc tribus accepto lictor caput ense recidit.
  Sanguine & effuso barbarus auxit aquas:
Non tamen hoc facinus Cælum permisit inultum,
  Quin daret hoc signum; fulmen & axe suo
Motibus icta suis concussaque terra fragores
  Edidit; atque hominum terruit ista genus.
Concitus ad motum lictor tremefactus & isto
  Excidit ex animis frigidiorque gelu,
Sic fuit horribilis totum ut commoverit Orbem
  Morte ut jam Christi motus & iste fuit.
Cæsarius viso motu, Cælique ruina,

 Qui

Qui tanti sceleris consul, & auctor erat,
Mollitus tenero affectu, cordisque dolore
Concussit pectus, comminuitque suum,
Centurio ut fecit coram ut clamaverit iste
O' mihi non Christi cognita vera fides,
Quæ nunc Martyribus tribus his das alma coronas
Atque istis Cælo præmia digna refers;
Me quoque sepositum sacrato fædere junge,
Sanguis & effusus sit Sacer iste meus.
Vix hæc effatus, Sacrum Baptisma petivit,
Additus atque ipsis protinus iste fuit.
O' vere his felix Marsorum terra triumphis
Tantis Martyribus sic venerata parens,
Quid mirum adversis rebus si fausta refulges,
Nec Cæli irati fulmina missa times:
Pro te cum Divi tot pugnent ante tribunal,
Quæque petis supplex omnia vota feras,
Quid memorem casus, miracula didita mundo,
Quidque favor semper, Gratia, quidque dedit.
Cum satis in chartis celebrata volumina narrent,
Et liqueant cunctis partibus illa suis.
Sed numero ex tanto fas sit mihi dicere bina
Queis super extollis nomen ad astra tuum,
Cum tibi jam quondam tellus exusta maneret
Languerent vestris, & sata cuncta locis:
Vix supplex pluviam tres illos ipsa petisti,
Effusis lacrymis totaque passa comis,
Effulsere tuos circum tria sidera muros
Lætitiam tantam, quæ peperere tibi,
Ut dum gauderes signis tantoque nitore
Talia non posses gaudia ferre sinu.
Undique non nubes cæperunt currere Cælo?
Effuditque suas motus & auctus aquas?
Quæ per.... guttas velut inde fluebant,
Ac si de gemmis illa riganda foret.
Pezzolam narrent veteres, cum mænia vellet
Vestra hæc exuere, vellere deque solo

Dum

Dum parat excidium, Celanum & perdere gentem,
  Eſt viſus circum pergere ternus Eques,
Quorum ad ſplendores exercitus omnis abivit
  Retrorſum paſſus flexit, & ille ſuos;
Per tantos caſus Regio, quibus Itala ſemper
  Jactata eſt variis cladibus atque minis,
Semper ab his Divis tutata eſt Natio veſtra
  Communes labes paſſa nec iſta fuit.
Dira lues fuerit, fuerit vel barbara peſtis,
  Vel motus terræ, quæque ruina poli:
Non deſunt alii, quorum pars magna coruſcos
  Perſtringit gladios, detinet arma manu.

. . . .



AP-

APPENDIX II.

ORDINIS DIVINORUM OFFICIORUM ECCLESIÆ MARSORUM CUM NONNULLIS COMMENTARIIS.

HÆC insuper sunt, quæ in Diæcesi Marsorum, sicut ab ipsa nuper accepimus, perstant, & ab illius Ordine Divini Officii atque rubricis pro Sanctis suis, quorum aliquos supra memoravimus vel in Dedicatione Ecclesiarum excepta servantur.

Die XII. Maii: Dedicatio Ecclesiæ S. Berardi Cardinalis, & Marsorum Episcopi: duplex primæ Classis cum octava Piscinæ ac per Diæcesim absque octava.

Die XXVIII. Maii: S. Bonifacii Papæ IV. in Civitate Valeriæ Marsorum orti, Pontificis & Confessoris: duplex cum Lectionibus propriis secundi Nocturni.

Die V. Augusti: Dedicatio S. Mariæ ad Nives Tituli Ecclesiæ Cathedralis Marsorum: duplex I. Classis cum octava Piscinæ & per Diæcesim sine octava.

Die XI. Augusti: S. Rufini Episcopi & Martyris: duplex: Offic. Comm. unius Martyris.

Die XXVI. Augusti: Celani Sanctorum Martyrum Simplicii, Constantii & Victoriani: duplex I. Class. cum octava: de Comm. plurim. Martyr.

Die XXIX. Augusti: S. Sabinæ Martyr.: duplex I. Class. cum octava. Officium de Comm. Martyr. tantum cum unic. Lect. propr.

Die XXX. Augusti: S. Petri Eremitæ: duplex I. Class. cum Lect. propr. 2. Noct. [ut infra] & octava: Lect. I. Noct. *Justus* 2. propr. 3. *Sint lumbi*.

Die VII. Septembris: S. Cesidii Presbyt. & Martyr.: duplex de Comm. un. Martyr.

Die VIII. Octobris: Celani Dedicatio Insignis Collegiatæ Ecclesiæ cum octava de com. Dedic. Eccles., ut in Brev. Romano,

Die

Die III. Novembris: S. Berardi Cardinalis Marsorum Episcopi & Confess.: duplex I. Class. cum octava Piscinæ & extra sine octava.

S. Januarii Episcopi & Martyris, Patroni Civitatis, & Regni Neapolitani: Officium per totam Marsiam, duplex I. Class., ut in Brev. Rom. XIX. Septembris ac XVI. Decemb. & semel in Mense.

Quibus ita se habentibus, Commentaria quædam ex ordine conjungam, quæ additamenta hæc cum Romano Martyrologio & auctoribus non leviter illustrabunt: Dicta enim die XII. Maii Festum Dedicationis Ecclesiæ S. Berardi Cardinalis & Marsorum Episcopi, ea ratione ibidem celebratur, quia etsi tertia die Novembris M. C. XXX. Sanctus obierit ejusque corpus in primario S. Sabinæ apud Valeriam Civitatem Templo antiquitus sepultum per multa sæcula quieverit; illud tamen prima die Maii ad Ecclesiam Piscinæ suo nomini postea erectam, cujus dedicatio XII. ejusdem agitur, fuit deinde translatum; ubi ad hæc usque tempora insigni fidelium veneratione colitur & Ecclesiæ dedicatio memoratur. Quum autem eadem sacra Ædes vetustate labefactata esset, Mutius de Vecchis pius Antistes, ex Regia Marsic. Part.I. pag. 683. & Part. II. pag. 160. suis sumptibus instaurari mandavit: Ac ideo Ferrarius in sæpe citato Catalogo Sanctorum Italiæ Part. I. fol. 430. 432. inquit: *Piscinæ Beati Berardi Cardinalis & Marsorum Episcopi*, & in Notis *Berardi Episcopi Berardi Comitis Marsorum filius fuit Paschalis II. Pontificis Maximi Cardinalis & Episcopus Marsorum obiit anno salutis* 1130., *Corpus Piscinæ unà cum Vita M.SS.*: Propterea sum ratus, Gesta ipsa a Cl. Bollandianis sub dicta die III. Novembris fore clarificanda, quæ nunc italice habentur apud Phæbonium in illius vita & Regiam Marsicanam Part.I. pag. 683. vel Part. II. pag. 152. sequen., latine vero ejusdem Vitæ primum Scriptorem exstitisse Joannem Signinum Episcopum, Ughellus refert in Ital. Sacr. edit. 2. Tom.I. col. 1237. probatque Erasmus Gattula in sua novissima Cassinensium historia Tom.I. pag. 387. 388., ubi nostrum de Viris Illustribus Opusculum etiam allegat: Subdit-

ditque, Berardum nunquam Cassini Monachum fuisse, sed inter Cassinenses ab adolescentia Sanctissime educatum: Vide Ciacconium cum Notis Oldoini in Vit. Pontif. Tom. I. col. 925. 926. dictumque librum Virorum Illustrium Marsorum pag. 98. seq. Ludovicum Donium Attichy in Floribus Sacri Collegii S.R.E. Cardinalium Tom. I. pag. 134. Lucensium in Tom. I. Ital. Sacr. n. 17. Gattulam ibidem Tom. I. pag. 387. ubi relatum Joannem Signinum Antistitem ab ipso S. Berardo nutritum edoctum atque ordinatum testatur; cujus Vitam Joannes optime nosse debuit: Prologus autem ejusdem Vitæ fuse habetur in cit. Ughello d. edit. 2. col. 894. ac edit. I. Tom. I. col. 962. & lege d. Phæbonium allegatumque Gattulam, qui in d. Tom. I. pag. 388. col. 2. hæc operis mei de Viris Illustribus inserit verba: *Corsig.* .... *pag.* 98. *& seq. asserit, hujus Sancti vitam Prænestæ iterum editam cum Additionibus anno* 1708. *& pag.* 105., *contendit Sanctum hunc Virum in Oppido quidem Collis natum, sed a Celano duxisse originem, cujus parens ejus Comes fuerit*. Ejusdem quoque mentio est in Chronica Ecclesiæ & Monasterii S. Bartholomæi de Carpineto ab citato Ughello per extensum relata, Tom. x. Ital. Sacr. post Indic. Gen. in calce operis edit. 2. col. 362. ex qua liquet, Paschalem Pontificem S. Berardo Marsorum Antistiti nonnulla jurgia relati Cænobii ab ipso decidenda commisisse: sic enim ibidem legitur: *Dominus Papa D. Berardo Marsicano Episcopo Romanæ Ecclesiæ Cardinali Viro sanctissimo causam ipsam audiendam, & terminandam commisit. Tunc idem Episcopus ad hujus causæ decisionem venit ad locum, qui dicitur septem Viæ ibique partes ante suam præsentiam congregatas, talis convenientiæ glutino fœderavit, ut per singulos videlicet annos infra octavas Assumptionis Sanctæ Mariæ Monasterium istud redderet Pennensi Ecclesiæ* XXIIII. *denarios, & post decursum unius anni vel duorum secundum temporis qualitatem, unum bovem vel pecuniam, unum bovem valentem eidem Ecclesiæ redderet. Et sic deinde ipse Abbas & cæteri subsequentes Abbates consueverunt persolvere prædicto Episcopo .... Ob id igitur Grimaldus Pennensis Episcopus confirmavit*

mavit .... Quodam igitur post hæc inopinato rei eventu Icona Imaginis Salvatoris, quæ est in Tribunali de medio super Altare B. Bartholomæi cecidit ipsumque confregit ex parte : Tunc præscriptus Abbas ad innovandam consecrationem congregatis Episcopis Marsicano, Theatino, & Pennensi fecit ipsam Ecclesiam XVII. *Kalend. Decembris in honorem Apostoli Bartholomæi titulo Beati Petri Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ dedicari, cujus jam fuerat per Romanum Pontificem in consecratione Abbatis, & indultu privilegii exemptione munita : Consecrato in majori Altario* [sic] *in columnella de medio dextro humero, quod est superius a cubito Beatissimi Apostoli Bartholomæi ....* Ibidemque exstare Sancti Apostoli Brachium, e dicta Chronica probatur apud cit. Ughell. in calce Tomi X. Ital. Sacr. col. 351. his verbis : *Convocatis postmodum Episcopis Pennensi, Aprutino, Theatino, Valvensi, & Marsicano fecit ipsum Sacratissimum Brachium in Majori Altario* [sic] *hujus Ecclesiæ consecrari ipsamque totam Ecclesiam solemniter dedicari anno Dominicæ Incarnationis 962. Kal. Septembris ....*: Is tamen Marsicanus Antistes ibidem sic appellatus, eidem Consecrationi præsens non fuit memoratus Berardus, sed alius nomine Rottaris seu Raterius ex Ughello Tom. I. cit. edit. 2. col. 888. qui teste etiam Regia Marsic. Part. II. pag. 542. longe ante laudatum Berardum vixit. Denique ad Mensem Octobris Acta Beati Thomæ a Celano, Minoritæ, cujus sacrum Corpus in Ecclesia Patrum Conventualium S. Francisci Oppidi Taleacotii Marsorum publica veneratione multis ab hinc sæculis colitur, ex Vita in d. Regia Marf. Part. II. pag. 165., per doctissimos Bollandiani operis Continuatores illustranda confidimus.

S. Bonifacii Papæ IV. sub prædicta die XXVIII. Maii, ut supra officium Romæ in Sacrosancta Basilica Lateranensi, & Vaticana diu recitatum, Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. per organum S. Rituum Congregationis humillimis meis precibus benigne annuendo, die IX. Februarii M. DCC. XLIII. ad Marsos extendit cum decreto Romæ in prima editione [ut infra] typis vulgato, licet in secunda impressione illud minime legatur insertum. Quod sane mi-

rum esse non debet : Nam alia est concessio novi Officii alicujus Sancti, & alia illius extensio. In prima enim Apostolica Sedes per eandem S. C. sæpe delectos casus aperuit, accedente proprii Episcopi & Cleri petitione procedere ad electionem Sanctorum in Patronos Civitatum sive Locorum juxta manifestum judicium anno M. DC. XXX. editum confirmatumque ab Alexandro VII. M. DC. LIX. vel ad concessionem & approbationem novarum Lectionum; ita ut per sacrum Senatum die XVII. Julii M. DCC. VI. sancitum fuerit, non esse in his casibus admittendam Cleri aut Monialium in Antistitum jurisdictione viventium vel Communitatum Locorum instantiam, nisi prævio consensu ac præcedente proprii Episcopi postulatione, quemadmodum viris doctis clarissime liquet. Extensio autem Divini Officii de uno loco ad alium per Summum Pontificem concessa, longe distat a prima, nec petitionem requirit Ordinarii Præsulis ex auctoritate pari SS. D. N. Benedicti XIV. in aureo Opere de Beatific. Serv. Dei & Canoniz. Sanctor. libr. IV. Part. I. Cap. VI. n. 7. : Cujusmodi rei nova & perspicua habemus exempla nobiscum communicata a scientissimo amico & probo viro Dominico Colmeta nobili Trivicano, Romæ in Causis Sanctorum celebri Advocato, nimirum extensionis Officii S. Blasii ad preces Cleri unius Collegiatæ Ecclesiæ in Etruria cum iisdem plane verbis in Urbe Senarum modo recitatis, aut Officii S. Petri Chrysologi jussu Benedicti XIII., sive S. Felicis a Cantalicio sub Clemente XII., in quibus profecto nullus propriorum Antistitum consensus legitur nec aliqua ipsorum postulatio invenitur a Sacra Congregatione multoque minus a Papa expetita : Immo eodem in Officio solis pridem Capucinis concesso, deinde per totam Italiam extenso, nec etiam exstitit supplicatio Oppidi Cantalicii, quod in Diæcesi Civitatis Ducalis prope Reatinos positum est. Si itaque Romanus Pontifex ejusdem S. Bonifacii IV. veluti Antecessoris inclyti Officium Romæ diu recitatum & Apostolica benignitate Marsis concessum, ad Ecclesiam Universalem, extendere vellet, exquireret ne instantias atque consensum Sacrorum Orbis Præsulum vel Marsorum Episcopi, ubi

ubi Sanctus ille ortum habuit? Minime gentium ex notissimis præfatisque Congregationis Sacrorum Rituum regulis: Quoniam Papa est Christi Vicarius in terris, supremus Ecclesiæ Princeps, Episcopus Episcoporum ac totius Orbis Pater cap. cuncta per Mundum cap. per principalem 9. qu.3. Leo in Thes. For. Eccles. Part.I. Cap.I. n.4. 5. Laym. Theolog. moral. libr.I. tract.IV. cap.VI. §. I. n.3.: Quibus probe consonat Micrologus cap.XLIII., apud Guyet. de Fest. libr.I. cap.VII. quæst.XVII., scribens S. Gregorium VII. decrevisse, ut Sanctorum Pontificum solemnitates pleno Officio ubique celebrarentur; *nam*, ille ait, *cum quælibet Ecclesia sui Patroni etiamsi Confessor Festum solemniter observet, quanto magis eorum, qui totius Ecclesiæ non tam Patroni, quam Patres exstiterunt?* At cæteros sacræ historiæ auctores, qui de S. Bonifacio utpote Catholica fide optime merito cum laude scripserunt, hic referre supervacaneum est: Prætermittere tamen non patior Martyrologium Romanum, quod typis Vaticanis M. DC. XXX. ad d. diem XXV. Maii hæc habet: *Romæ S. Bonifacii Papæ IV., qui Pantheon in honorem Beatæ Mariæ ad Martyres dedicavit*: Cui loco hanc notam Baronius apposuit pag.257. lit. a: *Successit hic Bonifacio ejus nominis tertio anno Domini* DC. VI., *plura de ipso in Annalibus Ecclesiasticis diximus*: Et Tom.VIII. Annal. ad ann.DC.VII. col.227. hoc elogio: „ Sexcentesimus septimus decimæ Indictionis cum ageretur annus, Bonifacius ex Valeria Civitate Marsorum, Joannis Medici filius, ex Presbytero, „ ejus nominis quartus Pontifex, creatur die 18. Septembris: Qui statim domum suam in Monasterium erexit, „ quod & redditibus locupletavit. Idemque cum videret „ Phocam Imperatorem erga Romanos Pontifices propensiorem [quod nemo Romanorum Pontificum hactenus „ tentasset] ab ipso Imperatore dari sibi Pantheon nobile „ Romæ delubrum petiit, ut illud expurgatum ab antiquæ „ sordibus Idolatriæ, in honorem Dei Genitricis Mariæ, „ & Sanctorum Martyrum, Domino consecraret. Quod „ ipse liberaliter concedente, id quod optavit absque mora feliciffime præstitit. Hæc ex Anastasio. Sic igitur mi-

„ randum illud tot antiquorum Scriptorum præconiis celebratum a Marco Agrippa ter Consule tempore Augusti Imp. Templum erectum Jovique vindici consecratum, cessit tandem usui Christianæ Religionis post sexcentos triginta duos annos. Intactum id quidem permanserat a demolientibus [ut dictum est] Dæmonum Sedes Romanis Christianis ob solitæ molis structuram firmissime stabilitam; neque adhuc Christianæ Religionis usui fuerat mancipatum, quod id fieri execrabile videretur. Nam ex Gregorio vidimus, primum ab ipso decretum, ut novæ gentis Anglorum Christianorum, quæ erant Templa Idolis dedicata, diruerentur; sed postmodum ab eodem novellæ plantationi indultum fuisse, ut eadem integra remanerent, dummodo expurgata solemni ritu, ex prophanis sancta reddita, sacro Cultui aptarentur. Sic igitur Pantheon in Ecclesiam commutato & consecrato, tituloque Dei Genetricis Mariæ nobilitato, sacrisque Martyrum Reliquiis ex Cæmeteriis extra Urbem positis locupletato, nomen ipsi comparatum est, ut Dei Genitricis Templum ad Martyres diceretur, quo decorum titulo hactenus perseverat...„. Itaque S. Gregorii Papæ Sacramentario, memorato a Magrio in Vocab. Eccles. pag.457., olim additam fuisse Missam S. Mariæ ad Martyres propter illius festum a Bonifacio Fidelibus impositam, Petrus Le Brun ait in Sacra Liturgia juxta versionem italicam Ant. Mariæ Donati Tom.I. pag.84. Vide Philippum Labbeum ad Conc. General. Tom.vi. edit. Ven. col.1354. hocce illius vitæ initium facientem: *Bonifacius natione Marsorum de Civitate Valeria ex Patre Joanne Medico, sedit annos sex, Menses octo, dies tredecim: hujus temporibus fames pestilentiæ, & inundationes aquarum gravissimæ fuerunt....*: Et consule Severini Binii adnotationes ibidem, Conciliumque Romanum ab ipso celebratum in causa Ecclesiæ Anglicanæ anno viii. ejusdem Phocæ Imperatoris Indict. xiii. die iii. Kal. Martii, in quo Mellitus Londinensis primus Antistes consedit; nec non Synodale Judicium, quomodo liceat Monachis in Sacerdotali Officio ministrare,

niſtrare, col.1357. ejuſdem exhibetur Pontificis Epiſtola ad Athelbertum Regem Anglorum data, quam etſi ſpuriam dixerit Joannes Baptiſta Perezius, eam tamen citatus Binius minime impugnavit: Similiaque in col.1358., præſertim de Toletana Synodo & Eccleſiæ Primatu habentur. Neque pariter fas eſt inſignium Bollandianorum in rem collecta hic recitare, qui in Sanctorum Actis ſub d. die XXV. Maii pag.541. 542. plura de tanto Pontifice ſcripſerunt, & Tom.III. ibidem ad diem XIII. pag.185.: *SS. Raſius, & Anaſtaſius Martyres Romæ a S. Bonifacio IV. translati*: In d. Tom. III. edit.2. pag.735. Appendic. ad ipſam diem XIII. Maii relatio hiſtorica de SS. Raſio, & Anaſtaſio habetur. Et vide Marten. de autiq. Eccleſ. Rit. Tom.III. libr.IV. cap.XXXII. edit.2. col.575. de Sancto Bonifacio noſtro loquentem. Alios denique illius laudatores in unum collectos cum ipſius Vita anno M. DCC. XXXVIII. italicè typis excuſa leges in Reg. Marſic. Part.I. pag.47. ad 127. Apoſtolica tamen Sedes Bonifacio noſtro pro ſolemni feſtivitate aliam diem adſcripſit, quam hoc in Officio pluries memorato & mox referendo perpendes, nempe: Diem XXVIII. Maii. In Feſto Sancti Bonifacii IV. Papæ & Confeſſoris: duplex.

ORATIO.

DA quæſumus Omnipotens Deus, ut Beati Bonifacii Confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & devotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum....

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

BOnifacius hujus nominis quartus, Joannis filius, Valeriæ Marſorum natus, ex Monacho S. Sebaſtiani extra Urbem & Presbytero Cardinali ſub Imperatore Phoca ad Pontificatum aſſumptus eſt, & conſecratus die Dominica quinto Kalendas Septembris anno Domini ſexcenteſimo ſeptimo, ſeditque annos ſex, Menſes octo, dies tredecim, duabus ordinationibus peractis menſe Decembris, in quibus Epiſcopos viginti quinque, Diaconos octo creavit. Tu autem....

℞. *In-*

℟. *Inveni David ....*
℣. *Nihil proficiet ....*

Lectio V.

Statim paternam domum in Monasterium erexit, & fundos suos in Monachorum usum eidem Monasterio adscripsit; sed ut longe majori beneficio hujus instituti homines sibi obstringeret, convocatis ad Synodum Italiæ Episcopis, Sanctis legibus labentem Monachorum disciplinam restituit. Mellitus Londinensis Episcopus, qui Romam venerat de rebus Anglicis Christi Vicarium consulturus, Synodo interfuit, illiusque decreta cum Literis Bonifacii, in Britaniam tulit. Tu....

℟. *Posui adjutorium ....*
℣. *Inveni David ....*

Lectio VI.

Ab Imperatore Phoca Sanctissimus Pontifex nobile Romæ delubrum, Pantheon scilicet obtinuit, Christiano ritu consecratum in Ecclesiam Deiparæ Virgini & Sanctis Martyribus dicatam mutavit: ad majorem Sanctitatem conciliandam incredibilem sacrarum Reliquiarum vim ex diversis arenariis eductam inferri, & juxta principem aram condi curavit. Denique sub Heraclio, virtute, ac meritis clarus obdormivit in Domino octavo Kalendas Junii, sepultus in Vaticano. Tu autem ....

℟. *Iste est, qui ante Deum ....*
℣. *Iste est, qui contempsit ....*

In III. Nocturno. Homilia super Evangel. *Homo peregre*: De Communi Confessoris Pont., exindeque fatum sequitur decretum: *Marsicana*: *Ad humillimas preces Petri Antonii Corsignani jam Episcopi Venusini & nunc Episcopi Valven. & Sulmonen., oriundi* (a) *Diœcesis Marsicanæ, Sanctissimus Dominus noster benigne inclinatus indulsit, ut singulis annis die* XXVIII. *Maii in Officio die Festi S. Bonifacii IV. Pont. Max. Lectiones secundi Nocturni propriæ, alias pro Sacrosancta Basilica Lateranensi approbatæ, in tota Diœcesi Marsicana, ubi dictus Sanctus ortum habuit, recitari pos-*

(a) En causa devotæ petitionis a me utpote e Marsis oriundo, illiusque Sancti Vitæ Scriptore factæ SS. D. N.

possint, & valeant. Die 9. Februarii 1743. F.J.A.Card.Guadagni Pro-Præfect. Loco ✠ Sigilli. *F. Patriarcha Hierosolymit. Secr.: Romæ* M. DCC. XLIII. *ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.*

Die v. Augusti: Dedicatio S. Mariæ ad Nives vel Gratiarum novæ Cathedralis Ecclesiæ Marsorum post Valeriæ Urbis excidium in viciniori loco Piscinæ constructæ, quæ prisco latoque successit Templo apud ipsam Valeriam S. Sabinæ olim dicato, cui Sanctus ille Bonifacius grato animo calicem aureum nunc eadem in Ecclesia custoditum, ex Reg. Marsic. Part.I.pag.673. donavit: Sacræ utriusque Ædis Phæbonius in Marsorum historia Ughellus Ital. Sacr. edit.2.To.I. col.883. Lucentius ibidem col.884. d. Regia pag.664., aliique plures meminere. Versus aliquot celeberrimi Alphani Episcopi Salernitani ad supra memoratum Pandulphum Marsorum Antistitem, quos fecit ejus rogatu in laudem dictæ Beatæ Sabinæ, ad cujus honorem erat consecrata ipsius Marsicana Ecclesia in Provincia Valeriæ, leges apud Ughell. Ital. Sacr. in calce Tomi x. post Indic. Gen. edit.2. col.47. Hymnosque ibidem col.49.

Die XI. mensis Augusti: S. Rufini Episcopi & Martyris Officium in Marsorum Ecclesia enunciato Ordine recitatur; ejusque monumenta in d. Regia Part.II.pag.32. & 537., Phæbonio in illius Vita italice descripta, latine vero apud cit. Ughellum col. 885. ad 888. recensentur: Romanum Martyrologium edit. M. DC. XXX. typ. Vatican. hæc habet: *Eadem die passio Sanctorum Rufini Marsorum Episcopi, & Sociorum sub Maximino Imp.* & in Baronianis ibidem Notis pag.393. lit.E.: *Rufini Episcopi: agitur de eodem hac die in Ecclesia Marsicana. Legi tam ejus, quam S. Cesidii ejus filii Martyris Acta ab eadem Ecclesia accepta.... Cesidium autem passum esse Transaquis apud Lacum Fucinum prid. Kal. Septembris: viget ibidem utriusque Martyris religiosa memoria multis miraculis illustrata.* De his cit. item Ferrarius in Catalog. Sanct. fol.501., aliique in libro Vir. Illustr. Marsor. pag.83. ad 89.: ipsa Acta manuscripta huc usque in antiqua Transaquarum Ecclesia servantur: quorum exemplar mihi a P.Caieta-

jetano Lucchesi de Taliequitio (*a*) Ord. Min. Convent. Magistro & Provinciali transmissum, forte amanuensium oscitantia mendis non caret, initiumque habet: *Vita Sanctorum Cesidii, Rufini, & Sociorum Martyrum, quorum Corpora .... Triumphales Martyrum laudes ....*: Complura ibidem narrantur prodigia ab Omnipotenti Deo ipsorum intercessione patrata. In M.S. Constantini Cajetani servato in Bibliotheca Archigymnasii Urbis ex cit. Reg. Marsic. Part.II. pag.45. & in altero q. P. Dominici Petri-Antonii S.J. de historia Latii nunc apud Trebanam Ecclesiam Tom.v. pag.64. 65. ipsorum Vita legitur Sanctique Cesidii brachium memoratur, quod argenteis compactum ornamentis & suavissimi odoris fragrantiam exhalans, magna religione in Transaquarum Ecclesia apud Marsos colitur. Quicquid autem congesta Manu Scripta vel historica documenta de hisce Sanctis Rufino & Cesidio adnotarint una cum ipsorum Actis, leges apud doctissimos Bollandianos, nuper explanata distincta & splendidis illustrata verbis, quæ mox extensa damus, atque transcripta ex Tom.II. mensis Augusti edit. Antuerp.M.DCC.XXXV. pag.633. ad diem XI. dicti mensis, a Cl. Viro P. Joanne Baptista Sollerio S.J. Bollandi Operis Socio & Continuatore ita disposita & enucleata.

De S. Rufino Martyre Marsorum in Italia Episcopo.

COMMENTARIUS CRITICUS.

§. I.

S. Rufinus Martyr, qui XXX. *Julii colitur, ab hodierno Sancto Rufino distinguendus.*

„ IN eosdem scopulos relabimur, unde vix bene emerseramus die XXX. Julii, ubi de S. Rufino Assisiensi Martyre agendum fuit. Frustra rogati sunt Assisienses, ut lu„ cem

(*a*) Lexic. Lat. 7. ling. edit. Patav. 1731. fol. 45. *Alba* & apud nos Taleacotio, vulgo Tagliacozzo: V. Reg. Marf. Part. I. p. 274. 278. seqq.

„ cem aliquam nempe tolerabiliora monumenta suggere-
„ rent: unde id solvi posset, quod ibi a nobis quæsitum
„ est, unusne, an plures Sancti Rufini Assisii celebrentur,
„ quibusque diebus singuli? De Martyre, quem dicta xxx.
„ Julii retulimus, dubium mihi quidem non est: quin is
„ indicetur, quem in celebri descripto a nobis sermone lau-
„ davit S. Petrus Damianus, dum ita scripsit: Beati igitur
„ hujus Martyris Corpus de Suburbio Assisiensis Oppidi, ubi
„ antiquitus fuerat positum, intra mænia postmodum fuit
„ gentilis impetus terrore translatum: ubi & Ughellum re-
„ futavimus, rotunde asserentem, quod Hugo Episcopus an-
„ no 1050. corpus Sancti Rufini transtulerit. Habes ibidem
„ num. 4. rejectam Ferrarii assertionem, qua eodem die
„ alium Sanctum Rufinum obtrudit ab eo Sancto Martyre
„ toto Cœlo diversum.

„ Superest modo quærendus Episcopus, qui Assisii
„ etiam Martyrio coronatus sit, de quo ita Jacobillus de
„ Sanctis Umbriæ Tom.I. a pag.701.: Vita Sancti Rufini
„ Martyris Episcopi populi Marsorum, qui sanctam Fidem
„ Assisii plantavit, & in ea Civitate Martyrio affectus & se-
„ pultus, ejusdem Jacobillus cum Ughello, quem audire
„ juvat sub titulo de Marsorum Episcopis Tom.I. a col.955.
„ ubi primo loco Rufinum collocat longiorique oratione,
„ nescio quæ Acta commemorans; & hæc quidem sunt, in-
„ quit, quæ summatim de Vita Sancti Rufini videntur pos-
„ se adferri. Acta porro illa quanti facienda sint, & Ba-
„ ronius pridem & Ughellus ipse satis declarant, mihi cer-
„ te tanti non sunt, ut ea huc velim adducere: ea nobis
„ hìc sola dirimenda est quæstio, jam a tanto tempore pro-
„ posita, unus ne, an plures Sancti Rufini Assisii celebren-
„ tur? Loquamur pressius: num is, quem dedimus xxx. Ju-
„ lii cum eo, qui hoc die colitur, sit confundendus? De
„ aliis enim Rufinis Assisinatibus, quos Ughellus ibidem
„ commemorat, hìc non agitur. Audi ipsum loquentem:

„ Unum autem tantum Rufinum esse, qui tam Mar-
„ sos, quam Assisinates in Umbria illustraverit Evangelio,
„ ac Antistes utriusque præfuerit populis PRO CERTO

„ HABEO, tametsi monumenta M. SS. utriusque Ecclesiæ „ de genere mortis locoque videantur discrepare, in cæ- „ teris tamen conveniunt. Sanctus Petrus Damianus in suis „ sermonibus illorum temporum haud satis peritus duos „ Rufinos invenisse videtur, cum narrat in xxx. diem Julii „ ejus mortem incidisse affirmatque eadem die Assisii ejus „ Festum celebrari solere. Quamobrem Martyrologium „ Romanum authoritati Petri Damiani innixum, Sanctum „ Rufinum retulit in hanc diem TAMQUAM EPISCO- „ PUM ASSISINATEM, in xi. vero diem Augusti alte- „ rum Rufinum Marsorum Episcopum, cum tamen constet, „ utriusque Rufini Acta vel simillima vel eadem esse atque „ apud Marsos, Assisiumque xi. die Augusti Festum S. Rufi- „ ni celebrari cum iisdem Lectionibus officioque, in qui- „ bus narratur, primum Marsis, deinde Assisinatibus eun- „ dem Rufinum Episcopali munere insignitum præfuisse. „ Perperam igitur unus idemque in duos fuisse dissectus vi- „ detur ex Petri Damiani errore.

„ Bona Ughelli venia, nec S. Petrus duos Rufinos in- „ vexit, neque Martyrologium Romanum Sanctum Rufi- „ num retulit in hanc diem xxx. Julii tanquam Episcopum „ Assisinatem. En ipsissima ejus verba: Assisii in Umbria „ S. Rufini Martyris, in Notis autem: Extat de eodem ser- „ mo S. Petri Damiani sermone, quem ad istum diem de- „ dimus, nec verbum extruderis, unde de Episcopo vel „ remotissime agi intelligatur. Ut quid igitur tanto cona- „ tu insurgit, ut S. Damianum, & ex ipso Baronium de ge- „ minato S. Rufino Episcopo accuset? Sinat, obsecro, San- „ ctum Martyrem, de cujus solo labro vel urna lapidea „ inter Hugonem Episcopum & Cives Assisinates anno 1050. „ disceptabatur, cultu suo gaudere tanquam simpliciter „ Martyrem; Episcopum vero ab eo diversum audacter sta- „ tuat, de quo non xi., sed xiii. sæculo reperto ne quidem „ somniare potuit Damianus. Testem ipsum Ughellum ad- „ voco in Vidone Assisiensi Episcopo, dum ita loquitur: „ Meruitque SANCTUM RUFINUM PRIMUM ASSISII „ EPISCOPUM & Martyrem invictum, qui ad eam diem

„ mor-

„ mortales latuerat, reperire repertumque in Cathedrali „ honorificentiori loco collocare die III. Mensis Augusti M. CC. XII.

„ Habes hic S. Rufinum primum Assisiensem Episcopum & Martyrem invictum, habes sæculo primum tertiodecimo repertum ejus Sacrum Corpus, tumque in ipsa „ Cathedrali totius populi venerationi expositum, quod ante eam diem mortales latuerat. At certe non latuerat Sanctus ille Martyr Synonymus, de quo in sermone suo loquitur Sanctus Damianus, utpote cujus urnam (num. 6.) „ corripientes septem homines AD S. RUFINI BASILICAM „ tanta celeritate provexerunt. Extabat itaque Assisii sæculo illo undecimo notissima Sancti Rufini Basilica a populo in tanta veneratione habita, ut Hugone Episcopo „ Loci nequidquam repugnante, eo etiam repertam ejus „ urnam detulerint, qui proinde alius omnino censeri debet ab eo S. Rufino Episcopo, qui duobus post sæculis „ primum repertus est, & in Cathedrali depositus. De priori illo, quem proprio natali die XXX. Julii retulimus, dicta sunt quæ dici potuere ex S. Petro Damiano, nunc „ disquirendum superest, quis ille sit Sanctus Rufinus Episcopus item & Martyr, qui hac die XI. Augusti in Martyrologio Romano refertur.

§. II.

S. Rufinus, qui hoc die Assisii colitur, videtur dicendus Marsorum Episcopus.

„ HOdierna annuntiatio Martyrologii Romani his plane verbis concipitur: Eodem die passio Sanctorum „ Rufini Marsorum Episcopi & Sociorum sub Maximino Imperatore. Ad quam hic omnino præmittenda Baronii „ notatio in hac verba: Agitur de eodem (Rufino Episcopo) hac die in Ecclesia Marsicana. Legi tam ejus, „ quam S. Cæsidii ejus filii Martyris Acta ab eadem Ecclesia accepta, quæ tamen non levi indigent emendatione.

„ Reperimus vero alia illis fideliora, sed imperfecta, nobis impartita ab Ecclesia Pistoriensi, producta tantummodo usque ad Rufini carcerem, in quem Romæ detrusus fuit. Cætera autem, quæ desiderabantur in primo exemplari, ab alio aliquo supperaddita, qui maluit ea suo ingenio ad finem perducere, quam relinquere imperfecta.... vetus traditio prædictæ Ecclesiæ & antiqua monumenta contradicunt, quibus constat, S. Rufinum una cum Silone & Alexandro apud Reate fuisse truncatum capite tertio Idus Augusti; Cæsidium autem passum esse Transaquis apud Lacum Fucinum pridie Kal. Septembris. Viget ibidem utriusque Martyris religiosa memoria multis Miraculis illustrata. Hinc manifeste colligitur, in Actis illis, quæ vidit Baronius, nullam prorsus Assisii fieri mentionem.

„ Neque vero a dictis multum dissentit Ferrarius, sic sua torquens, ut a Baronio non videatur velle discedere. En ejus textum: Rufinus Episcopus Marsorum, cum, Maximino Imp., Fidem D.N.J.C. gentilibus in Marsicana Civitate prædicaret, a Luciano quodam Imp. ministro, qui ex Piceno Romam per Valeriam transibat, cum apud Arcum Augusti ab Urbe Roma ad 75. m. p. distantem magnam populi multitudinem ad Rufini prædicationem conversam vidisset, apud Imp. delatus est una cum Cesidio Presbytero, qui Transaquis prædicabat. Is Ascanium Cornicularium eo misit, qui Rufinum vinctum Romam perductum carcere inclusit. Cesidius vero cum Rufinum captum & Romæ in custodia detineri accepisset, ad Urbem veniens, Rufinum nocte allocutus, ad eum per fenestram ingressus est. Post aliquot dies e carcere cum aliis Christianis emissi, Rufinus ad propriam Ecclesiam reversus est. Cumque prædicatione & signis multos ex gentilibus in dies converteret, iterum ab Idolorum cultoribus captus una cum Alexandro, & Silone varie exagitatus, tandem apud Reate capite truncatus, Martyrium consumavit tertio Idus Augusti.

„ Multa ibi citat Ferrarius, longe plura Jacobillus, „ quæ

„ quæ utinam ex fontibus ipsis clarius liceret perspicere. „ Verum ut ut ea sint, certe Jacobillus & a Ferrario & a „ Baronio recedit quam longissime, ut ex solo ejus titulo „ superius relato satis aperte ostenditur. Repetamus ver- „ ba: Vita S. Rufini Martyris Episcopi populi Marsorum, „ qui sanctam Fidem Assisii plantavit, & in ea Civitate Mar- „ tyrio affectus & sepultus, ejusdem Protector est. Histo- „ riam porro ita contexit, ut multa incongrue misceat Ru- „ finum ex Amasia Cappadociæ Metropoli Romam addu- „ cens tempore Imp. Maximini, quem cum S. Fabiano Pa- „ pa inepte connectit; de cætero ita sua commiscens, ut „ Ughello succenturiari voluisse satis manifeste pateat. Non „ eo tamen cum aberrante Ughello progressus est, ut cele- „ bre Martyrium Sanctarum Niciæ & Aquilæ historiæ Rufi- „ nianæ imperite innecteret Romamque adduceret, quas „ in Lycia Martyrium subiisse constat; de quibus videnda „ quæ diximus ad diem xxiv. Julii, quo ab Ecclesia cele- „ brantur.

„ De cætero præiverat Ughellus in inchoanda S. Rufi- „ ni passione Amasiæ sive in Cappadocia sive fortasse in ex- „ trema Germania, ubi Proconsule cum aliis ad Fidem con- „ verso, liberatus carcere in Italiam profugit, ibique po- „ pulo Marsicano Evangelium ferventi zelo prædicans, ite- „ rum captus Romamque perductus, Andream Proconsu- „ lem illum a se antea conversum ad Martyrium fortiter „ subeundum animare non destitit; deinde vero ex divino „ nutu, permittente Præfecto, vincula discussit, ad Mar- „ sos suos feliciter redit, solatusque tantisper pusillum gre- „ gem, Assisinatibus in Umbria, tum Idolatriæ tenebris „ adhuc immersis eodem pietatis ardore Episcopum se præ- „ buisse dicitur & Apostolum; adeoque primum scilicet E- „ vangelii in ea regione prædicatorem.

„ Quo munere [Ughelli verba sunt] cum ardentius, „ ideoque cum incredibili gentis admiratione perfungere- „ tur, iterum teterrimo carcere mulctatus est, adolendaque „ Apollini thura abominatus cum Sociis, ignis tulit sen- „ tentiam, sed insufflante Angelo, cum dissipatus ignis de- „ cidis-

„ cidisset ardorem, liberis illibatisque ad exitum patuit for-
„ nax, eoque perspicuo miraculo, cum plures convicti eva-
„ sissent Christiani, solus Aspasius Præfectus in christianam
„ rem odio pertinaciori concepto, Rufinum Sociosque vi-
„ vere non est passus, quibus surdus edaxque ignis voraci-
„ tatem suam oblitus pepercisset, siquidem cum extra mu-
„ ros Assisinates duci jussisset Rufinum, mola lapidea ad
„ ejus collum alligata, in ingluviem fluvii Eloasii præci-
„ pitatum omnesque ad unum sævissime tortos occidit
„ die xi. mensis Augusti. Ita Ughellus cum suo Jacobillo,
„ S. Rufino Martyrii palestram Assisium statuere contendit,
„ nequidquam refragante Martyrologio Romano.

„ Pergit autem postmodum idem Ughellus æque ma-
„ gistraliter: & hæc quidem sunt, quæ summatim de Vita
„ S. Rufini videntur posse adferri utinam majori fide & au-
„ ctoritate. Audisti jam supra; unum autem Rufinum, qui
„ tam Marsos, quam Assisinates in Umbria illustraverit
„ Evangelio ac Antistes utrisque præfuerit populis PRO
„ CERTO HABEO, tametsi monumenta M. SS. utriusque
„ Ecclesiæ de genere mortis locoque videantur discrepare.
„ Fallor equidem, nisi recte discrepent, & in hoc discre-
„ pare debeant, quod unus tantum Rufinus fuerit. Jam bi-
„ nos istius nominis Assisinatibus asseruimus, Martyrem
„ nempe, de quo meminit S. Damianus, & alium primum
„ Assisiensium, sed non Marsorum Episcopum, cujus sa-
„ crum Corpus anno M.CC.XII. repertum ostendimus, ut adeo
„ duobus illis contenti esse possint Assisienses, eumque, quo
„ de hic modo agimus, Marsis relinquere, sicque ambæ
„ Ecclesiæ proprium synonymum Episcopum suum, vel
„ eodem hoc die merito celebrari possint, quidquid nescio
„ a quo tempore confusi videantur. Utrum vero e duobus
„ Pistorienses, Hispelenses, aliique a Jacobillo enumerati,
„ ut Patronum venerentur, ipsissmet curiosius disquiren-
„ dum relinquo.

His addimus Demetrii versus olim ad S. Rufini honorem editos, & legendos in nostro libro Viror. Illustr. Marsor. pag. 83., necnon Hymnum in illius passionem, ex Petro Ostien-

Ostiensi a Ferrario recitatum, quem etiam vide in memorato Opere Vir. Illustr. Marsor. pag. 88. & 89.

Die XXVI. mensis Augusti Celani apud Marsos SS. Simplicii, Constantii, & Victoriani Officium dupl. de Comm. plurim. Martyr. cum Octava, ex relato ordine: qua quidem die, ut antea probatum est, iidem Christi athletæ coram Principibus & Potestatibus effuso sanguine steterunt fortes & invicta constantia; qualem profecto generatim extulit S. Hilarius Pictaviensis Antistes in libro contra Constant. Imp. denuo Veronæ edito ann. M. DCC. XXX. inter illius opera Tom. II. col. 561.: Quum autem brevitas exiguam quærat orationem, ex S. Isidoro Pelusiota de Interpret. Divin. Script. libr. III. epist. XCV. pag. 198.; idcirco de Martyribus nostris, quorum tota est Dissertatio, hic ad rubricæ ornatum pauca nobis adnotanda sunt, quæ autem respiciunt Festum cum Officio d. die vigesima sexta lati mensis, satis fuse Dissertatio narrat; novam tamen peculiaris Officii concessionem vel potius integrationem, illi ad quos pertinet, diligentissime ut audivimus ac exoptamus, ad majorem Dei gloriam ab Apostolica Sede impetrare curabunt. Nam vetustum dd. Martyrum Officium sex in Lectiones proprias cum antiphonis, orationibus seu Collectis tempore Missæ adhibitis, ut e cit. §. II. aut Nota II. & IV. §. IV. vel Nota I. §. IX. liquet, dispertitum cum *psalmicinibus*, ut vocant, olim Celanensis concinebat Ecclesia, cujus dedicatio, sicut in eodem Divini Officii ordine prænotatur, die VIII. mensis Octobris quotannis agitur: Priscum vero Templi monumentum inter pretiosos antiquitatis thesauros reponendum esse, citatis in locis probavere Scriptores. Quo denique ad ipsorum Martyrum diem Festum XXVI. mensis Augusti a Celanensibus speciali veneratione celebratum, vide generatim, novissimam Constitutionem SS. D. N. BENEDICTI XIV. feliciter Sedentis super Festorum dierum imminutione, sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XII. Decembris M. DCC. XLVIII.

Die XXIX. Augusti: Officium S. Sabinæ Martyris, cui ut supra diximus, prisca Marsorum Ecclesia in ipsa Civitate

Va-

Valeriæ dicata erat: Modoque eidem addo verſus, ac Hymnos ab Alphano Archiepiſcopo Salernitano exaratos, & Pandulpho Marſorum Antiſtiti tranſmiſſos, cujus rogatu eos edidit, teſte Ughello poſt Tom.x. Ital. Sacr. col. 47. ad 50.

Præſul amande magis multo quam credis amari,
Aſpice compoſitum mente verentis opus.
Non ſecus ac potui, fuerant quæ juſſa peregi,
Dulcius ut referunt carmina, proſa metrum.
Vox tua me monuit, pariterque monendo rogavit
Laudes Sabinæ Martyris ut canerem.
Forte quidem volui carmen vitare laboris
Obice, ſed timui diſplicuiſſe tibi.
Velle tuum novi, quod nondum poſſet amoris
Exiguo ſolvi crimine jam didici.
Non ego ſic adeo ſum mente munitus, ut ultro
Expers pertulerim muneris eſſe tui.
Res in amicitia nimis hæc laudabilis extat
Apta quidem fieri quælibet unanimi.
Barbarus eſt miſere, qui vixerit hoc ſine more
In medio Getici, cui placet eſſe ſoli
Lætus ſpe veniæ tantum mihi, poſtulo, præbe
Juſſis quod fuerim tardior ante tuis.
Maxima res erat atque meis non viribus apta,
Ardua dactylicis pangere geſta metris.
Rite tamen feci tibi quod veneranter adhæſi,
Suſtulit opprobrium vox tua nempe meum.
Ordine pro vario numeroſis legibus hymnos,
Reſpice compoſitos non ſine mole duos.
Verſibus antiphonæ binis ſunt pene notatæ
Membra quod octo tenent jure duæ pariles.
Et ſunt ter ſeptem ſicut mox exigit eſſe
Priſcus, & eſt natis conſona quæque ſuis:
Inde tibi reſtant ter reſponſoria terna
Sicut ter in his novies ter ſine labe pedes.
Conſcripſi tandem pede liber martyris artes,
Obſequio fuit hic res aliena mihi.

Pro-

Proferat studium Cypriani sæpe relectum
Optime quo fertur scribere martyribus.
Ardet in antiquis, ut stella retrograda libris;
Lumen in Ecclesiæ dat speciale fide,
Fas tibi rhetoricis fuit ejus floribus uti,
Atque coloratis ludere sæpe jocis,
Nunc licet, ut licite Scribentibus, atque licebit;
Usus & hic morem legis habere solet.
Solvi non poterit res hæc rationibus ullis,
Si non solvuntur cætera jura simul.
Arbiter hæc sapiens tantum discernere debes;
Lætitiæ poterunt si tibi ferre locum
Esto quod esse velis, mihi non mea causa nocebit;
Restat & hic fidæ pignus amicitiæ.
Nec timeo verbis aliorum rite refelli,
Judice dum fuero te fruiturus ego.
Tu mihi cordis apes fugiunt quibus antea Cyclope;
Ac tua non pariter pungere tela valent.
Non ego confertum virtutum munere pectus
Vidi sic penitus, ut patet esse tuum.
Solus amata sapis dulcedine nobilitatis,
Auxiliumque satis ferre tuis famulis.
Rursus & ista tui facient rata scripta propinqui,
Cum quibus ut spero te duce tutus ero.
His ego pro muro jam lassus ab hostibus utor,
In quibus esse nihil vita dedit vitii.
Esse tui memores non cessant nocte, dieque
Pro te conveniunt sæpius ante Deum.
Instat Oderisius lachrymis, precibus Theodinus;
Sed Transmundus agit hoc quod uterque facit.
Cognosco reliquos sed ut his artibus aptos
Ore canunt solis vocibus, atque notis.
Prosit & hæc istis bonitas, quæ profuit illis,
Ut studeant pariter prospice solicite.
Sed tamen, ut possum, quos dixi prædico prorsus
Semper dum fuero, quos amo, quos timeo,
Accipe quæ potui tibi præmia ferre roganti;

Levia sunt, placidis sed tamen apta locis.
Ut merces tanti non sis mihi cassa laboris,
Tu fac implores Martyris hujus opes.
Et super hæc rogito Pandulphi vota memento
More pii patris digna juvare tui.
Integra sit pueri bonitas tibi grata Leonis,
Nec tibi displiceat, hunc, ut ameris, ama.
Ut tibi quo semper te diligat, atque libenter,
Obsequium possit solvere sæpe tibi.
Mente satis miti devotus in ordine vivit,
In quo perficitur cunctipotentis opus.
Nunc tibi sint satis hæc, valeas, vestrumque meumque
Onoma quæsitum carminis ora ferunt.

Hymnus ejusdem in laudem S. Sabinæ.

Præbe Christe canentibus
Munus lætitia Martyris, ut tuæ
Sabinæ Sacra præmia
Promantur pariter vocibus, & lyra.
Claris orta parentibus,
Pollens eximii conjugio viri
Præstanti facie nimis,
Morum plena satis, dives opum fuit.
Hanc virgo monitis suis
Seraphim probe fecerat idola
Toto corde relinquere,
Factorique suo credere concite.
Sprevit jura potentium,
Durum non timuit supplicii genus,
Sed præbens gladio caput
Centenæ merito frugis adit gradum.
Sic in morte semel suos
Abscondens oculos semper ovans videt,
Solis perpetui jubar
Nunquam deficiens hujus erit dies.

Fe-

Felix orbe potentior,
Quæ cælum recipit ſanguine pro ſuo,
Cui merces paradiſus eſt
Vitæ deliciis moribus affluens.
Illic purpureus roſæ
Flos, & nardus ineſt, vernat amaranthus
Floret cum violis crocus,
Spirant thura, thymus, lilia, balſamum.
Hymnos angelici chori,
Condignum reſonant carmen Apoſtoli,
Pſallunt, quam bene Martyres,
Et plectro feriunt tympana Virgines.
Salva Sancta perenniter
Horum quæ medio pſallis in agmine,
De quo jam ſpecialiter
Marſorum petimus munera reſpice.
Locus æterni, ſalus, honor,
Virtus, imperium, lux ſine termino
Rex regum tibi Chriſte ſit,
Et cum Patre Deo, Spiritui Sacro. Amen.

Item alius Hymnus in laudibus ipſius.

AD Patris decus optimi
Cordis vocibus intimi
Sabinæ celebres chori
Laudes pangite Martyris
Cæli ſcandit ad arduum
Sanctorum vice martyrum,
Et Regis ſibi Filium
Junxit fœdere Virginum.
In cujus diademate,
Gemmæ more hyacinthinæ
Summis pro meritis nitet,
Quæ Chriſti meruit fide.
Cæleſtis ſibi dignitas,
Divo ſanguinis indita

Novit ſolvere præmia
Metæ temporis inſcia.
Ejus gloria circulos
Semper præterit annuos,
Quæ tanto ſit amatior
Eſt quanto pretioſior.
Mundi delitiæ tetrum
Mortis poſſideant locum,
Cujus ſupplicii genus
Vitæ ſit dare præmium.
Ora pro famulis tuis
Martyr germine nobilis
Multo nobilior magis
Sacri ſenore ſanguinis.
Moles diſſipe criminis
Finem poſce periculis
Et mortis febre languidis
Da munus valetudinis.
Noſtris inſere mentibus
Chriſto reddere debitum,
Ne nos fortia Judicum
Perdant jura potentium.
Præſta Conditor optime,
Qui cum Patre Deus manes
Cum ſancto quoque Flamine;
Qui regnas ſine termino. Amen.

Die xxx. Auguſti, Feſtum S. Petri Eremitæ Confeſſoris: duplex I. Claſſ. cum peculiari Officio apud Marſos, & Abbatiam Sublacenſem atque Trebanos hoc tenore ac infra: *In Feſto S. Petri Eremitæ die* xxx. *menſis Auguſti, dupl. I. Claſs.... Lectiones II. Nocturni....*

Lectio IV.

PEtrus *Eremita prope Carſeolos in Arcis Vegetis* (a) *Caſtro Marſicanæ Diæceſis* (b) *natus, ab ineunte ætate morum integritate pudicitiam & innocentiam mirifice coluit. Ado-*

(a) Vulgo Rocca di botte, ac infra: V. Reg.Marſ. Part.I. pag.223. 224.

(b) Vel Marſorum & promiſcue: non vero *Marſicenſes*, qui alii ſunt populi in Prov. Baſilic. h. R. V. Ughell. tom.I. Ital. Sacr. in Diœc. Marſor.

Adolescens cum a Parentibus ad ducendam Uxorem impelleretur, illis clam, patriaque relictis, Tybur secessit, ubi annos aliquot apud Cletum virum probum & pium diversatus, eo brevi progressu effecit, ut Magistrum suum superare videretur. Ejus Sanctitatis fama, ubi ad Episcopi aures pervenit, Petri ille virtutes admiratus, ipsum in Clericorum numerum adscripsit. Tu autem ....

Lectio V.

INterea Episcopi jussu in Patriam reversus ut Concives suos ad pietatem institueret, eorum quamplurimos, sermonibus de rebus piis, quos ad eos faciebat, e corruptis moribus ad emendatiorem vitam traduxit. Quod cum faceret, impiis hominibus illum oppugnantibus, eumque deridentibus nunquam cessit, ab ipsis etiam cæsus, eam injuriam pariter sustinuit: Cumque apud suos, duos circiter annos fuisset, tandem Sanctissimæ Dei Matris admonitu, inde recedens, ad eum locum, qui Sublacus dicitur, venit: ubi sex Menses apud Monachos S. Benedicti commoratus; finitima loca, quo proximum adjuvaret, circumivit: In iisque, Deo juvante, multa sancte & admirabiliter gessit: Dæmonem, qui eum in Ecclesia Sancti Abundii orantem impedire conabatur, a se expulit: carnem quoque cilitia perpetuo afflixit. Tu autem .....

Lectio VI.

TRebas deinde profectus, cum ibi magno suo dolore Christianos ritus collapsos vidisset, eosdem restituendos suscepit, atque ejus Oppidi incolas ad diem dominicum rite colendum hortari cæpit. Idque ita fieri debere, ut eos monebat, miraculis confirmavit, ibique plurimis quoque ad salutem profuit. Orationi adeo intentus erat, ut præcando, a Deo quamplurima impetrarit. Vas vitreum confractum Divina virtute restituit: multos, qui offerebantur homines morbis variis affectos sanavit, Dæmonum æstu agitatos liberavit, cæcorum oculos, surdorum aures aperuit, aliaque divinitus egit, quibus Deus ejus Sanctitatem omnibus notam esse fecit. Demum Beatus vir his aliisque meritis cumulatus in Cælum migravit ad præmium tertio Kalendas Septembris, ex cujus cor-

corpore suavissimus mox odor, mirantibus qui aderant, manare cæpit. Tu antem ....

Martyrologium Romanum sub d. die xxx. Augusti veteri editione pag.158., ac novissima typis Salvioni anni 1748. fol.202. hoc habet elogium: *Trebis in Latio S. Petri Confessoris, qui multis clarus virtutibus, & Miraculis ibidem migravit ad Dominum, & honorifice colitur*; Ejusque Vitam in Phæbonio habes & in Regia Marsic. Part.II. pag.135. lateque apud Bollandianum opus ad ipsam diem Tom.vi. edit. B. A. Vander Plassche fol.634. col.1., ubi ejusdem operis doctissimi Continuatores sic Acta lustrare incipiunt: *Die 30. Augusti de S. Petro Confessore Trebis in Latio Italiæ Regione: Commentarius prævius* §.I. *variæ de Sancto notitiæ, Patria, educatio .... tempus Vitæ & mortis. Trebarum Oppidum in Latio pluribus infra memorandum, ejusdemque Territorium ac vicini tractus non mediocrem acceperunt splendorem ab hoc Sancto Confessore, virtute, meritis, ac Miraculis clarissimo: ad cujus promovendam gloriam egregie nos instruxit P. Dominicus Ant. Petrantonius S.J., quando anno* 1700. *huc transmisit varias, ac multas de illo notitias, postea latius a nobis laudandas ...* Et locum memorant dicto vulgari nomine Carsoli nuncupatum illius regionis facile principem, qui S. Viro Patriam obtigit in Diœcesi Marsorum de quo Ovidius Fast.4. cecinit:

Frigida Carseolis, nec olivis apta ferendis
Terra; sed ad segetes ingeniosus ager.

Nam revera Sanctus ille in ipso Arcis Vegetis Castro sub Carseolorum ditione ortus est, non longe a vetusta Ecclesia B. Mariæ Virginis titulo Egentium in Montis cacumine posita erectaque, ut loco cit. n.3. scribunt, anno Domini DC. x. sub Bonifacio IV.: Quam sane historiam nos etiam in sæpedicta Regia Marsicana Part.I. pag.228. retulimus. *De Marsorum autem Regione* (pergunt) *origine, Oppidis aliquot ac finibus aliisque ad istum populum spectantibus, scribit Orlendius in Orbis sacri & Profani Parte* II. *Volumine* III. *libr.*IV. *cap.*III.: *Hæc de Sancti Patria*: Dictæ Arcis Vegetis Castrum, nunc *Rocca di Botte* appellatum, for-

fortasse Arcem fortem Samnitum d. n.3. autumant; & in Chronica Sublacensi sub eodem Carseolano Ducatu apud Marsos hujusque Regni Confinia, *Rocca Votte* notari scribunt. Erat olim id Oppidum sub ditione Sublacensis Abbatiæ una cum iisdem Carseolanis XVII. Mill. a Treba Latinorum distans: Intra mœnia exstare dicunt paternam Sancti domum, postea in sacram Ædem redactam & supra eam cubiculum, in quo ipse natus & nutritus fuerat; atque in Templo jampridem S. Benedicti Monasterio, quod exinde Sancto Petro Apostolo cum Paræcia dicatum fuit, exstare ajunt, Sacellum cum Sancti Reliquiis; inque proximo Monte extra muros veneratione haberi Fontem aquæ salutaris ad preces ejusdem Sancti ortum, modoque suo nomine vocitatum: Cætera ipsius Vitæ monumenta sequuntur in cit. §.I. n.4. ad 12. & seqq., ubi alia Gesta, quæ summatim in d. Lectionibus recitantur scite perpendas.

Ex his omnibus per insignes viros a nonnullis Notis & M. SS. diligenter petitis, hæc inter alia satis conspicua liquent; crux nempe ferrea nunc in Trebana Ecclesia pie adservata, qua Sanctus, utebatur in Verbi Dei prædicatione, universa loca viciniora & Castra concursans in Valle de Nersa Marsicanæ Diœcesos, vel ut loc. cit. n.5. his verbis ferunt, puta circa *Carseolim*, *Percto*, *Rioffredo*, *Pojo Cinolfo*, *Oricola .... Camerata*, *Arsoli*, *Vallinfreda*, *Colle alto*, *Tufo*, *Cerbaria* ... [de quibus & Reg. Marf. Part.I. variis in locis] *de anno* M.LII.*quando Sublacum venit* ...: Ac num.6. ibidem inseruntur Sancti ejusdem raptus in ecstasim per multos dies, sicuti de S. Ignatio Loyola in d. opere Tom.VII. Julii die XXXI. pag.665. habentur: Verum num.7. de Sublacensi Abbatia differitur, cujus permulti meminere Scriptores cum Mabillon. Tom.I. Annal. Benedict. ad ann.CCCC. XCIV. n.8.: Alia plura vide in d. §.I. n.8. 9. 10. & in §.II., ubi ejusdem Sancti mortem accidisse d. die XXX. Mensis Augusti anno M. LII. memorant; & in d. Bollandiano Opere cit. Tom.VI. relati Mensis & §.II. sepulchra Officium proprium Cultus promotus translatio Corporis & reliquiæ mirificus odor post tot secula adhuc perseverans in ejus Ci-

Cilicina veste, quæ transparenti velo serico cooperta osculanda traditur devotis ac similia; Item assidua miracula præsertim per illius tunicam contra infestos lupos edita in §.II. loc. cit. narrantur. Venerabile insuper Corpus sepultum fuisse perhibent in Collegiata S. Mariæ inferiori Ecclesia, quæ est subterranea, postmodum S. Petri nuncupata: immo in dicto opere tria sacri Corporis successiva referunt sepulchra, quorum tertium celebre dicitur apud novum Altare, ubi anno M. DC. XIX. ab Episcopo Anagnino Seneca magna cum populi frequentia collocatum fuit: A quo sane tempore ejusdem Sancti tunica, sicuti legitur ibidem, suavissimum odorem exhalare incæpit: Et in cit. §.I. n.14. ipsi Bollandiani ex S. Petri veste, hujusque latitudine ac magnitudine dicti Corporis proceritatem, quasi giganteam arguunt.

Officium autem proprium Sancti nostri, ut ibidem fol.637. col.7. habetur, anno M. DC. LXXIV. editum fuit de Communi Confessoris non Pontificis, præter Lectiones secundi Nocturni, quæ Vitam Sancti & Miracula memorant: Missa vero, ut Bollandianus doctissimus socius ait: *Os Justi ex eodem Communi*: *Lectiones novem propriæ olim recitatæ fuerunt.... duo habentur hymni proprii: in laudibus autem repetendus indicatur ille, qui est in primis Vesperis, cujus partem transcribo*, ac incipit: *Petre Confessor Fidei beate.... Sancta. ter, cujus....*

Fertur insuper n.16. loc. cit. promotio Cultus illius per varios Summos Pontifices peracta, quæ ex Bullarum Summariis ibidem narratur: Deinde a num.20. docemur, ineunte seculo XVI., Deo ad honorem Sanctissimæ Virginis Mariæ ejusdemque Sancti Trebæ novam Ecclesiam erectam fuisse, & a dicto Episcopo Anagnino die IV. Octobris M. DC. XVI. consecratam: Nec non anno M. DC. XIX. postremam sacri Corporis Translationem solemniter coram Tyburtino Antistite & Abbate S. Scholasticæ Sublacensi accidisse. De S. Petri Reliquiis vide cit. Opus n.22., ac de memorato Officio §. III. d. Tom.VI. pag.539. col.11., ubi potissime de ipso Officio ejusque extensione agitur, ob vigilan-

gilantiam nempe & auctoritatem Cl. M. Caroli Cardinalis Barberini ann. M. DC. LXXIV. hoc inibi relato titulo procurata: *Officium duplex S. Petri Eremitæ Patroni & Protectoris Terræ Trebarum Abbatiæ Sublacensis nullius Diœcesis . . . ex Indulto Apostolico fel. recor. Clementis PP. VIII. recitari solitum cum octava . . .: Modo autem ex decreto S. R. E. pro universo Clero etiam aliorum Locorum Abbatiæ Sublacensis concessum & extensum, sed sine octava*. Et cit. loc. n.25. sic legitur: *Anno denique 1683. idem Officium cum octava fuit extensum & concessum territoriis omnibus septuaginta duobus & Castellis Diœceseos Marsicanæ ad instantiam Illustrissimi Domini Antonii* [ut incaute dicunt, melius (a) Francisci Bernardini] *Corradini Episcopi ejus, qui illud imprimi jussit Neapoli vi sequentis Decreti S. Rit. Congregationis, quod sic loquitur: Sacra Rituum Congregatio ad preces Reverendiss. Episcopi Marsicani benigne indulsit facultatem, ut in posterum justis de causis semel in anno die* XXX. *Augusti in tota sua Diœcesi recitari possit Officium duplex cum Octava S. Petri Eremitæ ab omnibus utriusque sexus tam regularibus, quam secularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, jam approbatum & concessum pro Oppido Trebarum Anagninæ Diœcesis & postea extensum ab eadem S. C. sub die* III. *Martii 1674. pro universo Clero tam Terræ Sublaci, quam aliorum Locorum Abbatiæ Sublacensis. Hac die* III. *Octobris 1683. Nic. Card. Ludovisius. Loco ✠ sigilli. Gratis. Berard. Casalius S. R. Congr. Secr.*: Vide cit. Reg. Marsic. de illius Vita Part.II. pag.141. 142. Anno demum M. DC. XCI. die XXIV. Novembris Sanctus Petrus ab eodem sacro Senatu Martyrologio Romano per elogium supra relatum adscriptus fuit, quemadmodum etiam ex Actis Sanctor. Orbis d. Tom.VI. Mensis Augusti cit. pag.639. col.I. num.6. manifestum est. Quod vero ad cognomentum spectat titulumque Eremitæ, qui Sancto adjungitur, vide ipsa Acta loc. citat. num.29. pag.641.; & pro illius solemni Canonizatione n.31. ac n.32, 33. De ipsa agentes non paucos Scriptores habemus: Item Vitam auctore anonymo antiquo ex Archivo Trebano in

Mm La-

(a) De quo cum laude in Reg. Marf. Part.II. pag.572.

Latio descriptam cum Miraculis a Deo ejusdem intercessione patratis, per Cl. Viros Bollandianos ibidem variis notis illustratam leges.

His accedit S. Gemmæ Virginis Marsicanæ superius laudatæ monumentum, in quo ipsi Bollandiani eam dixere Beatam atque in cit. Divini Officii Ordine prætermissam, neque Martyrologio Romano huc usque additam: Ideoque in Marsis, ubi orta est sive in Valvensi Diæcesi, ubi Miraculis clara quiescit, nullum de ea proprium nec de Communi recitatur Officium. Ipsius ergo nomen Sanctæ Sedis auctoritate in dicto Martyrologio describi officiumque suis cum Lectionibus a Sacra Rituum Congregatione, Deo dante, obtineri curabimus: Nam sicut ex caussa duplici res agitur nostra, ita nobis genere Marso & Valvensi ac Sulmonensi Episcopo, utrumque feliciter eventurum speramus. Interea notandum, egregios Viros Henschenium & Papebrochium in dictis Actis Sanctorum Orbis ad diem xii. Mensis Maii Tom.iii. edit. Venet. m.dcc.xxxviii. pag.182. ita notavisse: *De Beata Gemma Virgine reclusa prope Sulmonem in Italia*: In margine autem signant annum cccc.xxix. quo eam floruisse dicunt, ac deinde pergunt: *Sulmo Urbs Samnii ab omnibus pene Scriptoribus memorata, Ovidii patria, Pelignorum populorum caput inter Aquilam, & Venafrum .... vulgo adhuc Sulmona. Hujus Sulmonensis Diæcesis est Castrum Gorianum ..... In hoc magnam habet venerationem Beata Gemma Virgo, ita ut Templum S. Joanni Baptistæ dicatum, in quo Corpus illius conditum est, nunc ab illa nominetur. Ita Ferrarius ad diem* 12. *hujus Mensis in Catalogo generali ex monumentis illius loci, & in Vita ejusdem manuscripta, & hoc eam appellat* titulo: In territorio Sulmonensi Beatæ Gemmæ Virginis: *Ferrarium describit Arturus du Monastier in Gynæceo sacro. Meminit ejusdem Ludovicus Jacobillus ad diem* 24. *Aprilis in elogio alterius B. Gemmæ Viduæ .... Istius autem S. Gemmæ Virginis Corpus in veneratione habetur in Ecclesia illius nomini dicata in Goriano-Castello, ubi ejus Festum celebratur* 12. *Maii*.

Sed

Sed hi omnes [ajunt] invicem *citra examen secuti, corrigendi sunt ex Opere de Vita S. Berardi Cardinalis ad 3. Novembris referenda, deque aliis Sanctis ac Beatis Marsicanis sub anno* 1673. *Romæ edito per Doct. Mutium Febonium Abbatem Transaceensem* (*a*), *directoque ad D. Didacum Petra ejusdem Diœcesis Episcopum: ubi pug.*109.*&* 118. *expresse dicitur, Festum celebrari* 13. *Maii* (*b*). *Est autem in Pelignis Gorianum duplex, alterum a Vallibus appellatum .... alterum cognomento Siccolum .... hoc ultimum proprium Sulmona abest solis X. M. P. distans, & hujus Sanctæ Patrocinio gaudet, ...*

Sequitur illius Vita ex Italico ejusdem Phæbonii Opere, Latio donata, quam pariter leges in d. Regia Marsic. Part.II. a pag.192., & in cit. Bolland. Tom.III. Mensis Maii pag.252. alia Sanctæ nostræ mentio est in pag.182. Ferrarius vero in nov. Catalog. Sanctorum fol.193. ipsius Festum ad diem XIII. dicti mensis referens, ita scribit: *In territorio Sulmonensi B. Gemmæ Virginis*; & in adnotat. fol. 195.: *Sulmo Urbs .... Samnii .... Marsis proxima .... Gorianum vero Castrum est Sulmonensis Diœcesis .... Gemmæ Virginis, ex monumentis ejus Loci, & Vita ejusdem manuscripta ad nos transmissa, magnam habet ibi venerationem, ita ut Templum S. Joanni Baptistæ dicatum, in quo corpus illius conditum est, nunc ab illa nominetur*: Consule de his opus de Viris Illustr. Marsor. pag.59.: Phæbonius vero in sua historia pag.279. de relato Goriano differens, inquit, *Parvum est .... sed S. Virginis Gemmæ pretiosi Corporis repositione insignitum, ignobili natali ortæ, sed vitæ splendore, & miraculorum gloria claræ, quod in Ecclesia S. Joannis requiescens, pio cultu a Fidelibus veneratur*. De recentioribus prodigiis agitur in cit. Reg. Marsf. Part.II. pag.197. 198.: Impræsentiarum auctus est cultus multaque celebrantur edita per suam intercessionem, maxime in Festo die miracula, quæ d. die XII. Maii magno cum populorum concursu in ipso Goriani, vel ut ajunt Gordiani Templo, quotannis

(*a*) Vel Transaquensem, ut de Ecclesia Transaquensi ait Baron. supracit.

(*b*) Vere celebratur in dicto Oppido Goriano hujus Diœces. Valv. & Sulm. d. die XII. Maii.

nis celebratur: Id autem cum Valvensi Episcopatui, cui nullo merito præsumus, omnino pareat, plura gratiarum genera probe noscimus, editaque per illam, ætate etiam nostra, gavisi sumus. Exstat ibidem S. Gemmæ nobilis Ara, quæ major dicitur, ubi sacri Corporis Urna aurata, ligneis cælaturis & crystallo exornata visitur: Sacram vero Ædem ampliorem expectamus: Utramque tamen, Sanctam nempe atque Ecclesiam in sanctis Visitationibus ab Decessoribus Episcopis hoc titulo illustratam, & a nobis pariter laudatam fuisse scias: *Pro Ecclesia S. Gemmæ Virginis & Universitatis præcipuæ & Principalis Patronæ ....*, inque illa anni m. dcc. xlii. sic legitur: *Exponuntur dicta sacra Ossa publicæ venerationi Fidelium in solemniis dictæ Sanctæ & recurrentibus necessitatibus .... pro ira Dei placanda .... mira enim suæ Omnipotentiæ opera Pater misericordiarum exercet ... Concivibus & finitimis.... longinquioribus ...*: Et in secunda pariter nostra Visitatione sub die 11. Decembris m. dcc. xlviii. id etiam in laudem S. Virginis notatum fuit.

De S. Pamphilo antea in Dissertatione libatis, hæc addenda censuimus: fere innumerabilia sunt ejusdem Sancti Sulmonensium Patroni nostrique Decessoris miracula, quæ multitudine nos obruunt, quorum duo hìc devotionis gratia adducimus potissima Prophetarum mirabilia redolentia ejusque conditionis, ut cum ipsis quadam veluti contentionis similitudine decertare videantur. Memoria idcirco proditum est [certis documentis comprobatis a Decessore nostro] bruchos eo numero & vi in hujus Civitatis agros irruisse, ut iram Domini cuncti arbitrarentur, quicquid alendis Civibus humus præbuerat, brevi consunturam. Vera spe pleni Cives, Pamphili Templum adeunt: Quæ inibi ejusdem adservantur Reliquiæ, adorant: Libat Præsul, libant Sacerdotes, nemo unus est, qui illacrymans uberrime supplicationes non emittat: undique preces & vota undique resonant ejulatus; quum Sanctus filios miseratus, pro suis, quibus pollet apud Deum meritis, ab Aquilone ventum immisit, qui infestos hostes mox Civibus famem

mem allaturos; dispulit dissipavit absumpsit. Aliud vero prodigium est, quod & nos experti sumus, nempe aeris siccitate omnis pene in hujus Urbis agris herba aruerat: hiabat tellus, omniaque, quibus alimur, in id venerant, ut Deo pro pluvia Supplicantibus, spem messis rustico & Civi adimerent. Cunctis ob id religiose in morem peractis, en temporis momento sudo Cælo coguntur nubes, quæ visu tempestatem minantes, exonerantur leniter, amicumque in arva nostra imbrem mittunt: quo eo crevit in Sanctum devotorum Civium fides, ut quovis morbo vel miseria implicentur, ad ejus patrocinium confugiant semper, desperent nunquam. Quoniam vero nos multa Pamphilo debemus, cujus immerito vices gerimus, ob memoriam tantorum beneficiorum, hæc grati animi obsequio de ipso Literis consignanda putavimus.

Finem autem Appendici impositurо, laudatus Aquilæ, dum esset Antistes, postea ad Stabiensem Ecclesiam translatus, hanc mihi italicam misit Epistolam a me postea Latio donatam super novissima Inventione Corporis Sancti Eusanii facta in Loco de suo nomine vocitato, non longe ab hoc Valvensi Sacerdotio: „ Illustrіs. & Rev. Domine ....
„ Meum esse reor D. T. Illustris. de Inventione, quam
„ die XII. labentis Mensis sub auroram post septem horas la-
„ boriosæ effossionis quinque ordinum satis grandium &
„ onerosorum lapidum, inventum fuit gloriosum Corpus
„ S. Eusanii, unde nomen trahit Oppidum, in quo abdi-
„ tum manebat, certiorem reddere: Inclytus iste Sanctus
„ Presbyter fuit Sipontinus, & ob vitæ Sanctimoniam ele-
„ ctus sed non consecratus illius Ecclesiæ Episcopus sub
„ Cajo Dalmata Summo Pontifice & Diocletiano Impera-
„ tore: Is etenim latens in spelunca ejusdem Montis Si-
„ ponto proximi, septem ibidem annis austeram egit vi-
„ tam contemplationi deditam atque tam sanctam, ut mor-
„ tuum quemdam Domitianum filium Dioclesiæ mulieris
„ Sipontinæ ad vitam revocare meruerit. Cujus Miraculi
„ fama electus fuit ejusdem viduatæ Ecclesiæ Episcopus;
„ verum humiliter Dignitati obsistens, a Clero populoque
„ bra-

„ brachiis exceptus, Ecclesiam versus delatus est. Ipse au-
„ tem petens spatium octo dierum ad mature deliberan-
„ dum, obtinuit: Orans interea Dominum, ipsum loquen-
„ tem audivit sibique manifestantem Apostolicam expedi-
„ tionem in Samnium; idcirco statim eoque noctis mo-
„ mento ab dicto loco discessit, una cum Theodoro Pre-
„ sbytero germano, & Gratula Sorore, collactanea etiam
„ Theodosia discipuloque Domitiano: qui omnes, ut For-
„ conium pervenerunt, Soror & Socia Deo Castitatis vo-
„ to dicatæ, inibi fuerunt relictæ. Ipse vero cum fratre
„ Theodoro & Domitiano Romam se contulit ad obtinen-
„ dam suscipiendamque a Pontifice Cajo Apostolicam be-
„ nedictionem. Tunc & S.Petrus Apostolorum Princeps
„ ei apparuit, jussitque, ut Theodorum Cajetam mitteret;
„ ubi Episcopus futurus esset ac Martyr, ut accidit; ille
„ vero Forconium ad populorum conversionem rediret.
„ Quò itaque profectus, ibique moram trahens, adstitit
„ pretiosæ morti Sororis Gratulæ: interim vero Dei ver-
„ bum Furconii & alibi prædicans, Catholicam Fidem il-
„ lustravit. In Civitate Eugubii plurima tormenta sub Pri-
„ sco Maximiani Præside sustinuit: Proinde in Ferrario ad
„ diem IX. Julii ita legitur; *Septimo Idus Julii Forconii in*
„ *Vestinis S. Eusanii Presbyteri*: Et in Notis: *Ecclesia Aqui-*
„ *lana Confessorem vocat, licet illius Acta manu scripta po-*
„ *tius Martyrem eum demonstrent; nam etsi in pace quievit,*
„ *plura tamen passus est sub Maximiano tormenta*. Obiit
„ die IX.Julii anno CCC. sub Marcello Pontifice, Diocletiano
„ & Maximiano Imperatoribus: Hæc aliaque refert Pom-
„ pejus Sarnellius in Chronol. Sipontinorum Præsulum. Si
„ itaque D. T. I. aliquod lumen de his e perspicua tua eru-
„ ditione habet, faveat mihi, ut enixe precor, id trans-
„ mittere; dum sicuti Domino placuit mea uti debilitate,
„ Sancti venerandas Reliquias post tot sæcula absconditas,
„ publico fidelium cultui exponere.... curabo D. T. I. &
„ R.: Ex Oppido S. Angeli in S. Visitatione 17. Maii 1748.
„ Addictiss..... Joseph Episcopus Aquilanus.

Epistolæ autem ipse respondens, monumenta quædam
ad

ad S. Eusanium pertinentia Cl. Præsuli ejusdem historiam tunc scribere allaboranti, quæ modo Romanis typis datur, diligenter misi; Et ea præsertim ab Ughello edita in Italia Sacra Tom. VII. edit.2. col.814. & a Bollandianis Tom.II. ad diem IX. Julii edit.2. pag.691. 693. n.5., vel in Annot. lit.A. pag.694., ubi S. Eusanii præfatum locum, ad terram hanc Valvensem olim quoque spectavisse habetur. Ea vero historia italice vulgata hunc habet titulum, sic latine redditum: Relatio inventionis Corporis, & Actorum antiquorum gloriosi Sacerdotis, & Martyris S. Eusanii ad Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. Romæ per Antonium de Rubeis 1749.



AP-

APPENDIX III.

AD TOTAM DISSERTATIONEM.

HAbuisti, erudite Lector, in Opusculi Præfatione veram candidam, & sinceram Dissertationis caussam, habuisti consilium & propositum scribendique rationem: Habes nunc additamenta varia, quæ quantum humanitus fieri potuit, opus clarificant. Ad has vero Additiones hisce momentis utiliter nectendas, ultra indicata exempla, nuperum habemus V. C. Fr. Antonini Bremond, totius Illustrissimi Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri Reverendissimi; qui votis doctissimi pariter Viri Guilielmi Cuperi S. J. & Scriptoris Commentarii in Acta S. Dominici super dubiis de Guzmana Familia respondendo, varia dedit Actorum authentica, hominumque testimonia, quibus rem certam certissimis documentis firmavit, suumque eruditissimum librum de ipsa Guzmana Stirpe Sancti Fundatoris laudati Ordinis Fratrum Prædicatorum, illustravit & publici Juris fecit Romæ anno M. DCC. XL., dicavitque SS. D. N. BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo, ubi etiam XXXVIII. Appendicis numeros, historicæ Demonstrationis monumenta exhibentes pag. 227. ad 375. retulit. Quæ autem rem nostram, unde aliquantisper digressi sumus, æque tangunt, tertiæ hujusmodi Appendici lubet sensum præmittere Cassiodori de Instit. Divin. Lection. cap. XXXII. monentis: *Ideo futuræ beatitudinis memores, vitas Patrum, confessiones Fidelium, passiones Martyrum legite constanter, quas inter alia in Epistola S. Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum destinata procul dubio reperitis, qui per totum Orbem terrarum floruere, ut sancta imitatio vos provocans, ad Cælestia Regna perducat.* Ut autem additiones illæ magis magisque perspicuæ fiant, alia insignium testimonia vestigare curabimus; atque ordo Appendicis hic erit.

Notæ II. circa fin. in §. III. De Beato Odone Carthusiano sic addas: Joannes Bollandus ad diem XIV. Mensis Januarii

rii edit.2. pag.978. ita inquit: *De B. Odone Carthusiano Taliacotii in Italia*. In marg.: *Circiter anno* M. CC. XXX. XIV.*Januarii*. In Corpore: *Odonis quidem Carthusiani in nullo Martyrologio nomen reperimus: miraculis tamen certe, & religioso hominum ad ejus sepulchrum concursu, ita a quatuor jam seculis, & quod excurrit, celebrem fuisse constat, ut Gregorius IX. Pont. Max., qui ab anno 1227. ad 22. Augusti 1241. sedit, de eo in Sanctorum album adscribendo egerit. Vitam ejus ex Monumentis Curiæ Romanæ edidit Tom.13. Annal. Abrahamus Bzovius ad annum 1240. n.15. atque ex eo brevius Georgius Garneveltius in Catalogo Sanctorum quorumdam Carthusianorum, adjecto ad Vitam Nicolai Albergati. Est Taliacotium, ubi is vixit [vulgo Tagliacozzo, Bzovio Taliacorum, Sabellico, ut testis est Leander, Taliequitium] honestum in primis Castrum, eodemque teste Leandro, & populi frequentia multis hujus regionis Urbibus non impar; situm Tybur inter, Lacumque Fucinum huic propinquius*. Sequitur illius Vita ex dicto Bzovio, quam etiam leges apud Phæbonium alibi citatum, Regiamque nostram Part.I. pag. 181. exstat B. Odonis Corpus populi concursu ac religione conspicuum Taleacotii in Marsis prope Celanum in prænobili Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani Monialium Ordinis S. Benedicti, morum suavitate, vel exactiori disciplina insignium, ac proprie in Altare deaurato, eidem sacro, cujus lata est mentio in d.Regia Part.I. p.282. In Notis Bollandianis post ejusdem Bzovii verba d. Tom.I. pag.979. lit.C. sic habes: *Circa Fucinum Lacum in Marsis celebrem, millibus passuum ferme 63. ab Urbe distantem, Castella sunt, inquit Leander, Sancta petitum ad D.Jonæ, Paternum .... Hæc tamen omnia cum populi frequentia, tum opibus Celanum longe vincit juxta Montium altissimorum radices modico in colle meridiem versus .... Fucinoque Lacui vulgatum hac memoria nomen Celani præbuit*. In Actis Sanctorum Julii Tom.I. sub die IX. edit.2. pag. 681. Annot. ad Vitam SS. MM. Anatoliæ & Audacis lit. G. hæc pro Marsis edita conspicies: *Noti sunt Marsi, & Æquicoli in veteri Romana historia* ....

Notæ I. §.iv. ita jungas. Quod Romani Pontifices Marsis valde proximi, olim Sanctos nostros minime ignoraverint, eorumque antiquiorem Cultum expressa vel tacita facultate probarint, ultra superius libata, deduci potest ex Dialogis S. Gregorii Magni Valeriæ amantissimi: Is enim Bonifacium Marsum, teste Ecclesiastica historia ad sacram Purpuram evexit; ac Eulogius Alexandrinus lib.vii. Ep.xxix. pro re quasi nostra scripsit: *Nos autem pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno Codice nomina habemus; atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis, qualiter sit passus indicatur; sed tantummodo nomen, locus & dies passionis ponitur: Unde fit, ut multi ex diversis terris, atque provinciis per dies, ut prædixi, singuli cognoscantur Martyrio coronati: Sed hæc habere vos beatissimos credimus*: Quæ sane verba recitantur etiam a cit. Bollando in Actis Sanctorum Mensis Januarii Tom.I. in Præfat. gener. §. v. edit.2. pag.38., & a Sollerio in Præfat. ad Martyrologium Usuardinum post Tom. vi. Part.II. Sanctorum Junii d. edit. pag.14.: Dictumque Pontificem a Fortunato, Viro simplicitate ac opere venerabili in provinciam Valeriam Longobardorum infestationes ab ipso enarratas collegisse constat ex cit. Dialog. libr.I. cap.I.

Notæ iv. §.vi.: Sanctas addo Reliquias in Celanensi sacra Æde a fidelibus pie devoteque honestatas, insignium ipse ductus hoc agendi Scriptorum exemplo, qui aliarum Ecclesiarum Reliquias in iisdem Actis SS. Orbis inseruerunt; ac præsertim in Appendice Tom.iii. ad diem xiv. Mensis Maii d. edit.2. pag.745. lit. B. Itaque eodem in Celanensi Templo, ultra sæpedicta nostrorum Martyrum Ossa, quæ ut supra diximus, *Corpora Sancta* ibidem vocantur, has etiam adoramus, nempe ex ligno Sanctissimæ Crucis D. N. J. Christi, ex Ossibus S. Joan. Baptistæ, e Cineribus linei panni Redemptoris sanguine madefacti; ex Ossibus S. Stephani Proto-Martyris cum lapide sui Martyrii; SS. Thomæ Apost., Pantaleonis, Cosmæ & Damiani: Dentem S. Stephani M.; Sanctorumque Marcellini, ac filiorum ejus: Fabiani &

ni & Sebastiani, Laurentii M. ac S. Petri Apostolorum Principis: SS. Severi ac Victoriani: Ex ossibus S. Nicolai Episcopi, & S. Juliani: SS. Cornelii Papæ, & quadraginta MM. Coronatorum, SS. Innocentium, S. Vitalis M. & S. Martini, atque Sanctorum Hyppoliti, Cassiani, Eugenii, Antonii Abbatis, Pancratii, Florentii, Sabini Episcopi, Valerii, & Valeriani, Quirici, Cæsarii, Jesualdi, Felicitatis & septem Fratrum, Justinæ, Victoriæ, Eugeniæ, Margaritæ, Ceciliæ, Cristinæ, Vincentiæ, Sideciæ, Secundæ, Sociarum S. Justæ, aliorumque Sanctorum, de quibus in Reg. Marsic. Part. I. pag. 564. mentio habetur.

Notæ I. §. VII. Pro Valeria provincia hæc adde cum laudato Bollando, Godefrido, Henschenio, ac Daniele Papebrochio, qui sub die VII. mensis Martii Tom. I. edit. 2. pag. 649. de S. Equitio Abbate scribentes, hæc narrant: *Valeria Latii antiqui juxta Lacum Fucinum regia, has potissimum continebat Urbes, Valeriam sive Marsos, ubi nunc Piscina Sedes Episcoporum Marsicanorum, Carseolos ....: Hinc Via Valeria memoratur, quæ per Tiburtinam Urbem ad dicta loca ducebat. In hac regione floruerit Sanctus Equitius Abbas, & multorum in ea provincia Monasteriorum Pater, uti de eo testatur S. Gregorius Magnus libr. Dialog. cap. IV. .... vixisse Sanctum Equitium sæculo Christi sexto, manifestum est ex num. I. & 12., ubi Fortunatus anno 593. senex, ante S. Equitio familiariter notus, quæ scripsit Gregorius, ei narravit: & n. 7. dicuntur, cum S. Gregorius scriberet, adhuc multi superfuisse, qui Vitam ejus scire potuerunt. Memorantur etiam Episcopi tres, Albinus Reatinus, Castorius Amiternensis ... Inscriptum est nomen S. Equitii* VII. *Martii variis Martyrologiis, tum manu exaratis, tum excusis, ex illis sunt .... Vincentius Mastareus e S. J. edidit Idiomate Italico Vitas Sanctorum Protectorum Urbis Aquilæ, inter quos Sanctus Equitius recensetur: In cujus Vita tradit, sacras ejus Reliquias delatas Aquilam ad Ecclesiam S. Laurentii fuisse .... ejusque festum agi postridie S. Laurentii* XI. *Augusti* ..... Card. Baronius eum inserit fastis Ecclesiæ Romanæ his verbis: *In Provincia Valeriæ*

 S. Equi-

S. Equitii Abbatis: cujus Sanctitas B. Gregorii Papæ testimonio comprobatur. Apud d. Tom.I. mensis Martii pag. 650. illius Vita ex libr.I. Dialogorum cap.iv. ejusdem Gregorii, & suorum Operum Tom.iii. pag.213. eruta visitur. Pag. vero 651. inter alia prodigia, id fertur; Longobardos videlicet tunc temporis Valeriam regionem intrantes, & Monachos ab Equitiano Monasterio abstrahentes, sævientesque in illos, ut eos per tormenta discuterent aut gladiis necarent, immundum spiritum invasisse: Qui corruentes in terram tam diu vexati sunt, quo usque locum sacrum temerare ulterius non auderent aliaque similia loc. cit. conspicies: De Valeria ac Marsis nuper egit V. C. Bernardinus Tafuri Nerotinensis in libro italice edito de Scriptoribus Regni Neapolis Tom.I. pag.31.

D. Notæ I. §.vii. In Bollando sub die xxii. Januarii To.ii. ejusdem Mensis edit.2. pag.442. sic habetur: *De S. Dominico Abbate juxta Soram in Italia*. *Ann.* m. xxxi. xxii. *Januarii*: *Sora perantiquum Italiæ Oppidum est ad Lyris fluvii ripam situm. Altero ab ea lapide Cœnobium extat, quod S. Dominici dicitur, a S. Dominico Abbate conditum paullo post annum Christi millesimum: qui & istbic vita functus sub annum* 1031., *ut Leo Ostiensis testatur in Chronico Cassinensi libr.2. pag.623.* His diebus, inquit, B. Dominicus innumerabilium patrator mirabilium, multorumque Cænobiorum fundator, apud Soram Campaniæ Civitatem jam ferme octogenarius migravit ad Dominum; sepultusque est in Monasterio Soræ vicino, quod nunc ejusdem vocatur ex nomine: *Honorius III. Papa, teste Ludovico Jacobillo .... in loco Casamari dicto .... Cistercienfibus monachis tradidit ...*: *Atque ea est causa, cur habitu Cisterciensium pingatur Dominicus, quem constat diu ante Cisterciensem reformationem vixisse Cassinensibus Benedictorum institutis.*

Inscriptus ita ejusdem Sancti Natalis Ecclesiasticis fastis xxii. Januarii: *Soræ S. Dominici Abbatis, miraculis clari*: Et memoratur Menardo, & Dorganio. Celebrant hujus Natalem Sorani, & Arpinates Marsis propinqui: Atque Ecclesiæ Dedicationem die xxii. Augusti non minori solemnitate

tate agunt. Ut Patronum & Civem suum Fulginates colunt: Cunctisque perspicuum sit, ab eis grandinem adversus ac tempestates dicti Sancti patrocinium implorari, raro populorum pietatem frustrato successu; & alia hujusmodi auctor ille recitat subditque: *Invocant ejus quoque & præsentem experiuntur opem, qui febribus conflictantur, aut rabidorum morsu canum, ac serpentum læsi: Præsertim loco, qui Cuculla dicitur, ubi dens ejus unus servatur...* Locus tamen ille juxta Phæbonium pag.265., non Cuculla sed Cucullum vocitatur, cujus meminere Strabo libr.v. Cluverius Tom.I. pag.772. & Opus Vir. Illustr. Marsor. pag.90. 91.: Idque Oppidum ex Reg. Marsic. Part.I. pag.694., nostræ Spirituali Jurisdictioni, ac in Temporalibus Celano Marsorum principi obtemperat. Legitur in iisdem Actis, S. Dominici Vita, auctore Alberico Cardinale, e veteri Manuscripto Bibliothecæ Cassinensis excerpta: Nec non plura habentur monumenta in Baronio ad annum M.XXXI., Jacobillo, & Ferrario, qui tantum Virum Fulginii ortum fuisse dicunt, multorumque Cænobiorum fundatorem; atque illius præsertim titulo S. Petri de Lacu appellati, Marsicanis certe Comitibus & Valvensibus opem dantibus: quod exinde secularis Abbatia magni semper facta, evasit; quam Cl. Præsul Joannes Barba Bituntinus Antistes & amicus noster nuper vita functus; pertinetque ad liberam Summi Pontificis collationem. Pag. 444. hæc alia conspexi, quæ nostrum Commentarium satis illustrant: *Ipse vero juncto sibi Joanne quodam nomine Vitæ Venerabilis Monacho ad locum, cui domus vocabulum est, commigravit, ubi in Monte, qui Pizi dicitur, in humili tuguriolo commorantes meditationem Legis Domini soli per dies metiebantur ex cursu noctium in eamdem partem maximam consumentes. Non tamen eis ibi latebris potiri dilectis productiore concessum est tempore: A nonnullis enim repertus ibidem agnitusque est, atque per eos in Prato cardoso occultari Dominicum Berardo, Theodino, Randisio Terræ Comitibus intimatum; qui impigri Sanctum Domini adeuntes, obnixe eum & instantissime studuere precari, ut quod in Locis nonnullis*

lis aliis ab eo factum edidicerant, in Valvensi non prigritaretur territorio facere; construere videlicet habitaculum abrenuntiantibus saeculo, Deoque sub districtiori disciplina Monastica famulari decernentibus aptum. Construxit igitur praefatorum ibi ope Comitum, loco satis congruo Monasterium, quod dicitur S. Petri de Lacu; cui nimirum loco inter largitiones caeteras uberes quinque Lacus praedicti Comites concessione perpetua legali scriptione firmarunt. Apud Sabinos populos, fere Marsis proximos, Oppidumque Scandriliae, ut ex iisdem Actis liquet, Dominicus Monasterium S. Salvatori dicavitque. In notis Bollandianis loc. cit. pagin.444. lit. a lego: *Scandrilia Civitas dicitur a Leandro est in Sabinis ...*: Lit. b.: *Adjicit ista Jacobillus: In eo loco [Monte Pizi] vulgata sanctitatis ejus fama, coactus est importunis precibus optimatum illius provinciae duo construere Coenobia, unum in Montis cacumine honori Sanctissimae Trinitatis dicatum, alterum ad Montis radices juxta flumen Beatissimae Virgini sacrum ... Venitque tandem in Valvensem Comitatum: ubi locum reperit secretum ab omni hominum frequentia, Pratum Cardosum accolis dictum, hic ab omni strepitu liberam sibi vitam pollicitus consedit.* Lit. c.: *Jacobillus solos Berardum & Oderisium nominat, Marsorum & Valvae Comites: agit de his Leo Ostiensis Chron. Cassin. libr.3. cap.38.: Theodinus quoque inquit, Oderisius, atque Berardus Balvenses Comites .... huic Monasterio ... similiter obtulerunt cum quinque adjacentibus lacubus, & cum omnibus omnino pertinentiis ac possessionibus eorum, tam in Balvensi, quam in Marsicano & Teatino Comitatu.* Lit. d.: *Sulmonensium Antistes, inquit Leander Albertus, Valvensis dicitur, quod, ut Rassanus ait, ager Sulmonis cum parte quoque vicinorum Valvanus seu Valva nominetur, qua una voce plura hoc situ finitima loca comprehenduntur. Ea de re Blondus scribit, jampridem annis ferme* DCCC. *amisso Pelignorum nomine, agrum hunc Valvensem appellari coeptum, ideoque Romanam Ecclesiam ita Sulmonensem Episcopum vocare ...: Tractus omnis Pectorano, quod supra Sulmonem est, itemque Valle-Obscura, Campo quinque millium,*

lium, Cœnobio S. Spiritus, quod ab Sulmone millibus tribus distat, ubi vitam solitariam Divus Petrus Moronensis, postea Cœlestinus V. Pontifex appellatus, egit; nobili item Oppido Populo ad Sulmonem usque, ac item Montibus duobus editissimis Apennino Majellaque circumscriptus, & ita jugis illorum altissimis consœptus, ut aditum omnino, nisi per paucas ac difficiles arctasque fauces habeat. Valva propterea dictus est, quod per paucissimas tantum angustias aditum præbeat, tanquam per ostia, quæ Latinis etiam Valvæ dicuntur: ideoque deperdito nomine Pelignorum, ager hic Valva ex conditione situque suo vocatus. Ad hæc tamen usque tempora Sulmo Pelignorum Caput suis in titulis conscribitur. De Monte autem Argoneto & Plataneto ibidem agitur lit. e, ac de cæteris Dominici gestis d. pag.444. & 445., ubi aliæ hujusmodi Notæ ac Monumenta Monasterii S. Petri in Avellana exstant. Fuit etiam Dominicus vaticiniorum gratia illustris, quibus Dodæ nobili Matronæ, & Marsorum Comiti multa prædixit, quæ illis evenere, ex cit. pag.445. ad 446., & vide Carraram in novissima Soranorum historia, ubi late.

Notæ I. & II. *d.* §.VII. Priscis Martyrologiis superius expensis, auctoritatem jungas eximii Viri Joannis Baptistæ Sollerii in Præfatione ad novam Usuardi editionem post Tom.VI. Part.I. Bollandiani Operis & Sanctorum Junii edit. 2. pag.11. n.10. dicentis, Usuardum toto suo Opere Adonis Compendiatorem, Contractoremque fuisse; & Martyrologium Romanum vetus Usuardi avum esse, Adonem ejus patrem. Ibidem cap.I. doctissimus vir Martyrologorum genealogiam refert, quæ nostrum in eisdem Notis assertum de antiquis Martyrologiis comprobat; aitque, ex his primum, præcipuum & vetustissimum illud agnosci debere, quod sub Eusebii, vel potius Hieronymi, vel utriusque nomine circumfertur, sive id vere ab illis conditum fuerit sive a posteris metipsis adscriptum. Pag.XII. subdit, locum ab hoc proximum tenere aliud a Venerabili Beda compositum, neque suppotitium illud dici a Plantino editum, sed genuinum ipsum, quod a Floro auctum est, & ab Adone laudatum.

datum. In articulo I. §.I. d. pag.XII. & feqq. de Martyrologii Hieronymi Exemplaribus, & Majoribus ab Acherio, & Franc. Maria Florentinio editis agit, eorumque plura latiffime congerit. Hæc pauciffimis verbis & curfim delibo: qui autem de his longiorem fermonem defiderat, adeat ipfum Florentinium in Admonitionibus præviis, præfertim 3. 5. & 6., & Sollerium loc. cit. pag. XIII. n.19. illius verba ferentem, ubi Collectionibus Eufebii vindicatis, & libris feu libellis Martyrum Paleftinæ & aliorum fcribit: *Sufficere nunc de Martyrologii proprie dicti auctore affirmare .... vetuftius illud effe in Scriptorum memoria Martyrologium, quod Eufebio adfcribitur, vel divo potius Hieronymo ex Collectionibus Eufebii*. Pag. XIV. dictum Scriptorem erudite probare, fubdit, Hieronymi Martyrologium a fe datum, Notis a Sancto Gregorio Papa Codici fuo attributis, adamuffim convenire: Aliæque hac de re explanationes in d. pag. XIII. XIV. XV. & feq. leguntur. Pag. XXIV. §.2. de Martyrologio Rabani tractavit, necnon §.III. ibidem de alio Notkeri, quem Beatum dicit & S. Galli Monachum florentem anno Chrifti D. CCC. LXX.: Pag. vero XLI. de Adonis Viennenfis Epifcopi Martyrologio differit, quod noviffima editione, iterum Romæ excufum eft cum Notis V. C. Dominici Georgii: Denique Bollandum confule in dictis Actis Sanctorum Orbis Tom.I. ad menfem Januarii in Præfat. General. de Vitis eorundem Sanctorum, ac præfertim pag. XXXVI. ad XLIV.: Vide pariter auream Præfationem ad Martyrologia Hieronymiana in Actis Sanctorum Junii Tom.I. feu Part.II. edit.2. pag.349. n.4. his verbis, quæ Actis noftris etiam vetuftiffimis optime arrident: *At vero nec fæculorum, quibus laudata Martyrologia fcripta funt, barbaries vel librariorum feu amanuenfium pingendi imperitia ftupiditas & incuria quidquam detrabunt iftiufmodi monumentorum auctoritati, & venerationi; utpote quæ vetuftiffima atque evidentiffima funt, tum Cultus Sanctorum in Ecclefia perpetui, tum ritus eofdem quotidie invocandique honorandique argumenta*. Et hic omittenda minime erit Romani Martyrologii in Nota I. §.VII., alibique fupe-

ſuperius memorati noviſſima editio ſub annum M.DCC.XLVIII. in folio typis Joannis Mariæ Salvioni nuper expleta & a Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. aucta & caſtigata, cum doctiſſimi Pontificis Literis Apoſtolicis, de nova hujuſmodi editione agentibus, ad Sereniſſimum Joannem V. Portugalliæ, & Algarbiorum Regem datis; ubi in ſæpedicta die XXVI. menſis Auguſti pag. 198. lata mentio Martyrum noſtrorum habetur.

Notæ II. §. VII. etiam ſubdas. Auguſtinus Lubinus, qui Acta noſtra, ut ibidem vidimus inſeruit, magni quoque fit, ac ſæpe a Bollandianis allegatur, præſertim a laudato Joanne Baptiſta Sollerio magni Bollandi Operis continuatore, ad diem IX. Julii Tom. II. edit. 2. pag. 674. n. 17. pluribus in locis. Et pag. 675. n. 23. 55., alibique paſſim, doctus Jacobillius, quem ſæpiſſime in Diſſertatione Actorum noſtrorum teſtem advocavimus, ſatis ſuperque ab ipſo commendatur: Pag. vero 524. col. I. Tom. II. de Sanctis ejuſdem Menſis ad diem VII., Philippus Ferrarius, pluries etiam in Opuſculo, præſertim Not. I. §. XIII. allegatus, honore nominatur atque Sanctorum popularium prædicator non indiligens appellatus eſt.

Notæ III. *d.* §. VII. hæc adijcias. Quamquam enim citatus Uſuardus ad diem XXVI. Auguſti Martyres noſtros haud memoraverit; in alio tamen M. S. illius Martyrologio, quod in dicta Nota III. §. VII. ſupra inſeruimus, & Aquilæ Urbis cuſtodiri diximus in Cœnobio Patrum Eremitarum S. Auguſtini, ſpecioſa ipſorum Sanctorum memoria continetur. Nec fortaſſe mirum: Nam licet Martyrologium id multipliciter editum ſit, teſte Sollerio in præfat. ad Uſuardum poſt Tom. VI. & Part. I. Sanctorum Junii variis in locis; nihilominus cætera Uſuardina Manuſcripta olim diverſis in Bibliothecis exſtitiſſe, idem teſtatur in d. Præfat. pag. LXI. col. I.; & *Uſuardus Manuſcriptus Reginæ Sveciæ* his verbis ab eo memoratur.

Notæ II. §. X. de S. Pamphilo Epiſcopo Valvenſi & Sulmonenſi. Porro ipſi, qui ſupra Bollandiani Continuatores ad diem XXVIII. Aprilis Tom. III. edit. 2. pag. 583. ubi non-

nulla Martyrologia recitant, Romanumque hoc Ellogio: *Corfinii in Pelignis S. Pamphili Episcopi Valvensis, charitate in pauperes, & gratia miraculorum illustris: cujus Corpus Sulmone conditum est*, eum non Valvensem in Hispaniis, sed vere in Pelignis Antistitem fuisse probant. Quando autem antiquato Pelignorum nomine sub dominatu Regum Longobardorum, in Comitatum Valva dici cæpta fuerit, ultra paullo ante libata, ipsos adeas Scriptores eximios, qui d. pag.583. ex Blondo & Leandro, historiam hanc fuse aperiunt: Subduntque quod jam diximus, nempe tractum illum Montis Valvæ, sic esse appellatum, quod per paucissimas tantum angustias aditum præbeat, tanquam per ostia, quæ latinis Valvæ dicuntur. Et quod deperdito Pelignorum nomine, ager hic Valva ex conditione situque suo vocitata fuerit, proindeque inferunt; *Placuit itaque Romanæ Ecclesiæ ab hac regionis appellatione Episcopatum Ecclesiæ Sulmonensis & Corfiniensis, Valvensem dicere*... Fatentur etiam, illius Antistitem duas habere Cathedrales Ecclesias, alteram in Civitate Sulmonis Pamphilo dicatam, alteramque juxta Pentimam in loco parum distante S. Pelino sacram, ubi veteris Corfinii vestigia ingentesque ædificiorum ruinæ passim cernuntur. Pentima vero nunc Civitas est, quæ cum Oppido Victoriti ac Feudo S. Crucis, temporali etiam Jurisdictione, ad ipsum Episcopum e largitate Serenissimorum Neapolis Regum pertinet: quæ omnia & Diplomatum verba ac Tribunalium decisiones in Opusculo: *De Juribus Valvensis & Sulmonensis Ecclesiæ*, Deo dante pro viribus evulgando, longe lateque pandemus.

De ipso Sancto Episcopo decessore, supra multis in locis memorato, scribit Ughellus Tom.I. Ital. Sacr. edit.2. col.1360., cujus Vitam quoque exaravit Paulus Regius Præsul Æquensis, & recentiorem Petrus Lucchettus ex antiquo codice Sulmonensis Ecclesiæ erutam: Et alium habemus librum cum piis ad dictam Vitam meditationibus, auctore anonymo.

De S. Pelino cit. Ughellus agit Tom.ix. col.11. 12. & seq., ubi illius gesta inserit, ex codice altero Ecclesiæ Valvensis

vensis exscripta; & Andreas Monacha de illo pertractavit in Brundusinis Monumentis libr.II. pag.281.: Nupera vero hodieque versatur in manibus hominum alia ejusdem Sancti Vita, italico idiomate & anonymo Scriptore Teatis edita: Habemus etiam de S. Pelini gestis eruditum M. S. q. Sacerdotis Jacobi Mascitti, ubi de illius Cathedrali Ecclesia pertractatur, quod in nostra Pentimana Urbe nunc adservatur. Sed quonam præcipuo tempore laudatæ Ecclesiæ fuerint æquè, ac principaliter inter se unitæ, Sergio Primo nimirum sedente ad clavum, sive paullo ante, vel post illius Pontificatum, Bollandiani ex Ughello d. pag.583. 584. referunt; Officiumque S. Pamphili cum propriis Lectionibus Sulmone recitari solitum transcribunt: Pag.585. aliam Vitam e M. SS. Bodecensis Cœnobii inserunt; ac inter alia verba hæc habent: *Tempore Arianæ perfidiæ fuit in Civitate Sulmonis Corfinii in Provincia Balbensi* [pro Valvensi] *Beatus Pamphilus Episcopus summæ sanctitatis & Fidei Catholicæ sublimitate præcipuus*...: Ibidemque plura conspicies brevitatis gratia omissa.

Notæ IV. *d.* §.X. & alibi. De Sancto Petro Cælestino ibidem laudato ejusque sanctitate, assumptione ad primam Cathedram sub nomine Cælestini V. & ipsius abdicatione, doctissimi Bollandiani Operis Continuatores agunt in Actis SS. Orbis ad diem XIX. Mensis Maii Tom.IV. edit.2. pag.419. seq.: Eumque Oppidum Radiani Valvensis Diæcesis tunc peragrasse, atque uno prodigio iter suum lustravisse ex pag.432. constat. Inter testes ejus Sanctitatis pag.531. his verbis fuit examinatus: *Bartholomæus de Transacto sive Transacque annorum ætatis*... 55. *&* 40. *in ordine, quibus semper fuerat in comitatu Sancti ante & intra Papatum*..... Consule Lælium Marinum in Vita S. Petri Cælestini italice edita libr.I. pag.76., ubi ejusdem Bartholomæi mentio est. Locus tamen ille, non Transacto, sed Transacquæ dici debet, apud Marsos non ignobile Castrum, sic vocitatum, quod trans aquas Fucini positum est prope Montem Carbonarium sive Labrosum vulgo appellatum, de quo Lucas Holstenius Annot. ad Ital. antiq. pag.167.: Memoratur

ratur etiam Cellario Geograph. Tom.I. pag.767. Phæbonio in sua historia pag.150. 151., Operi Vir. Illustr. Marsor. pag.28. 29. 290. aliisque in Reg. Marsic. Part.I. pag.422 : Ex hoc Oppido, ut legitur in cit. Regia pag.426., Cæsar Cardinalis Baronius Ecclesiasticæ historiæ parens e materna origine, sicuti alibi diximus, fuit oriundus : Pagin.438. dictæ Reg. Marf. ejusdem Bartholomæi Monumentum in atrio Transaquensis Ecclesiæ elevatum, leges, Marsicanos autem Comites Oppidum id possedisse in dicta Regia probatur Part.I. pag.438. retulitque Lud.Ant. Muratorius amicus noster, & Literariæ reipublicæ detrimento nuper vita functus in Tom.II. Rer. Italic. Scriptor fol.352. : Brachium vero S. Cesidii assiduis prodigiis, & suavissimo odore pretiosum, in ipso Transaquensi Templo cum aliis Sanctorum Reliquiis, in cit. Regia pag.438. 439. descriptis, pie custoditur.

Notæ v. §.x., ubi de Sanctis Joanne, Stephano, & Victore Martyrum nostrorum discipulis egimus, memoriam conjungas vetusti Manuscripti existentis in Tabulario Marsorum Ecclesiæ, & in Nota IV. §.xx. obiter memorati; quod ex Italico Idiomate hac in parte latine sic reddidi : *Dum Imperator* [Antoninus Verus nempe] *in partibus Marsiæ, & præsertim in loco postmodum S. Petiti appellato, propius Montem Tinum æstivaret, a suis Lictoribus tres Christiani reperti fuerunt, Joannes videlicet, Stephanus, & Victor apud Cryptam Anatellæ non longe a Roboris Monte latitantes: qui ad Imperatorem inibi degentem adducti, Catholicam Fidem confessi sunt: In eaque firmi & stabiles experti, post varia tormenta pro Christi nomine sustenta, in viciniori loco, qui Formarum dicitur, occisi sunt & Martyrii palma insigniti die* XVIII.*Septembris, quum ipsorum Festum Celani devote celebratur. Benignus & Cælestinus, Beati Joannis Fulginatensis discipuli, sacra illa Corpora e Formis dein extraxere, adque vetustissimam S. Joannis Apostoli Celani Ecclesiam, luce noctis tempore cælitus data transtulerunt: Et magna devotione prope illius Aram Maximam humarunt, in situ præsertim manu sinistra ejusdem Altaris* Ma-

Majoris, ubi Miraculis coruscarunt, & modo sacra ipsorum pignora quiescere omnino creduntur: V. dictam Notam supra loc. cit. & Reg. Marsic. Part.I. pag.537. 538. aliudque nostrum Opus Viror. Illustr. Marsor. pag.82.

Notæ III. §.XI.: Pro sacris Imaginibus SS. Simplicii, Constantii, & Victoriani sic subdas: Enimvero, ut devoti Lectoris nedum ingenio, sed & oculis satis facerem, trium Thecarum jam pridem deauratarum, in quibus olim ipsorum Martyrum Capita, Ossa, & Reliquiæ custoditæ fuerunt aliarumque pariter trium Thecarum tabulis munitarum cryſtallinis, per quas sacra Ossa conspici possunt, ubi modo includuntur, & pretiosis nitidisque ex auro & argento ornatibus innexarum e citat. Reg. Marsic. Part. II. pag.333., ideam & formam delineatam, & in æs cælatam repræsentari curavi, quas supra suo loco dedimus, quemadmodum ab ipsis Cl. Bollandianis factum fuisse didicimus in Tom.I. Sanctorum Julii edit.2. pag.210., ubi argenteam Thecam deauratam Reliquiarum S. Rumoldi Episcopi & Martyris mira feliciter arte sculptam in lucem dedere, necnon Ephemerides Greco-Moscas in Tom.I. mensis Maii d. edit.2. pag.XVI. XX. XXIV. XXVII. LX. LXI. LXII. LXIII.

Notæ V. §.XXI. post relatum documentum Præpositi Terræ S. Eugeniæ de veteri nummo orichalco sic adde: Id autem magis magisque comprobatur a profunda fossione in viridi agro S. Petiti vel Appetiti sub annum M.DCC.XLIX., Serenissimo Carolo Neapolis Rege annuente ejusque Ministris Aquilanæ Provinciæ adsistentibus facta: Ubi creditus thesaurus auro & argento plenus minime inventus est, ut putabatur reconditus eo loco, quem Antonini Pii Imperatoris, vel Lucii Veri Successoris Antonini etiam appellati, ibi olim moram agentis, Palatium fuisse, vetusta in Marsis traditio affert: sed tantum effossis terræ latebris, ultra exteriores parietes circa dictum situm, antiquitate fere collapsos, existentes, magnus interior murus una cum lapideis gradibus more antiquorum elaboratis, tribusque metallicis nummis repertus fuit. Inscriptiones vero in ipsis numismatibus cælatæ temporisque injuria deletæ, legi nequi-

quivere; uno tantum nummo excepto ad laudatum Regem pariter misso, in quo, ut nobis relatum est, ejusdem Antonini vel fortasse Lucii Veri Antonini nomen erat insculptum: Marmorei quoque lapides minutim, cum magno clavo aurichalci ea occasione sunt eruti. Nupero demum eventui optime consonant Phæbonii verba, quæ in Marsorum historia pag.241. sic se habent: *S.Appetitus Oppidulum in ascensu ostenditur, cui adjacet Vallecula, per quam torrens discurrit; quo transacto, in viridi curvatur Collium locus, in quo Lucius Verus Imperator æstivasse, ut Medicorum consilio a lippitudine oculorum Cæli illius beneficio sanaretur, domumque [cujus parvæ reliquiæ apparent] instruxisse narratur....*

Laus Deo Optimo Maximo; Beatissimæ Virgini Mariæ, Sanctis iisdem Martyribus cunctisque Cælitibus in sæcula sæculorum. Amen.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A



CTA *Sanctorum, cur olim turbata?* Pag. 134. *Simplicii, Constantii, & Victoriani in tota Dissertatione vindicata*, & 214. 215. 216. *Antiquæ Lectiones*. 21. ad 29. 124. *Antiphonæ, Secreta, Oratio, & Postcommunio*. 15. 16. 49. 50. 85. 86. *Quædam versibus minio depictis, & alia non sunt sublestæ fidei dicenda*. 126. 127. 128. 135. 136. *Hymnus alter M.S. nunc editus cum prodigiis inibi recitatis*. 168. ad 170.: *Acta ipsa nusquam ab Apostolica Sede Marsis finitima in dubium revocata, tacitaque approbatione firmata* 39. 41. 48. 129. 282. *Semper magni facta* 134. *& a seculis custodita* 98. 142. *J. B. Mari bonum judicium, ipsis perspicue favet* 181., & V. Celanum.

Actorum Collectio SS. Martyrum vetustissima 38. 41. 42., *de interitu primorum Actorum* 45. *Antiquiora, etsi labefactata, suum pretium habuere* 45. 46. *Actaque incerta, Sanctorum certo Martyrio non officiunt* 47. 48. *Eusebius, ut fertur, primus SS. Acta in Martyrologii formam redegit* 51.

Alba Marsorum a Lacu Fucini, dicta Fucensis 32., *plurium Regum custodia* 32., *& ab Impp. ibidem præsentibus Romanorum Colonia* 187. *Marsica Legio ibidem constitit* 188.

Albis Germaniæ flumen, cur memoratum? 204. 206.

Almutiæ vetustum Celani Canonicorum signum 63.

Amalphitanus M. A. Episc. Ortonen. 114.

S. Anatoliæ Oppidum prope Marsos in antiqua Tora Urbe 187.

Antinorii Ant. Archiep. Anxanen. de Martyribus nostris Testimonium 225.

Antiphonæ SS. Martyrum in Ecclesia Celanensi, vid. Acta, *&* Simplicius.

Antonini Pii Imp. gesta in Christianos 130. 131. 132., *an sub illo, aut M. Aurelio & Lu-*

& Lucio Vero eidem Successoribus in dd. Christianos molestis , nostri Martyres passi? 98.99.130.131.132. 133.134.135.136.ad 141. 146.147.200. *In partibus Marsiæ moratus est.* V. Simplicius, & 186. 187. *Illius apud Marsos monumenta* ibid. *Numismata dd. Imperatorum, eorumque, & aliorum in Marsis commoratio.* 187.188.189.

Arcis Vegetis Opp. vulgo Rocca di Botte *in Marsis Patria S. Petri Eremitæ* 268.seq.

Argumentum negativum, quando non probet? 142.

Astalli Fulvius Card. & S. Collegii Decanus memoratus 36. *auctoris munera penes illum*. ibid.

Aste Franc. Mar. Archiepisc. Hydruntin. Martyres nostros illustravit 62.81.

Audax Mursus Serpentarius, ad fidem conversus 91.

Aveanum in Marsis, Codicem Ecclesiæ Celanensis, Avecsanum appellavit 125.126.

Avellanæ S. Petri Monasterium 287.

Aversanæ Ecclesiæ Codex, de Martyribus nostris non loquitur 124.125.213.

Aversæ Comitis damna in Celanum 125.

S. Augustinus Marsorum meminit. 90.91.192.

B

B*Arba Joannes Episc. Bituntinus memoratus* 285.

Baronius Card., materno genere Marsus 74.292. *pluries memoratus* 41.42.45. 46.73.75.130.*ad* 151.&292.

Baronus Joseph Marsorum Episc. Reliquias MM. nostrorum in novas Thecas transtulit 67.119.120.*quid de Celanensi Templo senserit?* 37. *alibi insertus* 165.

S. Bartholomæi Ap. brachium in Aprutio 249.

Bartholomæus a Transaquis memoratus 291.292.

Basilicæ vetustis ævis, Martyrum Sepulchra vocabantur 53.

Benedictus XIII. auctoris Benefactor 226.

BENEDICTUS XIV. P. M. *commendatur in Epist. nuncupator.* & 40.46.71.82.250. *Privatum Oratorium Fratribus concessit*. 121., *eum sospitet Deus* 46. *Officium S. Bonifacii IV. Marsi ad Ecclesiam Marsicanam extendit* 249. *alia ejusdem mentio* 279.289.

S. Berardus Card. Marsorum Episc. 79. 80. *Dedicatio illius*

lius Ecclesiæ 246. 247., *&* *Vitæ Summarium* 247.248. 249.*ejus Corpus Piscinæ* 247.

Blanchinus Joseph Congr.Orator.Rom. laudatus 45.

Bollandiani, *Viri perspicui*. V.Bollandus.

Bollandus Joan. S. J. laudatur 9. 12. *ejusdem Continuatores in Actis SS. Orbis commendati* 12.13.16.*Commentarius de Martyribus nostris* 14. ad 31.: *Ipsos Acta nostra alibi lustrare speramus* 62. *VV.CC.Supplementa Insigni Operi exoptarunt* 13. *eorum judicio Opusculum subjectum esto* 217.

S.Bonifacius Papa IV.Valeriæ Marsorum ortus 39.78.79. *ejus Officium ad Marsorum Ecclesiam extensum* 246. 249., *&* *an hujusmodi extensio requisiverit Ordinarii Consensum*, *&* *plura de his* 250. 251. *ejus Vitæ Summarium* 251.252.253. *Oratio*, *&* *Lectiones cum decreto S. C. R.* 253. 254. *Is Calicem aureum Ecclesiæ Marsicanæ donavit*. 255.: *ejus mentio apud S. Gregorium Magnum* 282.

Borgia Fabritius Episc. Ferentinus, *Martyres nostros invisit* 72, *ejusque pro illis testificatio* 227. 228.

Bremond Fr. Antonini Ordin. Prædic. Gen. Min. laudatum Opus 280.

Breviarium, *Psalmos*, *&* *pia monimenta continet* 50.

Britius D. A. Mars. Antistes in Festo SS. Martyr. Pontificalia habuit 68.*Illius Relatio ad S.C.R.* 175.176.222.

Burgundiones populi, *quando* *&* *ubi extiterint*? 30. & 204. ad 207. & 212., *difficultates nuper excitatæ*, *declarantur*. ibid. & 206.

Bzovius Abrahamus Gesta MM. nostrorum firmavit 59. 60. 90.

C

Cajatius Pompejus Celanensis, *vitam SS. Martyrum versibus edidit*. 61.; *eamque alii Scriptores lustrarunt*. 58.59.60.61. 62.

Calcagninus Card., *quale Opus ediderit*? 193.

Carseolorum populi apud Marsos. 268. 270. *iisdemque viciniora Oppida*. 271.

Capicius Vinc. Archiep. Teat. nostris Martyribus fuit devotus. 224.

Castellain Abbas Gallus, *suo Idiomate MM. nostros memoravit* 62. 81.

Cavalchinus Em. Card. laudatus 71. 72.

Celani Ecclesia, *Passionalia MM. nostrorum custodivit* 11. *Celanenses in Fide*, *SS. Martyrum nostrorum agone firmati* 157. & V. Celanum.

Celanum a pluribus illustratum 33. 34.: *Cliternum latine vocitatum est in Marsis* 99., *ejusque populi Cliternini appellati* 33. 34. 99. *Illius clades* 34. 35. 96.; *Penè dirutum* 34. 35. 166. *vetus*, *& novum* 34. 35. 108. *Civitatis Titulo honestatum* 35. & alibi 96. 108. 109. 156. *ejus Ecclesia olim nullius Diœceseos*, 35. 36. 95. 96. 108. 109. 167. *Præpositus olim mitra exornatus* ibid. & 167. *Canonicorum nobile Collegium cum Almutiæ signo* 63. *cl. Bollando etiam notum* 37., *Præpositi novem*, *ad Episcopales Sedes evecti* 37. *Celani Synodalia constituta* 63. 64.: *Canonici vitam communem ibi ducebant* 63. *Celanensis populus a sæculis Martyrum suorum Ossa custodivit*. 67. 68. 98. 174. & alibi. *Nonnullæ solemnitates in ipsorum Festo die* XXVI. *Augusti pie observatæ* 68. 69. 165. 225. 229. *Sacra Lipsana in publicis supplicationibus delata* 68. 69. 70. 167. d. 225. 229. *Pontifices*, *& Cardd. Celanensem Ecclesiam memorarunt* 36. *Acta dictorum MM. probavisse censendum* 39. 41. 48. 129. *Celanenses*, *ipsorum intercessione gratias obtinuere ac obtinent* 55. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 167. 171. ad 174. *Celanum Marsorum Caput* 35. 166. 179. 180. *Piscina non inferius* 37. *Locus clarior dictus* 37. 175. *Celanenses Canonici cur reprehensi?* 111. 167. *Celani Ecclesiæ reparatio*, *& inscriptio* 111. 112. *nova instauratio* 119. 167. & V. Simplicius d. *Ecclesiæ Codex Romæ*, *cur Aveccsanus olim vocitatus?* 125. 126. *Hymnus SS. MM. vetustus*, *nunc evulgatus*. 168. ad 170. *Alius Codex a Jacobillo relatus* 88. *In veteri Ecclesia Inventio Corporum SS. MM. a B. Joanne de Fulginio* 88. 170., & V. B. Joannis, & Simplicius. *Celanum Piccolominei erigere curarunt in Episcopatum* 166. *ibidem aliæ coluntur SS. Reliquiæ* 167. 282. 283.: *M.S. alterum ex Tabulario Marsorum nunc evulgatum*, *Lectiones continet SS. MM.*, *vetustatem*, *& po-*

& populorum devotionem, caeteraque nobiliora 166. 167. *Prodigia quaedam in antiquo Hymno pariter edito,* 168. ad 170. *Celanensis agri fertilitas, bonitas, & fruges* 164. 165. *Celanensium largitas, in Festo SS. MM.* 165. 225. *Vetustae Nundinae in M. S. quodam memoratae* 166. *Orationes panegyricae in honorem SS. Martyrum* ibidem 174. *Attestationes Canonicorum, & Magistratus Celani pro SS. MM. Cultu, & gratiis ab aevo immemorabili* 176. ad 180. *Reliquiae dd. Martyrum,* Corpora Sancta Celani *per Marsiam vocantur* 100., & V. Simplicius. *Novissima devotio* 162. 222. 223. *Praesulum aliorum de ipso Cultu ac prodigiis testificationes* 222. ad 230.

Codex Romanus Phaebei pro SS. MM. 101. *& J. B. Mari bonum de Actis nostris judicium, illis favet.* 181, & V. Mari. *Celanum gloriabatur viris titulo ornatis* 166. *B. Thomae a Celano Corpus, Talcacotii populorum Cultu quiescit* 249.

Caelestinorum Congreg. Coenobium prope Sulmonem, a S. Petro Caelestino V. fundatum 96., *ejus M. S. de Marsis* 96. 97. *alia ejusdem Sancti mentio* 287. 291. 292.

Cenni Cajetanus V. C. 40.

Caesarius in Martyrio SS. nostrorum, ad fidem conversus 94. 194. 195. 240. 243.

S. Cesidii brachium miraculis clarum, Transaquis apud Marsos 256. 292.

Chronicon Marsorum, Romae servatum 68., *aliudque in Vallicellana Urbis* 98.

Colmeta Domin. in Urbe Advocatus laud. 250.

Columna Antonina Romae 139. 140.

Columnenses Viri Principes, Sanctos nostros invisere 71.

Comi Ignatii Mariae Patr. Neapol. ad honorem MM. nostrorum versus 237. *& Elegia, illorum Vita illustratur* 237. ad 241.

Comites Celani, & Marsorum, Titulo magni, & Dei gratia, MM. nostrorum devoti 64. 68. 69. *aliique memorati* 166.

Comitis Titulus, olim in Regno nobilior 109.

Fr. Constantii a Celano Testimonium 187.

Coppola Joseph, olim Aquilae, nunc Stabiensis Episc. 82. 72. *Opus* 82. 277. *Martyres*

tyres invisit 72.; Ejusque de illis Testimonium 222. 223. Epistola ad auctorem de Inventione Corporis S. Eusanii 277. 278.

Corradinus Card. Petrus Marcell. historiam Latii evulgavit. 34.

Corradinus Franc. Bernard. Marsor. Episc. Martyrum nostrorum devotus 67. 163.

Corsignani P. A. hanc Dissertationem, cur scripserit? 9. 10. 11. 31. seq. Illius mentio in edit. 2. Italiæ Sacræ 106. in Gattula hist. Cassin. 248. & 226. 227. Opus habet super Juribus suæ Ecclesiæ 290., aliudque ediderat Viror. Illustr. Marsorum Romæ 1712. & aliud de viæ Valeriæ Pontibus 1718.: Regiamque Marsicanam Neap. 1738.: Fuit Tyburis Vic. Gen. 107. Celanique Præpositus 119. Abbas Joan. Felix J. U. D. olim Vic. Gen., q. Alexander Canon. Celanensis. 111. J. C. Michaeli Ang. Equiti S. Marci, & Laurentio Nicolao privatum Oratorium SS. D. N. BENEDICTUS XIV. concessit 121. Ipsorum parva Bibliotheca M.S., quædam de MM. Servat. 61. Ab. Lucæ Ant. Canon. Decani SS. MM. antiqui Breviarii Testimonium 162. ad 164. 178.

Cucullum Oppidum sic vocari debet 285. Celano in Temporalibus, Valven. Sacerdotio paret, habetque Reliquias S. Dominici Ab., & Ecclesiam ab auctore consecratam 78. Alia dicti Sancti mentio 284. 285.

D

SAncti Dominici Abbatis gesta, & Reliquiæ in Oppido Cuculli 78. 284. 285.

Dragonetti Hiacynthus Marsorum Episcopus 67.

E

ECclesia nascente, Infernus adversus eam surrexit 129. 130.

Ecclesia Celanensis, V. Celanum. S. Mariæ Egentium prope Peretum 270.

Ecclesiæ, antiquis Fidelibus deerant, & privata Oratoria dicebantur 103.

Ecclesiæ Romanæ judicio dissertatio subjicitur 217. 218. quia est Columna, & firmamentum veritatis 218.

Egentium B. M. V. Ecclesia, & Imago miraculis coruscans in Carseolis prope Peretum 270.

Episcopatus Marsorum, olim divisus,

visus, ad unam Diœcesim redactus? 133., *Romæ proximus* 39. 129. *Romano Pontifici immediate subjectus* 85.

Episcopi, Sanctorum venerationem tueri debent 63., *Cultumque promovere* 38.: *Quatuor cum Valvensi, & Marsicano interfuere consecrationi Ecclesiæ S. Bartholomæi Apost. Pinnen.* 248. 249. *Episcoporum postulatio requiritur ad obtinendas a S. C. R. novas alicujus Sancti Lectiones, secus pro extensione Divini Officii ex Decreto S. Congr. de uno loco ad alium* 250. 251.

S. Equitii Abbatis Prov. Valeriæ mentio 283.

Evangelium dum legitur, omnes stare debent 199.

S. Eugeniæ Oppidum in Marsis 101. 188. 189.

F

Sanctus Felicianus Episc. Fulginaten. prædicavit in Marsis, Cliterni, Forconii, & in vicinioribus locis 99.

S. Felicis Episc. Tubuacensis, Venusiæ quiescit 155.

Ferrarius Philippus, antiquas SS. MM. Lectiones illustravit, in tot. Dissert., & 30. 50. 51. 52. 53. 55. 57. 105. 133. 153. 182., *defensus* 208.

Florentius Diaconus scripsit Acta SS. MM. nostrorum 20. 24. 42.

Foces, Marsorum Oppidum 89. 95.

Fons aureus Celani 16. 87. 89. 92. 95. 103., *magnus quoque dictus* 89. *ejusdem antiqui versus* 103. 104., *& alia mentio* 105. 117. 189. 213. 214. 240. 242.

Fonseca Ant. olim Episc. Tiburt. 107.

Formæ Oppidum in Marsis. V. B. Joannis a Fulginio.

Fraggianni Agnelli Episc. Calven. de SS. MM. Testimonium. 226.

Friderici Imp. persecutiones in Marsos, & Celanum 34. 35. 96.

Fucinus Lacus 14. 32. 34., *notus Bollando* 37. *Lacus Celani dictus* 32. 34. 37. 53. 85. 93. 99. *ejus dives piscatio* 164. 166. *& amœnitas.* ibid. *Emissarius jussu Claudii Ner. Imp.* 188., *ebollitio in terræmotu* 165. 166. *alia mentio* 260. 281. 283.

Fulginium Patria S. Joannis Eremitæ, Celani Ecclesiæ Fundatoris 92. 93., & Vide B. Joannis a Fulginio.

Gal-

G

GAlliæ antiquioris ad vindicanda Acta nostra fines conciliati 200.201.202. 203. Galliæ ac Franciæ vocabulum 201. 202. plura de illius Confinio 200.ad 212.

S. Gaudentiæ Uxoris S. Simplici monumentum 20. 21.. & sanctimonia 148., a nonnullis difficultatibus vindicata 147. 148. 150.

S.Gemmæ V. Marsæ Reliquiæ in Oppido Goriani Valven., miraculis claræ 59.60.158. 274.275.276.

Georgius Dominicus V. C. 78. 86. 180.

Giannini August. Episc.Litteren. jam Celani Præpositi, de MM. nostris Testimonium. 225. 226.

S. Gregorius VII. quid de Sanctis Pontificibus circa eorum Officium, & Solemnitates senserit? 251.

Guiccioli Ferdin. Archiep. Ravennat. Epistola & laus 220.

Gyptius q. Matthæus Neap., antiquitatum olim peritus 145.

H

HYmnorum usus, antiquissimus 86.

I

JAcobillus Scriptor SS. Umbriæ a Bollandianis laudatus, Acta MM. nostrorum illustravit 58. 88. 89. 92. 93. ad 96.

Illyris Portus pro conciliatione Actorum nostrorum, expenditur 203. 204. ad 207.

Impp. Romanorum apud Marsos commoratio 187. 188. V.Antonini, & Simplicius.

Innocentius VII. Papa, Sulmone ortus est 17. 110. 111.: ejus ibidem memoria 111.

Joannes Card. Marsus 41.

Joannes Signinus Episc. Scriptor vitæ S. Berardi Card. Marsorum Episcopi 247.

B. Joannis a Fulginio nativitas 92.93. Gesta in honorem Martyrum nostrorum 58. 87. 88. 89. 92. 93. 96. 97. 101.: Celani antiquiorem Ecclesiam construxit 93. 101., aliasque in Marsis 95.: Corpora dd. MM. invenit 58. 87. 88. 89. 92. ad 101. & 170.

SS. Joannis, Stephani, & Victoris Martyrium in Oppido Formæ apud Marsos. 101. 102. 103. corpora ad vetus Celani Templum traslata, ibid., quotannis inibi odor 102. Alia dd. Sanctorum lata mentio 292.

Judi-

Judicium de cultu SS. Martyrum, ad Episcopos in suis Diœcesibus pertinuit . 40. 41.: *Negativum quando non probet?* 142. *Romanæ Ecclesiæ judicio Opusculum subjectum esto* 217. 218.

Justiniana Sabella Catharina, bos Divos invisit 71.

K

Kalendarium Burgundicum in Italia rarum, de MM. nostris, ni lateret, plura dixisse credendum 80.

L

Lampades, & Cerei, quare in MM. Solemnitatibus accendantur? 219.

Lancisi Joan. Mar. de Peste Bovilla Opus 162.

Lantes Emin. Card. Frid. Marcell. laudatus 72.

Lauretanæ Domus translatio Angelorum ministerio, è Nazareth ad Laureti agrum Picenum 142.

Lectionaria, e quibus sermonibus ordinata? 43.

Lectiones sex SS. Martyrum in Celani Ecclesia recitatæ 21. ad 29. 42. *& novem* 124. *alibique numero majores* 43., *nostræ magni factæ* 45. 46. 48. 84. *Antiphonæ, Orationes, & Post Communio.* 15. 16. 49. 50. 85. 86. 167. 190.: *eas genuinas esse probatur cit. locis*, & 182. 183. *Conclusio in Lectionibus*: Tu autem Domine ..... & Sacrosanctæ .... *cur dicta?* 198. *aliæ antiquissimæ* 199. *Lectiones, cur sedentes audiant?* 199.

Leo Card. Marsicanus, Ostiensis dictus, & alii VV. CC., nunquam de Martyribus nostris contra senserunt 41.

De Letto D. Celestini Abbatis Mitrati, de MM. nostris Attestatio 229.

Lictores, quales fuerint? 184. 185.

S. Ligdanus Marsus, Setiæ in Latio quiescit 86. 129.

Lubinus Aug. Acta MM. nostrorum descripsit 62. 81. 83.; *sæpe a cl. Bollandianis memoratus* 298.

Lucchesii Fr. Cajetani Ord. Min. Conv. Prov. M. S. exhibitum 255. 256.

Luccinus Fr. Anton. ejusdem Ord. Episc. Bovinen. 45. 62.

M

Maccafani Abb. Angeli in SS. MM. nostros Oratio, & versus. 230. ad 237.

De Marco Gabriel, olim Episcop.

scop. Soranus, *MM. nostros pie invisit* 72.

S. Mariæ ad Nives, *nunc Cathedralis Eccl. Marsorum dedicatio* 246. 255.

Mari Joannes Baptista Romanus 57. 124. 126. 135. 151. 153. 180., *ejus virtus*, *munera*, *laus editaque Opera* 180. 181. 182. *Antiquas MM. nostrorum Lectiones apud se retinuit ac illustravit* 182., *ab ipsis CC. Bollandianis laudatus* 181.

Marsi serpentum domitores fuerunt, *& herbarum succis fere prodigia agebant* 192.

Marsia jampridem Italiæ Civitas illustrata 14. 31. 32. 33. 85.

Marsicanum bellum sociale, *olim celebre* 33. *Chronicon M.S. Romæ adservatum* 68. *Marsicani populi*, *non sunt Marsicenses* 268. *in not.* lit. a, & b.

Marsorum Natio bellicosissima 33. *Lingua eadem ac Sabinorum* 32.: *Urbs* 32. 33. *Origo & Regio* 270. 271. *Episcopatus*, *Romæ proximus* 39. 40. 41. 129. *Romano Pontifici immediate subjectus* 85. *Marsorum laus* 31. 32. *Episcopatus antea divisus*, *in unam Diœcesim*, *quando redactus*? 133. *Marsorum Collium*, *& Oppidorum amœnitas* 187. *Marsorum Comites plura Cœnobia fundarunt* 285. 286. 287.

Ad Marsos sæpe Imp. Romani accesserunt, *& quales*? 187. 188.

Martyr aliquis sibi patitur ad requiem, *Civibus ad salutem* 173.

Martyres certi, *etsi Actis incertis*, *percolendi* 47., *Ipsorum Judicium olim ad Episcopos spectavit* 40. 41.: *eos votivis donis ornare pulchrum*, *moresque bonos offerre pulchrius* 124.

Martyres nostri, *Simplicius*, *& Filii ejus apud Marsos*, *prodigiis clarissimi*. V. Simplicius. *Scriptores de ipsorum Actis*, *nunquam contra senserunt* 41. *Recitatio Officii Martyrum nostrorum in antiquo Celanensi Templo*, *vetustæ Ecclesiæ disciplinæ respondet* 44. *Ipsorum antiqua Inventio*, *& Translationes variæ*. V. Simplicius. *Sub Antonino Pio aliquo modo indulgente*, *Præsides Provinciarum Christianos persecuti sunt* 130., *ejusdem Imp. in Christifideles gesta* 130. 131., & V. Simplicius. *Ipsorum M. S. ab Illustr.*

Præ-

Præsule de Valentibus traditum, & a Clarifs. auctore exaratum 221. 222.
Martyrialia SS. MM. quomodo antiquitus in Ecclesiis legerentur? 42. 43. 44.: *Dei opes in Martyres* 193. 194., *ejusque specialis gratia in SS. Dimam, & Paulum* 195.
Martyrologiorum priscorum aliquæ eruditiones 287. 288.
Martyrum Monumenta, ad alias Ecclesias olim transmissa? 41.; *Suas Passiones legendi usus in Templis* 44., *eorumque Cultus successit falsorum Deorum adorationi* 47., *idemque Cultus quando solemniori observantia initium habuerit* 105. *a Catholica Ecclesia honoratus* 105. 106. : *Tres Patrias quilibet Martyr habet* 100. *Martyrum Reliquiæ sunt Turres Urbium* 107. 108. *Eorum magnus numerus sub antiquis Tyrannis* 130. *Martyrum fides, non est scriptis turbanda* 157. *ipsorum Natalis dies qualis?* 100. *Eorum Passiones legendæ* 280.
Mascitti q. Jacobi M. S. Pentinæ adservatur 291.
Matthei D. Platidi Abbatis Cælestinorum pro SS. MM. nostris Testimonium 230.
Maximus Laur. Marsorum Episc., MM. nostrorum Cultum probavit 65. ad 67.
Merangonus Joannes, scripsit de Præstantia S. Michaelis Archang. 47. *aliudque Opus* 195.
Mimi, quinam fuerint? 192.
Miracula, SS. Martyrum intercessione a Deo obtenta. V. Simplicius.
Monachatus professio initio nascentis Ecclesiæ, an exstiterit? 148. 149. 150.
Mons Peticinus in Marsis prope Celanum, melius dici debet Pisicinus, vel Tinus. V. Peticinus. *Tarpejus Romæ, Saxum Martyrum vocabatur* 190.

N

Natalis SS. Martyrum dies, qualis? 100.
Navelli Oppidi Aquilanæ Diæceseos Reliquiæ S. Constantii, differunt ab illis S. Constantii M. nostri 72. 73.
Nersæ Vallis Marsorum Oppida 271.
Notarii olim Acta SS. MM. colligebant 196.
Nummi aurei, & argentei cum Imagine Imp. Ant. prope S. Petitum in Marsis Opp. effossi 188. 189.

O

Obsessi a Dæmonibus, SS. MM. intercessione, liberati, aliaque hujusmodi, & similium portenta 160. 161. 162. & alibi V. Celanum & Simplicius.

B. Odonis Ossa Taleacotii apud Marsos 37. *alia illius mentio* 280. 281.

Officia propria sunt cujuscumque loci, vel Ecclesiæ 48. *Officia locorum præcipua, post Bullam S. Pii V. retineri non potuerunt absque facultate Apostolica* 129. *Alia est concessio novi Officii, & alia illius extensio, ac discrimen innuitur* 250. seq. *Officium vetustum Martyrum nostrorum ea ratione cessavit, & de* Communi plurimorum Martyrum *incœpit* 50. 175. *instabitur a Clero Celanensi pro Officio proprio apud S.C.R.*: *Officia Diœcesis Marsor.* 246.

Ordo divinorum Officiorum ejusdem Diœcesis 246.

Ortonensis Cathedralis Ecclesiæ Reliquiæ præsertim S. Thomæ Apost. & laudes 114.

Otho Imp. in Monte Cedico Marsorum moratus est 188.

P

Almæ Michaelis Archiep. Teatini Testimonium de Cultu MM. nostrorum 223.

S. Pamphili Episc. Sulmonis prodigia in Serpentum noxia 91. 76. *Festum* XXVIII. *Aprilis, & Officium semel in Mense* 91. 92. 114. *memoria in Ocra* 92.: *Alia illius mentio cum nonnullis prodigiis* 276. 277.: *Lata illius memoria* 289. 290 *ejus Corpus, Sulmone* 290. 291.

Pandulphi Marsorum Episcopi in SS. Martyres devota Gesta 64. 97. 105.: *Eorum Corpora cum Inscriptione Translatio* 105. 106., & V. Simplicius: *Ejus laudes* 106. & *memoria in Prosa* Exultet *Celani* 107.: *Versus Archiep. Salernit. ad illum dati* 106. 255. 264.

Papa est Christi Vicarius, Ecclesiæ Princeps, Episcopus Episcoporum 251.

Passiones SS. Martyrum in Ecclesiis legendi vetustissimus usus 42. 43. 44., & V. Martyrialia.

Passularis locus jampridem Custodia MM. nostrorum 190. 191.

Patrias tres unusquisque Martyr habet 100.

Patronorum Sanctorum monumenta 112.

S. Paulus Apost., ex persecutore Christianorum, factus fuit Annuntiator Veritatis 195.

Pec-

Peccata, quando non placent, & pœnitentia expiantur, non nocent 195.
S. Pelini Gesta a quibusnam scripta? 290. 291.
Pentima, nunc Urbs Valven. 190. *Plura de illa, suisque Oppidis Episcopo Valven., & Sulmonen. subjectis* 290.
Perettus Venafri Princeps Martyrum nostrorum devotus exstitit 71.
Peste grassante in Marsis præterito sæculo, Celanum SS. MM. intercessione, fuit ab ipsa immune 177.
Pezzola Julius, Celanum obsidens, SS. MM. prodigio rejicitur 161. 240. 244.
Peticinus Mons 16.29.34.87., *verius dici debet Piscinus, vel Tinus* 34. 35. 60. 87. 94. 96. 97. 103. 104. 105., 161. *ibi SS. Martyres decollati* 105.187.189.192.196. 197.213.; *Pescininus, a Piscina perperam dictus* 213. 214. *alia Piscini mentio* 242.
S. Petiti Oppidum, M. A. Antonini Imp. olim Palatium 94. 166. 186. 187. 188. *Nummi aurei, & argentei d. Imp. imagine ibidem effossi* 188., *& quoddam de alio nupero Testimonium* 188. 189. *Rus Imperiale* 161. *exstitit* 186. 242. *Alia ibidem effossio* 293. 294.
Petius Cæsar, Celani Præpositus nullius Diœcesis, Celanensem Synodum celebrando MM. nostrorum Cultum probavit 63. 64. *Ad Sulmonensem Cathedram postea evectus* 64. *Josephi de Petio Celenensis largitas in dd. Martyres*. 119.
Petra Didacus Marsor. Episc. decreto Sanctorum Cultum Diœcesis firmavit 67. *Vincentius Card. Nepos, editis Operibus clariss.* 67. 151.
Petrantonii Domin. S. J. Trebanus 9. 12. 98. *Passionem SS. MM. adscripsit M. Aur. Antonino, & L. Vero Collegæ* 98. 99.: *Vitam SS. Cesidii, Rufini, & aliorum scripsit* 256.
S. Petri Eremitæ Marsi Acta Officium, & Lectiones 246. 268. ad 274., *ubinam ejusdem Reliquiæ?* ibid.
S. Petri de Lacu Abbatiæ prope Sulmonem fundatio 285. 286.
Phœbejus Franc. Mar. Romæ olim Præsul virtute, ac muneribus clarus 58. *Acta Martyrum nostrorum custodivit* 40. 58. 87. 151. 153. *Suus Codex de SS. nostris, Romanus dictus* 101.
Phœbonius Mutius, Celani Ecle-

clesiam, & MM. nostros laudavit 60. 92. 109. 125. 126.
Piccolominea Martia Constantia de Aragonia, MM. devotione fragravit 62. 70. *Piccolomineorum Principum Stemma in Celanensi Ecclesia* 69.
Picturæ Sanctorum, cur in Sacris Ædibus expositæ? 113. 114. *Raphaelis de Urbino, Celani adservatæ* 56.
Pipernus Petr. Oratorium edidit MM. nostrorum 62.
Pisicinus Mons, V. Peticinus.
S. Pius V. Romanis Pontificibus approbationem divinorum Officiorum servavit 48. 49., *quod ratum habuere Clemens VIII. & Urbanus VIII.* ibid.
Piscinæ Civitas, olim Marsorum Oppidum 37. 53.: *Celano recentior, Celanensi Comitatui paret* 214. *Alia mentio* 246. 247. 248.
Pollidorus Joan. Bapt. 77. 107. *Petrus laudatus* 77. 114. 126. *Vitam edidit Clementis PP. XI.* 161. 181., *aliudque Opus* 185.
Politianus Fabritius Vic. Gen. Marf. sub Episc. de Maximis 65.
Pontius Præfectus in Actis SS. Martyrum insertus 19. 20. 22. 24. 59. 94. *A nonnullis difficultatibus vindicatus* 141. 142. 143. 144. 145. 146. *Publius fuit etiam Prænomen* 143. 144.: *ejusdem in dictos Martyres Epistola, defensa* 150. 151. 213. *Potuit olim dici Publius* 144. *Pontii interrogatio, MM. nostris facta, eorumque responsio* 183. 184. *Illius in SS. iracundia* 184.
Pratillus Franc. Maria historiam Viæ Appiæ typis dedit, & laudatur 79.
Psalterium, quomodo Clerici olim addiscerint? 44.
Publius fuit etiam prænomen 143. 144. *Publius Martyrio S. Felicitatis, filiisque ejus, Antonino Imp., interfuit* 132. 144., *aliisque Martyribus* 143. *Potuit olim quoque dici* Pontius. *V.* Pontius.

R

Radianum Oppidum Valven. Diœc. a S. Venantio M. sua præsentia illustratum, ejusque Martyrium ubi? 190. & 291.
Raphaelis de Urbino Pictura, Celani adservata 56.
Ravennæ Martyrum nostrorum prodigia 25. 26. 116. 171. *Illius historia cur manca?* 220., *Archiepisc. Guicciolì epist. & laus* 220.

Reli-

Reliquiæ Sanctorum, sunt Civitatum præsidia 107.
Requietorium quale? 219.
Romani Pontifices favore Celanensis Ecclesiæ nonnulla ediderunt monumenta. V. Celanum.
Romæi David liber, mancus 197.
Rubeus Hieronymus Ravennæ Urbis Scriptor, cur in sua historia defecerit? 220.
S. *Rufinus Marsorum Episcopus* 32. 79. *ejus divinum Officium in Marsis* 246. 255., *ejus Vita in M. S. Transaquæ adservata* 255. *a doctiss. Bollandianis correcta* 255. ad 263. *Marsorum, an fuerit Episcopus?* 259. & seq.
Rus Imperiale in Marsis. V. S. Petiti Oppidum.

S

Sabellus Julius Albani Princeps, Celanique Comes, & Catharina Uxor Justiniana Sabella, MM. nostrorum devotiss. 71.
S. *Sabinæ Ecclesia, olim Valeriæ Marsorum Cathedralis* 255. *ejus Divinum Officium in Marsis* 246. 263. 264.: *Versus & Hymni ad illius honorem jampridem exarati* 264. 265. ad 268.
Sabini pop., & Tiburtini Marsis finitimi 187.
Sacripantes Card. Joseph pie obiit 36. *Philippus olim Consistorialis Aulæ Advoc.* 36. *Emin. Card. Carolus Maria commendatus* 36.
Sanctorum Gesta, debilia nostra confirmant 10.
Scandriliæ in Sabinis Opp. 286.
Serichi Lelii Celanensis Canon. Vita 61. *Orationes panegyricæ in honorem SS. MM.* 174. 175.: *Teate is verbum Dei annuntiavit* 224.
Serpentarii Marsi dicti 90. 91. 191. 192. *Audax Marsus, ad fidem conversus* 91.
Serpentes in Marsorum Regione, quorum meminit S. Augustinus, frequentiores fuerunt 90. 91.
Scrinia Sanctorum, quænam olim, & Scrinarii fuerint? 195. 196.
Sfortia Princeps Cesarinus Perettus Sabellus, & Excel. D. Philippus Dux, Princeps, Celanique Comites, Sanctorum MM. Ossa visitarunt, & laudati 72.
Simplicius, Constantius, & Victorianus Martyres nostri in tota Dissertatione lustrati: eorum origo, nobilitas, & Gesta 21. ad 29. 30. 52. 53. 59. 60. 90. 94. *Burgundia eorum Patria ab oppositis difficultatibus vindica-*

dicata 204. ad 207. adque 212. *Prodigia ipsorum intercessione a Deo Ravennatibus facta* 25. 26. 61. 62. 64. 67. 89. 90. 94. 97. 99. 103. 110. 116. 156. 238. *Pluraque suis patrociniis ab aliis obtenta*, ibid. & 55. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. *Miracula ipsa, Celani assidua* ibid. & 165. 171. 172. 177. 179. 225. *Eorum in Fonte aurco Martyrium prope Celanum Vetus* 21. ad 29. 92. 94. 95. 97. 98. 189. *Terræmotus per Marsiam* 193. *Sacra Corpora a Crescentio Presbytero & aliis sepulta* 29. 90. 195. 196. 197. *Martyrologium Rom. ad diem* XXVI. *Augusti de illis loquitur* 15. 73. 74. 75. 81. 82. 120. *Sanctorum Corporum Inventio a B. Joanne de Fulginio peracta* 88. 89. 95. 97. 101.: *Antiquus locus* 105. 118. 119. *Novissima Ecclesia Celani ab ipso ædificata* 93. 95. 97. 98.: *Translatio, ditiores Urnæ. & Inscriptiones* 119. 120. 121. 167.: *Stragulum polymitum tunc usi acceptum* 121.: *Forma Urnarum veterum, & recentiorum* 122. 123.: *Vetustissimæ Lectiones dd. Martyrum, Antiphonæ, & Orationes* 15. 49. 50. 84. 85. 86. *Hymnus antiquus modò evulgatus* 168. ad 170. *Recens Officium* 50. 177. *Ipsorumque Parergon* 170. ad 174., & V. Lectiones. *Solemne Festum d. die* XXVI. *Augusti in tota Dissertatione, &* 9. 54. 58. 73. 82. 83. 84. 158. 225. *Varia in ipsa solemnitate observata* 68. 69. 165.: *SS. Martyrum ibidem Sodalitas* 119. & V. Celanum.
Antonini Imp. in Marsis, olim præsentia apud S. Petitum, postea appellatum 94. 99. 184. ad 188. 189. *Sub Imp. Antonino Pio plures Christiani, Martyrio affecti* 130. 131. ad 136. 141. & 146. V. Antonini. *Martyres nostri, quibusnam Impp., decollati?* 98. ad 138. & 141. 146. *Aliorum Impp. præsentia in Marsis* 187. 188. *Pontii Præfecti epistola contra dd. Martyres ad Imp. Antoninum, expenditur* 150. 151. *Antiquus Carcer SS. MM. prope Celanum, modò Caverna* 186. 187. *Passularis locus eorum Custodia* 190. 191. 192. *Nummi aurei, & argentei in S. Petiti pago Imp. Imagine effossi* 188. 189. 293. 294 *eorumdem*

dem Martyrum Acta ex Auctoribus, & Manu Scriptis excerpta 58. 59. 60. 61. 62. 81. 82. 87. 88. seq. *M.S. pro Sanctis nostris J. Bapt. Mari* 180. 181. *Codex Romanus apud Præsulem olim Phebejum* 101. *Vetusti aliquot ipsorum versus* 109. 110., *dictaque Acta vindicata, sublestæ fidei non sunt* 127. 128. 135. *difficultates explanatæ* 134. ad 141. & 152. ad 156. *Synodalia Constituta pro illorum Cultu* 62. ad 68. *Pandulphi Marsorum Episc. in eos Gesta* 64. 97. *Inscriptio illis erecta* 105., *ejusque laudes* 106. 255. 264. *Comites Marsorum & Celani Sanctis devoti* 62. 64. 69. 70. V. Celanum. *Iidem Martyres Celanensium Protectores* 71. 65. 117., *& Patroni* 112. 120., *cæterique Marsorum Præsules, eos pie venerati sunt* 64. ad 68. 71. 72. *Aræ, & Tabellæ ipsis erectæ, donaria, & memoriæ* 69. 76. 160. 161. *etiam lapidibus insculptæ* 16. 17. 18. 70. 105. 109. 110. 112. *Antiquæ Picturæ, & Imagines in Celani Ecclesia, & alia Monumenta* 113. 114. 115. 116., *publicum de illis Testimonium* 115. 116. 117. *Vas antiquum terræ coctæ* 117. 118. *Viri Principes iis devoti*. 69. 70. 71. *Sanctorum nostrorum extra Marsos monumenta, Cultus & varia Manu Scripta* 80. 82. 83. 92. 93. 96. 97. 98. 99.: *Illorum portenta a nonnullis objectis vindicata* 55. 61. 134. ad 141. 156. 157. ad 159. 160. 161. 163. 164. 165., *prodigium apparitionis trium stellarum* 164. 240. & V. Miracula. *Vetusti anonymi versus de ipsorum gratiis* 61.: *Hi Sancti, Celanenses appellantur* 100. *eorum Reliquiæ post sæcula custoditæ* 103. *Cultusque stabilis* 157. ad 160. & 225. 226. *Altare in Ecclesia Carmelitarum* 124. *Officium* 50. 175. *Canonicorum & Magistratus Testificationes de antiquo Cultu, & prodigiis* 176. ad 180. & *variorum Præsulum* 222. ad 230. *M.S. Romæ servatum, modò patefactum?* 221. 222. *Nupera in illos devotio* 162. 222. 223. *Mari judicium, Actis favet* 180. 181. Vide Acta, Celanum, & Mari. *In Celanensi sacra Æde aliorum SS. Reliquiæ* 167. *M. S. alterum primo nunc evulgatum ex Tabulario Mar-*

Marsorum, *antiquas Lectiones instar Missalis*, *populorum devotionem*, & *nobiliora continet* 166.167. *necnon prodigia quædam in vetusto Hymno nunc typis dato conscripta* 168.ad 170. *Alia ipsorum mentio* 293.

Spinelli Joseph Em. Card. Archiep. Neap. laudatus 71.: *Philippi Nicolai Aversæ Episcopi epistola*, & *laus* 125.

Sulmo Caput Pelignorum 287. *ejus nonnulla Oppida* 286. 287. *Corpus S.Pamphili habet* 290. *Plura de hac Civitate* 290.

T

TAbula Ecclesiæ Marsicanæ, *vel Marsorum* 14. 51. 52. 53., *Romam olim translata* 53.57. *sublestæ fidei perperam dicta* 51. 52. 127. 128. 135. *Picturata Raphaelis de Urbino*, *Celani servatur* 56.

Tabulæ antiquis usibus accommodatæ 51.52.: *Variæ Tabularum eruditiones*, ibid. & 54. ad 57.

Tafuri Bernardinus laudatus 284.

Taglialatela Dominicus, *olim Episc. Aquilan.*, *MM. nostros invisit* 72.

Taleaquitium Marsorum Opp. vulgo Tagliacozzo 256. *in not.* lit. a. *Illius Ecclesia SS. Cosmæ*, & *Damiani* 281.

Tamburrinus Fortunatus Emin. Card. Ord. S. Benedicti memoratus 71.

Terræmotus varii, *Aquilam*, & *Sulmonem quassantes*, *Celano SS.MM. Protectione*, *haud nocuere* 161.162. 165. 177. 179. 222.

Thomasius Ven. Joseph Mar. Card., *Psalterium explanavit* 44.

S. Thomæ Apost. Reliquiæ, *an exstent Ortonæ ad Mare in Aprutio?* 114. 115.

B. Thomæ a Celano Corpus Taleacotii quiescit; *cujus Vitam a Bollandianis doctiss. illustrari confidimus* 249.

Tiburtini plures habent SS. Reliquias 108. *auctor inibi fuit Vic. Gen.* 107., *sunt Marsis finitimi* 187.

Tinus Mons prope Celanum, V. Peticinus.

Toppius C. Asterius Episc. Milevitan. MM. nostrorum Cultum testatur 224.

Traditio antiqui Cultus Martyrum nostrorum, *in Marsis exstitit*, *ac durat*. 47.; *plures sunt Traditiones* 128. 129.

Traditiones, *magni faciendæ* 46.47.

46. 47. 51. 52. variæque sunt 128.
Transaquis in Marsis passus est S. *Cesidius* 260. *ejusdem Oppidi alia mentio* 291. 292.
Translationes Corporum SS. Martyrum, ad loca celebriora semper usu receptæ 107.
Trebæ quiescit Corpus S. Petri Eremitæ Marsi 268. ad 272. seq.
Tria Joan. Andr. Tyriæ Archiep. 107.
Trimera Insula maris Adriatici 99.
Turchus Joseph, Generalis Congregat. Cælestinor. Ord. S. Benedicti 98.

V

DE *Valentibus Ludovicus Præsul Romæ, Fideique Promotor laudatus* 221.
Valeria Marsorum Provincia, Romæ proxima 78. *a S. Gregorio Pp. memorata* 33. 39. 155. *duo Monachi ex Valeria Martyrio coronati* 155. *semper in Marsis floruit* 78. 98. *Patria S. Bonifacii IV.* 39. 78. 79. & V. S. Bonifacius IV. *Ex ipsa Provincia Episcopi antiquitus ad Synodos Romanas a Pontificibus vocati* 40. *alia Valeriæ mentio* 255. 283. *S. Equitii Abbatis ejusdem Provinciæ* 283. 284. *Quandoque Baleria dicta* 77. 78. *Ejus Latinæ Urbes cum Oppido Cuculli* 78. 79.
Valeriam viam ejusque Pontes auctor descripsit 79.
Valignanus Fr. Philippus Archiep. Teatin. Ord. Præd. Innoc. XIII. Consobrinus, MM. nostros invisit 224.
Valvenses, Balvenses appellati, & sic olim eorum Comites 78. 285. 286. *Valvensis Ecclesia SS. Pelini, & Alexandri Corpora tenet* 114. *Plura de Valva, & Valvensibus* 285. 286. 287.
Vecchiis q. Mutius Salmonen. Marsorum Episcopus in Martyres nostros devotus 67. *Ecclesiam S. Berardi Card. Piscinæ instauravit* 247.
S. Venantius Martyr in Radiano Opp. Valven. moram traxit 190.
Venusia Civitas Apuliæ Peucetiæ, Corpus habet S. Felicis Episc. & Mart. 155.
Veritas si constat, modus, & tempus nisi constet, quid efficiat? 135. 136.
De Virgiliis Benedicti versus de SS. MM. nostris 242. ad 245.

Viri

Viri Illustres, lumina Civitatum dicuntur 108.
Usuardi Martyrologium M.S. Aquilæ servatur 82. 289. & alibi *Martyres nostros memorat* 82. 289.

Z

Zaccagna q. Laur. Alex. 88. *D. Mauri Abbatis Cælestinorum pro SS.MM. nostris Testificatio* 228.
Zinni Jeremias Ord. Prædic. memoratus 210.

FINIS.



Dum

Dum Opus in Urbe, me Sulmone degente, imprimeretur, nonnullos Typographi errores, quibus hactenus occurrere nemini unquam licuit irrepsisse cognovi, ac ideo:

MENDA, SIC	EMENDA.
Pag. 12. lin. 5. paullum	paululum
ibid. l.25. cognoverint	cognoverim
13. l. 9. meque	neque
15. l. 2. eins	ejus
15. l. 3. Victoriavi	Victoriani
Idid. l. 8. Festo	Festum
18. l. 5. in eorundem	*adde* honorem
20. l.34. ex speciminibus paucis	non paucis
23. l. 2. Fore	ferè
31. l.12. quæque	quoque
33. l.19. Marsicanam	Marsicanum
38. l.15. autiquitus	antiquitus
Ibid. l.25. tributnus	tributus
39. l. 4. Pusebio	Eusebio
Ibid. l.18. compertum sit;	compertum fit
46. l.22. quantnum	quantum
48. l. 1. consumatot	consummatos
53. l.21. sepulchnum	sepulchrum
57. l.12. Regulare	Regulares
61. l.23. feriilitate	fertilitate
62. l.11. xtvi.	xxvi.
67. l. 7. decreta	decreto
69. l.18. donantia	donaria
98. l.11. voluit	volui
70. l. 1. celatum	relatnm
71. l.31. Ferdinandus	Fortunatus
74. l.15. provocabat	provocabar
72. l.24. uimirum	nimirum
76. l.33. ignotasse	ignorasse
82. l.26. Natali	natalis
Ibid. l 27. 26. Junii	26. Augusti
88. l.15. adque	atque
89. l. 8. sequeutibus	sequentibus
101. l.14. proficisceeretur	pzoficisceretur
105. l.16. primo dum	promodum
111. l. 9. hanc:	hac

Ibid.

Ibid. l.25.	tequeus	sequens
119. l.22.	una eum	una cum
121. l.13.	exibemus	exhibemus
136. l.20.	nonnulli	nonnulla
Ibid. l.36.	passus	passos
137. l.23.	Antonius	Antoninus
Ibid. l.32.	persecutioonem	persecutionem
139. l. 8.	qnarta	quartam
145. l.22.	Pontius	Pontio
146. l.29.	his	is
147. l.23.	pro inde	proinde
159. l. 6.	quia	qua
185. l.20.	Hic	His
187. l.20.	cujus	ejus
220. l. 7.	artificium	artificum
223. l.19.	flagrantibus	fragantibus
241.	dele lineas 35.& 36.	
280. l.19.	Pontifice	Pontifici
285. l.24.	functus	*adde* possidebat
296. l.26.	Mursus	Marsus

Venerabili Fratri PETRO ANTONIO Episcopo Valvensi, & Sulmonensi.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.



IBELLUM inscriptum : *Acta Sanctorum Martyrum* SIMPLICII, CONSTANTII, *&* VICTORIANI, *quorum Reliquiæ Celani apud Marsos antiqua veneratione coluntur, vindicata*: quem non solum nomini nostro dicasti, sed occasione etiam Visitationis Sacrorum Liminum SS. Principum Apostolorum Petri, & Pauli a te peragendæ, & Sacrarum Indulgentiarum hujusce Piacularis Anni Sancti acquirendarum studio ad hanc Almam Urbem nostram accedens, propriis manibus obtulisti, ea cum Pontificii animi nostri voluptate excepimus, ut laudabiles labores tuos pro adaugendo eorumdem Sanctorum Martyrum Patriæ tuæ Patronorum cultu, & sinceritate Actorum hujusmodi, ab aliis fortasse documentorum notitiam ignorantibus in dubium revocata, conquisitis undique rationum momentis confirmanda feliciter impensos meritis Apostolicæ laudationis præconiis ornemus. Fore autem in Domino confidimus, ut cum per tempus ipsum libellum evolvere licuerit, majori lætitia inde affecti, uberiori laudum cumu-

lo prosequamur Fraternitatem Tuam, quam cæteroquin propter alios ad Patriæ tuæ decus, & ornamentum addendum, libros publici juris factos commendari accepimus. Nobis sane in sublimi Sacrosancti Apostolatus Cathedra constitutis, qui per totum ferè vitæ nostræ tempus, præter alias gravissimas in muneribus tenuitati nostræ demandatis pro dignitate obeundis, Pastoralesque curas, & sollicitudines, illud maximopere curavimus, ut volumina de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione in lucem proferremus, jam tertio typis excusa, nihil accidere potest gratius, ac jucundius, quàm cum audimus, Venerabiles Fratres Ecclesiarum Antistites, aliosque insignes Viros hisce in rebus operam, studiumque suum collocare. Quid enim dignius, quid laudabilius Catholico Antistite, quàm Pastorale ministerium suum ea, qua tenetur, vigilantia, ac sedulitate adimplere, & ab Ecclesiasticis oneribus vacuum, ad ea sese studia abdere, quæ non solum ad eruenda e tenebris, & illustranda præclara Sanctorum Martyrum gesta inserviunt, sed ad recolendam etiam eorumdem memoriam, ac relicta Christianarum virtutum exempla æmulanda excitant, atque incendunt? Gratum itaque, obstrictumque pro officiosissimo munere, ac labore animum nostrum Fraternitati Tuæ profitentes, Supremum Pastorum Principem Jesum Christum mirabilem in Sanctis suis, cujus vices in terris plane immerentes gerimus, supplices poscimus, ut uberrima cælestium charismatum copia Fraternitatem Tuam in ovibus
Tibi

Tibi creditis ſaluberrime paſcendis , & pro Sanctis Martyribus laudabiliter adlaborantem adaugeat , & cumulet ; dum Nos Apoſtolicam Benedictionem ſtudioſæ voluntatis noſtræ pignus Tibi , Venerabilis Frater , peramanter impertimur . Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV. Decembris MDCCL. Pontificatus noſtri Anno Undecimo .

Cajetanus Amatus .



